

BERKELEY 9, CALIFORNIA

Binding the gift of
Earl Morse Wilbur, D.D.


Digitized by the Internet Archive
in 2023 with funding from
Kahle/Austin Foundation

https://archive.org/details/gtu_32400001761539_2

HISTORIA
HUNGARORUM ECCLESIASTICA.

INDE AB EXORDIO NOVI TESTAMENTI AD NOSTRA USQUE TEMPORA
EX MONUMENTIS PARTIM EDITIS, PARTIM VERO INEDITIS,
FIDE DIGNIS COLLECTA STUDIO ET LABORE

PETRI BOD

de Felső-Csernáton

V. D. MINISTRI M. IGENIENSIS ET SYNODI GENERALIS
REFORMATORUM IN TRANSYLVANIA NOTARII.

EDIDIT

POST CLAR. **RAUWENHOFFII** OBITUM

J. J. PRINS

THEOL. DOCT. ET PROF. EMER. IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA.



TOMUS II.

LIB. III.

LUGDUNI–BATAVORUM
APUD E. J. BRILL SOCIOS
1890.

HISTORIA
HUNGARORUM ECCLESIASTICA,

INDE AB EXORDIO NOVI TESTAMENTI AD NOSTRA USQUE TEMPORA
EX MONUMENTIS PARTIM EDITIS, PARTIM VERO INEDITIS,
FIDE DIGNIS COLLECTA STUDIO ET LABORE

PETRI BOD

de Felső-Csernáton

V. D. MINISTRI M. IGENIENSIS ET SYNODI GENERALIS
REFORMATORUM IN TRANSYLVANIA NOTARII.

EDIDIT

POST CLAR. **RAUWENHOFFII** OBITUM

J. J. PRINS

THEOL. DOCT. ET PROF. EMER. IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA.

TOMUS II.

LIB. III.

LUGDUNI—BATAVORUM
APUD E. J. BRILL SOCIOS
1890.



BERKELEY, CALIFORNIA

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
LIBRARY
1962

HISTORIA
HUNGARORUM ECCLESIASTICA,

INDE AB EXORDIO NOVI TESTAMENTI AD NOSTRA USQUE TEMPORA
EX MONUMENTIS PARTIM EDITIS, PARTIM VERO INEDITIS,
FIDE DIGNIS COLLECTA STUDIO ET LABORE

PETRI BOD vol 2

de Felső-Csernáton

V. D. MINISTRI M. IGENIENSIS ET SYNODI GENERALIS
REFORMATORUM IN TRANSYLVANIA NOTARII.

Property of
CBSK
Please return to
Graduate Theological
Union Library

Spem nobis fecit Clar. SZALAY, fore ut intra anni dimidium desiderata suppleat. Quæ spes ut rata fiat, in gratiam totius Operis ejusque emtorum non tantum optamus, sed etiam confidimus.

Editorum nomine

E. J. BRILL.

L. B. Oct. 1890.

L. S.

Si scire cupis, Lector benevole! quam ob causam hic Tomus secundus, post tertium nunc demum in lucem prodiens, meum nomen neque RAUWENHOFFII editoris in fronte gerat, consulas quæso, quae Tomo tertio præfatus sum, quo totum opus absolvitur.

De meis edendi curis monitum Te velim, me in textu constituendo sæpius dubium hæsisse neque omnes scribendi errores probabiliter corrigere potuisse. Feci quod potui, non quod volui. Id unum asseverare liceat, præsertim in locis intellectu difficilioribus verba codicis, quo utimur, religiose esse reddita.

Indices et quæ præterea ad illustrandam hanc editionem nobis pollicitus erat CAR. SZALAY, V. C., adhuc, eheu! desiderantur. Varias causas, quæ prohibuerunt, quominus fidem illam solveret, hic enarrare longum est. Utrum tandem aliquando desiderata suppleturus sit necne, dies docebit. Diutius autem hujus Tomi differre editionem, qui jam ante aliquot menses paratus erat, ut prodire posset, inutile et incommodum videbatur. Eam me mortuo Cl. RAUWENHOFFIO pro viribus ad finem perducere potuisse impense lætor. Deo gratias!

L. B.
20 m. Sept. 1890.

J. J. PRINS.

CONSPECTUS.

LIBER III.

RES ECCLESIAE IN TRANSYLVANIA ET HUNGARIA, A PACIFICATIONE WIENNENSI, ANNO MDCVI CONCLUSA, AD COMPOSITIONEM SZATHMARIENSEM, ANNO MDCCXI FACTAM, COMPLECTITUR.

			Pag.
Caput	I.	De statu Ecclesiae sub Principe Stephano Botskai ad mortem usque Matthiae Regis Hungariae	1
„	II.	De statu Ecclesiae sub regimine Ferdinandi Secundi et deinceps ad initia regiminis Leopoldi Magni	12
„	III.	De oppresso Ecclesiae statu sub regimine Leopoldi Magni . .	35
„	IV.	De horrenda Ecclesiarum in Hungaria decennali persecutione, in specie Ministrorum V. D. et scholae Rectorum ad triremes Neapolitanas damnatione, ac quorundam eliberatione	52
„	V.	De statu Protestantium in Hungaria ad Leopoldi Imperatoris et Regis mortem	127
„	VI	De statu Protestantium in Transylvania sub regimine Austriaco ad Compositionem usque Szathmariensem	190
„	VII.	De Reformatis Transylvaniae Principibus Ecclesiarum orthodoxarum patronis	218
„	VIII.	De illustribus Magnatum familiis in hac temporis periodo Reformatae religioni addictis	260
„	IX.	De praecipius Verbi Divini Ministris ac maxime iis, quorum memoria, scripto aliquo in publicum edito, conservata est	272
„	X.	De controversiis Reformatorum inter se et Lutheranorum . . .	286
„	XI.	De Unitariis in Transylvania.	301
„	XII.	De Sabbathariis sive judaizantibus in Transylvania	313
„	XIII.	De Jesuitis	317
„	XVI.	De quatuor receptis in Transylvania Religionibus et earum Unionis fundamento	340
„	XV.	De personis ecclesiasticis	347
„	XVI.	De quibusdam Synodorum actis sub decursu seculi decimi septimi .	381
„	XVII.	De Hungaricis Bibliorum versionibus et editionibus	407
„	XVIII.	De typographiis et typographis in Hungaria et Transylvania . .	428
„	XIX.	De Collegio Alba-Nagy-Edyediensi, ejusque ortu et progressu . .	436

LIBER TERTIUS.

Res Ecclesiae in Transylvania et Hungaria, a Pacificatione Wiennensi, anno MDCVI conclusa, ad Compositionem Szathmariensem, anno MDCCXI factam, complectitur.

CAPUT PRIMUM.

De statu Ecclesiae sub Principe Stephano Botskai ad mortem usque Matthiae Regis Hungariae.

§ I. *Legibus Politicis Religionem firmare cur neglexerint Hungari.* — Lucidissimo Verbi Divini lumine Ecclesiae tam in Hungaria quam in Transylvania ab initio fere seculi decimi sexti sunt illustratae; unde secuta est in iis Morum Doctrinaeque Reformatio; nullis tamen sub decursu illius seculi in Hungaria Reformatorum Lutheranorumque Religio adjuta est Legibus securitatem promittentibus. Familiae illustres in Hungaria fere omnes Reformatae erant addictae et Lutheranae Religioni, Leges velut saepimentum quoddam pro tutanda Religione non adhibuerant, satis habentes Religionem suam fundatam esse in verbo Dei, velut petra immobili. Neglexisse Legibus Religionem suam firmare politicis, ratio ea videtur; quoniam sub illo tempore Reges erant Ferdinandus Primus, Maximilianus Secundus et Rudolphus Secundus, quorum neuter a Protestantium abhorrebat Religione. Vidimus id de Ferdinando multum pro Pace in Ecclesia Dei concilianda desudante, vidimus de Maximiliano, Rege pio, qui rebus exemptus humanis anno 1576; favebat is semper Protestantibus ex iisque Doctores scholis in Provinciis suis praefecerat.

In agone mortis constitutus Lambertum Gruterum Episcopum Neapolitanum hac conditione admisit, ut cum ipso colloqueretur, non nisi de merito Christi Servatoris et sanguineis ejus sudoribus, in cujus fiducia rejectis omnibus operum meritis ad tremendum Dei tribunal comparere voluit.

§ II. *Facies rerum apud Hung.* — Hunc excepit Rudolphus, qui nemini ob Religionem injuriam inferebat ipse; verum a Regimine Regni quasi seclusus Pragae per suas occupationes, Mathematicis, Astronomicis, delectabat animum. Quo facto Episcopis et aliis officialibus occasio nata est ea faciendi, quae Protestantium Religionem turbarent, Regnaque exinde turbis involverent. Talis erat Georgius Basta Generalis Militiae Caesareae praefectus in Hungaria et Transylvania, qui non tantum vivos sed etiam mortuos expilabat, conditoria et Cryptas Magnatum investigabat, inde Arma, Insignia, ornamenta, quae ex consuetudine illius aetatis cum Proceribus tumulo inferebantur, abstrahebat. Ne vero quis me ex affectu hic quicquam affingere viris innocentibus jure arguere queat, dabo faciem rerum verbis Thuani Historici Pontificiae addicti Religioni, qui ita:

„Tumultuantibus et manu rem gerentibus Pannoniis non deerant justae sicuti rebantur causae, quibus sumpta arma excusarent, et jam octava Kalendas Aprilis (1605) datis ad Bohemiae, Silesiae et Moraviae ordines literis de Caesareanorum duritie conquerebantur juris jurandi Religione neglecta, violatis juribus et libertate antiqua a divis Hungariae Regibus Majoribus ob merita et praeclaras Hungarorum Procerum virtutes summa beneficentia collatis. Nullo respectu bonorum, Curiarum nobilium, Ecclesiasticarum Dignitatum ac Procerum habito, omnia ad externi militis praedam exposita. Cumque de injuria publice abhinc annis XX expostulassent in Comitiis Posoniensibus et per delegatos apud Caesaream Majestatem egissent, nunquam eos admissos aut auditos esse et cum levamentum a tot injuriis a clementia ejus exspectarent, pro omni responso et querimoniarum remedio Georgium Bastam hominem externum cum externo milite missum, cujus adventu non levati, sed geminatis injuriis et vexationibus, omni spe et opibus suis funditus eversi. Nam nihil illum per suos ad summam crudelitatem reliqui fecisse, spretos Proceres et in bonis ac familiis omni contumeliarum genere affectos, Ministros summa immanitate habitos et quosdam pelle detracta exanimatos, stuprationibus ubique impune grassatum militem, honestas matronas, virgines, puerperas partui propinquas ad interitum et novennes puellas vi illata contaminatas, nobiles in miseram captivitatem abductos-querentes nusquam auditos, post immanes sumptus et tempus inutiliter consumptum nihil

praeter Plorare ad suos retulisse. Ministros per Gallo-Belgas inaudita saevitia habitos ad extremum occisos mortuorumque cadavera effossa et immaniter flammis tradita, jam pridem et sepultorum corpora eruta, sicuti illustris viri Georgii Comitis Bathorii, ejus conjugis et Stephani item Comitis Bathorii et Arma et Insignia a tumulo Georgii rapta Bastam adhuc hodie penes se retinere. Quin ademptum Protestantibus Cassoviae Templum par Bellijocensem Comitem Franc. Forgatsii Nitriensis Episcopi, Cancellarii instigatu, qua de re cum in Posoniensibus Comitiis nuper conquesti essent, nihil responsi a suae Majestatis delegatis accepisse. Omnium gravissime tulisse ademptam Proceres ac infimum ordinem in Religione libertatem et Proventus in eam rem destinatos ab infestis interversos. Pastoribus summotis et metu poenave regno prorsus eliminatis, id Matthiae Archiduci, cum ad eum quaerimoniae deferrentur, indignum visum neque tamen ejus advocatione a Caesarea Majestate quicquam impetrari potuisse; sed D. Andreae Decreto, aliud S. Stephani itidem Hungariae Regis et Apostoli cognominati oppositum, quo Hungariae Reges cum Regno inaugurarentur sanctam Catholicam Romanam fidem et Religionem tueri obligantur, et si quis in ea novarit aliquid, contra eum juris via procedatur et ad exemplum sine spe veniae merita poena afficiatur. Cum igitur nil supplicationibus tam longa patientia amicorum Principum advocatione profici viderent, ad extremum ultima desperatione victos, arma justa induisse, non ut pacem publicam conturbent, sed ut jura Regni et corporum et animarum libertatem contra vastatores, incendiarios, oppressores et fratrum suorum homicidas tueantur" [1]). Hactenus Thuanus.

Necessitas et occasio condendarum pro Religione Legum hactenus non erat, at nunc turbae, subinde per clerum et officiales Militiae excitatae, de iis cogitare coegerunt et ut necessario conderentur occasionem subministrarunt.

§ III. *S. Botskaii insurrectio.* — Oppressionem enim Religionis ferre amplius non valentes, nec calcatae libertatis jugo premi volentes Ducibus Stephano Botskai et Gabriele Bethlen ferro se defendere occeperunt, ad oppidum Dioszeg copias Caesareas Botkai per Hajdones primum, mox etiam alibi vicit et fugatis qui se opponerent, Hungariam torrentis instar rapidi, brevi inundavit et occupavit; cui se Proceres in suis Privilegiis et Libertatibus laesi submiserunt, militares vero spe spolii hinc inde opimi corradendi sese ultro adjunxerunt. Thuanus celebris illius aevi scriptor, ita insurrectionem Botskaianam cum circumstantiis eo facientibus enarrat. „Johannes Jacobus Barbianus

[1]) Lib. CXXXIII.

Belli-joci Comes Bastae instigatu inter haec Cassoviae summa severitate grassabatur, Protestantibus ibidem interdicto concionum publicarum usu, et Concionatoribus novissima interminatus, nisi ab iis abstinerent. Etiam machinis bellicis ad templa ubi conveniebant admotis et cum Georgius Saba (Szabó) civis in urbe locuples non pareret, decem talerorum millia severissime exactis multatus est, et tres ex nobilitate seditionis excitae postulati, intra semiruti coenobii rudera inclusi fame enecti dicuntur. Ea re cum magnum in se odium concitasset Bellijocensis, postremo et Stephano Botskaijo, viro inter Hungaros primario et arta cum Sigismundo Bathorio consanguinitate conjuncto, grandem pecuniam imperaverat, quam cum ille exsolvere detrectaret, alia atque alia excusationis loco causatus, vim imperio adjicit, et recusantis tria in proximo castella ad praedam militi concedit. Quod hominem generosum et tamen moderatione potius hactenus quam dissimulatione usum, ad arma defensioni capienda incitavit. Qui injuriam tantam minime ferendam ratus, salva fide eam ulcisci sibi licere arbitrabatur. Hic enim dicere solebat: Andrea II Hungariae Rege in Comitiis anno sal. 1222 cautum et sancitum esse, si quis Regibus contra jura Regia et Privilegia ac libertates aliquid tentantibus resisteret, id ipsi fraudi et infamiae non esset. Itaque Hajduccorum, qui ad omnes motus semper praesto sunt, sex millium manu coacta in Caesarianorum bona invadit, eaque in praedam Bellijocensis exemplo militi suo concedit. Post haec prelium cum Bellijocensi commissum, sex Caesarianorum millia caesa, victoria penes Botskajum fuit. Captus in hoc prelio Lippajus, quem Botskai mox vulneribus curatum, militiae summum vicarium constituit- et post de medio sustulit; sed Lippajus pro tempore res Botskai ordinare visus est. Religionis causam ut speciosiorem apud Hajduccos et Nobilitatem fere obnoxiam urgens et edicti proponendi Botskaio auctor fuit, ut qui Religionem salvam vellent, nomen suum apud se profiterentur. — Botskaius Pragam mittit, qui factum necessitate excusarent, nihil in rebus humanis Religione et libertate pretiosius esse, utrumque indignis modis labefactatum, sacra violata, nobiles ignobilium loco habitos, bonis omnibus exutos crudelissime locis plerisque occisos, conjuges et virgines in maritorum ac parentum conspectu stupratas, nullumque immanitatis genus praetermissum, sed ea perpetrata, quae salvo pudore enarrari nequeunt. — Misisse se antea Pragam et ad Imperii comitia Legatos, qui per viscera misericordiae levamen malis peterent, pro quo exacerbationem potius, quam remedium malis adhiberi cernentes, quod reliquum erat sanguinis Patriae impendendum et vim vi repellendam

dignum et aequum judicasse, se tamen ubi suae Majestati vacaverit rationes reddere paratum." Haec Thuanus[1]).

§ IV. *Pacificatio Viennensis.* — Szerentsini anno 1605 mense Junio Comitia celebrat, ubi Reformatis, Lutheranis et Romano Catholicis eodem jure sentiendi libertas, et suae exercitium Religionis conceditur[2]). Serpebat continuo bellum, imo vero turbinis instar ad vicina etiam Hungariae Regna detonabat, ruinas ubique minitans et desolationem. Admonuit Regem periculum ingravescens de Pace cum Botskaio et Hungaris ineunda, quam etiam anno 1606 post multam disceptationem, Viennae conclusit. Cujus Pacificationis primus de Religione articulus ita sonat:

„Quantum itaque ad Religionis negotium attinet, non obstantibus pro tempore constitutionibus publicis, sed neque articulo postremo anni 1604 (cum is extra diaetam et sine Regnicolarum assensu adjectus fuerit et propterea etiam tollitur) deliberatum est, ut juxta sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis prioram resolutionem, ad quam se Regnicolae in sua replicatione referunt; nimirum quod omnes et singulos status et ordines intra ambitum Regni Hungariae solum existentes, tam Magnates, Nobiles, quam liberas civitates et oppida Privilegiata immediate ad coronam spectantia. Item in confiniis quoque Regni Hungariae, milites Hungaros in sua Religione et confessione, nusquam et nunquam turbabit, nec per alios turbari aut impediri sinet. Verum omnibus praedictis statibus et ordinibus liber Religionis ipsorum usus et exercitium permittetur, absque tamen praejudicio Romanae Catholicae Religionis; et ut Clerus, Templa et Ecclesiae Catholicorum Romanorum intacta et libera permaneant, atque ea quae hoc disturbiorum tempore utrinque occupata fuere, rursus eisdem restituantur" [3]).

§ V. *Conclusio Pacis Wiennensis.* — Hanc Pacem Caesar per fratrem Matthiam cum Stephano Botskai et ipsi adhaerentibus Hungaris Viennae anno 1606 die XXIII Junii iniit, quam etiam omnibus in Pace requisitis solennitatis et necessariis vinculis confirmavit. Majoris causa securitatis expetebant Hungari vicinarum Provinciarum sponsionem, quo in casu Pacis violatae provocare possent; igitur Regni Bohemiae, Marchionatus Moraviae, Ducatus Silesiae superioris et inferioris, Marchionatus Lusatiae superioris et inferioris Legati ad hanc Pacem corroborandam cum plenipotentia missi Triginta sex subscripserunt et his verbis suas literas assecuratorias clauserunt:

[1]) Lib. CXXXI pag. 1112.
[2]) Kazy in Hist. Hung. pag. 43.
[3]) Art. 1. ann. 1606.

Nos itaque nomine et ex plenipotentia nobis a nostris Principalibus Statibus Regni Bohemiae ejusdemque incorporatarum Provinciarum attributa, accedente consensu et authoritate bene praefatae sac. Majestatis libere et non coacte spondemus et praedictum Dominum Bochkai, universosque status et ordines Regni Hungariae et Transylvaniae assecuramus, quod sacra Majestas hanc reconciliationem cum Hungaris factam non solum inviolabiliter in omni parte observabit, sed etiam status et ordines inclyti Regni Bohemiae ejusdemque incorporatarum Provinciarum, nihil contra Hungaros, quod vicinitatis jus laedere possit, attentabunt, quin imo secundum antiqua pacta foedera (quae praesentibus hisce renovamus et integrum, acsi nunquam violata fuissent restituimus) bonam vicinitatem, et mutuum amorem sincere colent, et ultro citroque commercium Christianorum liberum omnibus relinquent, non secus ac si ista omnia in publicis Comitiis Regni Bohemiae, Marchionatus Moraviae, Ducatus Silesiae, nec non Marchionatus superioris et inferioris Lusatiae acta et conclusa fuissent; modo id ipsum quoque ab Hungarica natione secundum ipsorum literas, nobis propterea specialiter assignatas, praestetur. In cujus corroborationem praesentes nostras sigillorum nostrorum appensione, communiri fecimus. Actum Wiennae Austriae die XVI Mensis Septembris anno salutis 1606. Loca Sigillorum[1]).

Neque objici hodie cum aliqua verisimilitudine potest, factam esse hanc Pacificationem absque annuentia Cleri et cum ejus contradictione; inter subsignatores enim Foederis hujus Tabulae subscripsit Franciscus Forgats, Episcopus Nitriensis, vacante tunc Cathedra Strigonensi quam sequenti anno ipse occupavit, Demetrius Napiagy Veszpremiensis, Petrus Radovitius Vaciensis, Valentinus Lepes Tyniniensis, Ecclesiarum Episcopi, qui si in Puncta Pacis non consenserunt, nec subscribere debebant.

§ VI. *Pacif. Wiennensis basis securitatis in Religione.* — Pacificatio Wiennensis dicitur a Wienna Urbe Austriae, ubi conclusa est, quae pax est fundamentum et basis publicae securitatis pro Religione Protestantium in Hungaria. Ad hanc velut ad publicam Patriae Legem appellare poterant status et ordines in sua libertate Ecclesiastica aut politica laesi; hanc enim in genere et articulos in specie de Religione subsequentes Hungariae Reges antequam coronarentur juramento confirmabant. Hac Pace semel constituta merito obtendunt se, Confessioni Helveticae et Augustanae addicti, pro talibus haberi amplius non posse, nec debere, qui in Ecclesia oppressa versentur: quibus contra persecu-

[1]) Extat in Clausula Pacificationis Wiennensis.

tiones nihil reliqui sit, quam patientia et Martyriorum vel exilii tolleratio, cum jam suppetunt Pacificationes, Pacta publica, Diplomata et Promissa Regia, jurata fide firmata, articuli Regni Legibus inserti, quae omnia turbata Religione turbarentur et Regno ruinam ac desolationem adferrent. Pacificatio Wiennensis similis effecta est Transactioni Passaviensi anno 1552 factae, et Pacificationi Westphalicae aut Osnabrugensi anno 1648 conclusae, cujus foederis observatio est fundamentum pacis Imperii; turbatis enim ejus conditionibus pax Imperii subvertitur [1]) ideoque religiose observatur.

§ VII. Sustinent ergo Reformati et Lutherani in Hungaria et Transylvania eandem conditionem, in qua sunt Religionis istius consortes in Imperio Romano Germanico, ubi horum Religio non pro tollerata saltem et cuilibet persecutioni obnoxia, sed pro publice stabilita et eadem libertate et securitate, qua Romano Catholica utitur, gaudente habetur. Eat ibi et zelo indiscreto flagrans Imperatori et caeteris Catholicis Principibus insinuet, Haereticis datam fidem non esse observandam, sed ferro et igne extirpandos Reformatos ac Lutheranos, probroso Haeretici nomine infamet ac proscindat, experietur consilium tam consultori quam executori fore pessimum [2]). Sunt in Imperio Romano Germanico summi Ecclesiae Romanae Antistites, Cardinales, et qui his cedere jure nolunt, eminentissimi Electores Ecclesiastici, Archiepiscopi, Episcopi, potentissimi Imperii Principes sublimi jure territoriali Majestatis aemulo gaudentes, qui in zelo discreto pro Ecclesiae Romanae salute, nulli quidem ex venerabili Hungariae Clero cedunt; sed illo zelo suo non adeo in transversum rapiuntur, ut credant se Catholicos Ecclesiasticos esse non posse, nisi de persequendis et exstirpandis Helveticae et Augustanae Confessioni addictis continuo cogitent; potius cum reliquis Con-statibus diversae Religionis in pace et quiete vivere malunt et subditis suis diversam a sua Religionem profitentibus in exercitio Religionis et conscientiarum libertate nullatenus graves esse, illisque Templa, Scholas, Parochias, Pastores et proventus integros sinere, religioni sibi ducentes Pacificationi Monasteriensi, pacique religiosae, qua Augustanae Confessioni addictorum et Reformatorum Religioni eadem libertas et securitas stabilita est, quae in Hungaria per Pacificationem Wiennensem eidem asserta fuit, contravenire. Hos Clerus Hungariae imitandos haberet, se Paci Wiennensi adstringendo, Gravamina jure secundum Regni Leges complanando, atque ita nec sibi et aliis, Regno vero desolationem accerserent.

§ VIII. *Cautio.* — Quoniam articulis Pacis Wiennensis adjectum

---

[1]) Vide superius Lib. II. cap.

[2]) Confer. Histor. Diplom. pag. 20. 21.

erat Absque tamen praejudicio Catholicae Romanae Religionis, videbantur haec verba cum tempore Protestantibus perniciem paritura (uti et evenit) per anomalam interpretationem, igitur expungi ea verba volebant, adhuc cum foederis tabulae combinarentur: quo sensu sint adjecta, Matthias Archidux sequenti Diplomate interpretatorio explanavit.

Nos Matthias Dei Gratia Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis et Goritiae, memoriae commendamus tenore praesentium significantes, recognoscimus et notum facimus, quod cum Splendidi et Magnifici Stephani Botskai de Kismaria eique adhaerentium Hungarorum Legati et Nuncii in tractatu cum ipsis proxime concluso, super quorundam articulorum correctione, additione et explicatione, scripto singulari die nona hujus mensis Septembris oblato supplicarunt: ob certas vero causas, illis expositas, hujusmodi correctionem, immutationem, aut additionem Tractatus jam hic conclusus et a Majestata confirmatus amplius non patiatur. Ideo nos ea omnia, quae praeter Paragraphum ultimum articuli primi in medium adduxerunt, ad proximam Diaetam revidenda et complananda remittimus, prout in hoc etiam Domini ablegati ex rationibus supra memoratis quoque consenserunt. Quod vero praedictum Paragraphum concernit, sicut omnia in dicto Tractatu bona fide acta fuerunt, ita etiam dictum Paragraphum in verbis, Absque tamen praejudicio Catholicae Romanae Religionis, usque ad finem non mala fide adjectum esse, sed ut utraque pars in eorum Religione et exercitio et Templis non turbentur. In cujus rei fidem hasce literas manu nostra subscripsimus et sigillo nostro communiri fecimus [1]). Cauti satis et circumspecti erant etiam in hoc articulo cum paciscerentur, tamen ea Clausula multas cum tempore in Hungaria peperit vexationes. Transylvaniae enim alia fuit Ratio, qui per Reformatos continuo Principes gubernabatur decimo septimo labente seculo.

§ IX. *Botskai moritur et turbae riviviscunt.* — Stephanus Botskai Princeps mortalibus exemptus anno 1606 die XXVIII Decembris. Clerus statim Hungaricus Pacis articulos urgebat apud Regem immutandos aut penitus tollendos. Rudolphus Imperator et Rex Hungariae retulerat ad Imperii Principes, cum Hungaros tumultuari videret, resque in praecipitium ferri. Qui Comitia tunc celebrantes die XXIV Augusti rescripserunt anno 1607, Pacis articulos cum Hungaris initae esse observandos. Nam (1 Pacta juramento firmata servanda sunt etiam Gentilibus a Christiana fide alienis, multo minus violanda cum Christianis. (2 Auxilia adversus Hungaros ipsis minime injurios se praestare non posse, nec velle, cum jam diu pro antemurali Christianitatis sunt, ideoque

[1]) Extat in Appendice Hist. Diplom. pag. 29.

minime oppugnandi. (3 Remedia violenta adversus Hungaros experientia docuit nihil profuisse [1]). Rudolphus igitur rejectis inconsultis interpellatoribus foederis Tabulis se adtrinxit servandis. Clero autem quiescere non volenti jussit insinuari (α Theologorum esse debet acquiescere in Privilegiis et praemiis in sacris literis sibi promissis. (β Considerent omnium litium, controversiarum et turbarum se esse auctores. (γ Cum alia sphaera Theologorum, Politicorum alia, hi circuli non sunt turbandi. Quod vero bona occupata, nec restituta concernit, imputent temporum necessitati, praestat sponte cedere aerario bellico [2]). Protestantes in Diaeta Posoniensi, quorum praecipuus tunc erat Stephanus Illyésházi in Palatinum anno 1608 creatus, omnes sese declararunt, se minime assensuros, ut articuli Pacis Wiennensis immutentur, praesentem potius subituri mortem. Cum igitur Rex suam et Regni Tranquillitatem inde pendere videret, eosdem confirmavit [3]).

§ X. *Matthias tempore coronationis confirmat.* — Ex eo tempore Pacis hujus Wiennensis primum Articulum veluti Legem fundamentalem de libero Religionis exercitio Reges Hungariae tempore Coronationis, ut et fundamentum Pacis conservandae confirmabant, quod ipsum sequentia in claro ponent lumine. Hungari enim in Regem elegerunt Matthiam Archiducem anno 1608, qui tempore Coronationis Pacificationem Wiennensem et liberum Religionis exercitium tali confirmavit articulo Legibus R. inserto:

Quantum itaque ad primum Constitutionis Wiennensis Articulum attinet, deliberatum est per status et ordines inclyti Regni Hungariae, ut Religionis exercitium, tam Baronibus, Magnatibus et Nobilibus, quam etiam liberis civitatibus ac universis statibus et ordinibus Regni, in suis ac Fisci Bonis, item in Confiniis quoque Regni Hungariae, militibus Hungaris, sua cujusque Religio et Confessio, nec non oppidis et villis eam sponte et libere acceptare volentibus ubique libera relinquatur nec quisquam omnium in libero ejusdem usu et exercitio a quoquam impediatur, quin imo ad praecavenda inter status et ordines aliqua odia et dissensiones, ut quaelibet Religio suae Professionis Superiores seu Superintendentes habeat, statutum est [4]). Conclusum pariter tunc est ut ad officia Palatinatus, Consiliariatus, Cancellariatus, Capitaneatus ad Tricesimas et quaevis in Civitatibus belloque officia absque discrimine Religionis, sive fuerit Protestantis,

[1]) Hist. Diplom. pag. 19 et Mss.
[2]) Ludwig in Reliquiis MSStorum Tom. V. pag. 297.
[3]) Thuanus in Cont. Lib. I pag. 3. Kazy Hist. R. H. p. 73.
[4]) Art. 1 ann. 1608. Revai in Monarchia pag. 125. Kazy Lib. 1 pag. 77.

sive Romanae Catholicae Religionis, qui Patriae servitiis habilior censeretur, assumatur [1]). Jesuitae nulla in Regno Hungariae bona stabilia et possessionaria habeant aut possidere valeant [2]). Episcopi et Clerici in Ecclesia, non vero in Politia praeessent officiis [3]).

§ XI. Conscriptos articulos Rex Diplomate sancivit Legibusque Regni ne unquam mutationem subirent inseruit. At vero ut ii observarentur non attendit, imo ipsemet confirmatus in solio Populum Austriacum in libero Religionis exercitio prohibuit [4]). In Hungaria quoque passus est multa patrari adversus articulos in Diplomate confirmatos. Nam in quibusdam locis Templa occupabantur, et libertas exercitii Religionis impediebatur; Rege requisito laesi nihil in suum inde retulerunt commodum. Cum viderent remedium aliunde non suppetere, a ferro decreverunt. Priusquam tamen destinatio in apertum erumperet bellum, Nuncios ad Imperii Principes ablegarunt, declarantes se suo nihil moliri Regi, verum libertatem conscientiarum defensuros adversus iniquos quosvis turbatores. Interposuerunt se hic tempestive Elector Saxoniae et Daciae Princeps Gabriel Bathori litemque exortam inter Hungaros et Matthiam eorum Regem in herba suppressam composuerunt [5]). Rex articulos antea conditos non solum confirmavit, verum etiam in Diaeta conclusum est, ut quicunque adversus eos articulos impingeret bis mille florenorum mulctam subirit [6]).

§ XII. *Transactio Tyrnaviensis.* — Gabriel Bethlen Transylvaniae Princeps per suos Legatos, Simonem Petsi Cancellarium, Sigismundum Sarmasági, Franciscum Balási Supremum Sedis Udvarhellyensis Capitaneum, anno 1615 Tyrnaviae tractabat cum Legatis Regis Matthiae, qui tractatus dicitur Transactio Tyrnaviensis, cujus Punctum sextum de Religione, sexta Maji conclusum ita sonat: Quantum ad Pacificationem Wiennensem in omnibus punctis et clausulis, in quantum cum libera Regis electione non constrariatur observabunt, atque secundum eam liberum religionis exercitium suae Majestatis fidelibus loco suo relinquitur [7]). Transactionem Tyrnaviensem totam additis etiam aliis necessariis articulis Commissarii Regis Hungariae, Petrus Pazman, Aponyi et Molard, cum Commissariis Transylvaniae Principis, Simone Petsi, Stephano Frater de Bélmezö, anno 1617 mense Septembri Tyrnaviae confirmarunt. Diplomata tam Regis, quam Principis publice extant [8]). Omnia rursum in Comitiis

[1]) Art. III. X. XI. XIII an. 1608.
[2]) Art. VIII ann. 1608.
[3]) Kazy Lib. I pag. 78, 79. art. VI an. 1608.
[4]) Caroli Memorab. Eccl. Tom. 1 pag. 368.
[5]) In Actis Compositionis MSS.
[6]) Art. XXIV, XLIV an. 1609. Art. XXV an. 1613.
[7]) Ex Transactione Tyrnaviensi Mss.
[8]) Ibidem et Kazy Hist. R. Hung. Lib. I pag. 129.

Posoniensibus anno 1618 sunt renovata et confirmata, quae respicerent Religionem [1]).

§ XIII. *Ferdinandus omnia Pacta confirmat.* — Rex Hungariae Matthias solatio liberorum destitutus commendabat in successorem sibi Hungaris Ferdinandum Caroli Archiducis filium, quod etiam etsi difficilime obtinuit, qui, cum eligendus et in Regem coronandus esset, articulos quos Hungari conscripserant et illi proposuerant, ut Privilegia eorum omnia, Jura, Libertates et omnes Pacificationis articulos conservaret, in Regimine suo absque Religionum discrimine omnia administraret, sacramento fidei confirmavit. Articulus ejus de Religione talis est: „Quod Religionis negotium inter universos status et ordines Regni, in suis ac Fisci bonis, item in confiniis quoque Regni Hungariae, militibus Hungaris, propter Regni tranquilliorem permansionem, juxta Constitutiones Wiennenses et articulos ante Coronationem editos, maneat liberum, illaesum et illibatum; ita videlicet ut Religionis exercitium, tam Baronibus, Magnatibus et Nobilibus, quam liberis etiam civitatibus universisque statibus et ordinibus Regni in suis ac Fisci bonis, item in confiniis Regni Hungariae, nec non oppidis et villis, illud sponte et libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur, nec quisquam cujuscunque status et conditionis existens in libero ejusdem usu ac exercitio Religionis a Majestate sua Regia et aliis quibusvis Dominis Terrestribus, quovis modo aut quovis sub praetextu, turbetur aut impediatur" [2]). Quem articulum cum caeteris ita confirmavit. Nos itaque praemissa supplicatione Fidelium subditorum nostrorum Dominorum Praelatorum, Baronum, Magnatum ac Nobilium aliorumque statuum et ordinum dicti Regni nostri Hungariae et partium ei subjectarum clementer admissa, praedictos universos et singulos articulos, nobis ut praemissum est praesentatos, de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus ac omnia et singula in eis contenta, ratos, gratos et accepta habentes, eisdem Nostrum Regium consensum benevolum pariter et assensum praebuimus, atque illos et quaevis in eis contenta authoritate nostra Regia, acceptavimus, approbavimus, ratificavimus et confirmavimus. Offerentes nos clementer, quod praemissa omnia in omnibus punctis, clausulis et articulis tam nos ipsi observabimus, quam per omnes alios fideles subditos nostros, cujuscunque status et conditionis existant, inviolabiliter observari faciemus. Imo acceptamus, approbamus, ratificamus et confirmamus harum nostrarum vigore et testimonio literarum. Datum in Civitate nostra Vienna, die decima octava mensis Augusti, Anno

[1]) Art. LXXVII an. 1618.
[2]) Art. II Conditio VI. an. 1622.

Domini Millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, Regnorum nostrorum Romani tertio, Hungariae et reliquorum quinto, Bohemiae vero Anno sexto[1]).

§ XIV. Ad hanc fidem et Diplomatis Regii sanctionem coronarunt Ferdinandum in Regem Hungariae freti ea spe, ut etiam Protestantes Pace fruerentur sub ejus regimine juxta articulos Pacificationis Wiennensis ab ipso quoque juramento confirmatos, cum sponderet nec se eos violaturum, nec aliis violari permissurum. Persuasi de eo erant et esse debebant, ut cum Rex sacramento fidei verba firmaret sua, non posse intervenire mutationem, cum in consortio humano nullum firmius et validius vinculum juramento sit. Eventus tamen voto et destinationi non respondit. His ita peractis mortalitate exemptus Matthias anno 1619 aetatis LXII, cui successit in Regimine jam electus et coronatus Ferdinandus.

CAPUT SECUNDUM.

De Statu Ecclesiae sub Regimine Ferdinandi Secundi et deinceps ad initia Regiminis Leopoldi Magni.

§ I. Sub Regimine Ferdinandi anno 1618 in Regem Hungariae coronati, sperabant Hungari tranquilitatem, quoniam stricto fidei juramento omnes eorum Leges et Pacis Wiennensis articulos, quibus plena omnibus Religionis libertas promittebatur, sanciverat; at spe sua frustrati sunt, nam universa Germania, Austria, Bohemia et vicina iis Regna sanguine maduerunt Christiano, ingentia ob Religionis oppressaeque libertatis bella. Fertur initio Regiminis in Lauretana Virginis Matris aede sacramento se obstrinxisse novas (ut vocabat) Religiones earumque Ministros e Styria, Carinthia, Carniolia, vel cum periculo capitis se ejecturum. Rex jam Bohemiae ad aram Cellensis Virginis fervens hoc suum votum ad Bohemiam, eique adnexas Provincias extendisse tandemque etiam ad Hungariam [2]). Saepius etiam ingeminavit malle solo scipione instructum ire cum conjuge et liberis in exilium, ac stipe ostiatim emendicata vitam tollerare, aut in frusta concidi, quam haereticos (quibus indigitabat Protestantes) in suis perferre Regnis [3]). Praecipuo amore flagrabat in

[1]) In Clausula articulor. an. 1622.

[2]) Kazy in Hist. Reg. Hung. Lib. IV pag. 319. Caroli Memor. Ecclesiast. Tom. I. pag. 480. 914.

[3]) Kazy ll. cc. pag. 321. Caroli ll. cc. pag. 914.

Jesuitas, suasque preces Deo offerri voluit per Ignatium Lojolam. Venerabatur Patronos praecipuos Joannem Baptistam, Petrum, Paulum Apostolos, Antonium Patavinum, Augustinum, Franciscum, Theresiam [1]). In literis ad Generales exercituum expeditis B. Virginem vocabat Generalissimam, quae omnes dirigeret ejus exercitus [2]).

§ II. Magna afficiebatur voluptate cum aliquem sua relicta Romanam audiret amplecti Religionem. Rudolpho Tiefenbachio ad Sacra Romana transeunti prae gaudio scripserat: Exosculararer tui capitis verticem si tibi praesens adessem [3]). Putatur centies centena millia hominum ad Romana traduxisse sacra; quapropter ire in Purgatorium necesse non habuit, sed ab exspiratione ex sententia Matthiae Episcopi Neostadiensis et Petri Pazmanni Archiepiscopi Strigoniensis, statim in coelo plenam consecutus est gloriam [4]). Quot ad fidem converterit Romanam incertum, at hoc certum est durante bello tricennali, quo Imperium Germanicum et sua Regna Romano conabatur subjicere Pontifici, fame, peste et ferro sub ejus regimine plures periisse centies centenis millibus, ita ut Provinciae quaedam populosissimae penitus sint desolatae et urbes excisae. In sola Urbe Magdeburgensi Tillius Ferdinandi Generalis, uno die plures quam triginta millia occidit et in Albim abjecit [5]). Ad opprimendos in Imperio Protestantes faciebat inventum, ut large Titulos suae Religionis consortibus impertiret, ita ut solo anno 1626 XXII Principes, LX Comites, CXX Barones crearet [6]): plures equidem ex his pauperrimi nil nisi Titulum habebant, tamen cum sessionem in Comitiis cum voto occuparent propositum Imperatoris suffragio suo egregie promovebant. Prohibitum tandem anno 1654 in Comitiis Imperialibus, ne titulares Principes et Comites imperator crearet [7]). In hunc quoque finem faciebat Mandatum die sexta Maji anno 1624 publicatum, ut quicunque Bona Ecclesiastica possiderent a Transactione Passaviensi anno 1552 facta, reddant Clero Romano [8]), qui obedire recusarent, eos reputaret pro manifestis Imperii hostibus exilio multandos: executionem etiam sententiae orsus est anno 1630 in Ducatu Würtembergensi.

§ III. Talis erat zelus Ferdinandi erga suam Religionem, qui quamvis ad pacta fide se obligasset servanda, tamen cum semel persuasus fuerit Haereticis datam fidem non esse servandam, quietus in conscientia esse

---

[1]) Kazy ll. cc. pag. 322.
[2]) Caroli ll. cc. pag. 914.
[3]) Kazy ll. cc. pag. 320. Caroli ll. cc. pag. 914.
[4]) Kazy ll. cc. pag. 326.
[5]) Hejdegg. Histor. Papat. pag. 345.
[6]) Caroli ll. cc. pag. 670.
[7]) Idem.
[8]) Hejdegg. Hist. Pap. pag. 345. Berniera in Compendio Hist. pag. 133.

potuit, et libere ea posthabere, quae promiserat. In initio statim Regiminis turbae exortae non solum in Hungaria, sed et vicina ei Transylvania. Nam plenam Jesuitis concedendo libertatem (qui juxta articulos Wiennensis Pacificationis per Matthiam ipsumque Ferdinandum juratos ne Bona quidem in Hungaria possessionaria habere poterant) vexabantur Protestantes, palamque factum, quod dicebatur: Ferdinandum ore Evangelicis, corde Romano jurasse Pontifici [1]).

Jesuitae in suam quosdam ex Magnatibus pertrahentes sententiam varias inferebant molestias et injurias Ecclesiis Evangelicis, Templa vi eripiebant, occludebant, V. D. Ministros Parochiis proturbabant, quovis modo male eos habere, Religionem opprimere, non intermittebant, quibus conniventior Rex medelam querulantibus non adhibuit, unde tandem orti tumultus et enatae Regnorum eversiones.

§ IV. *Bethlenius Hungariam cum Corona occupat.* — Gabriel enim Bethlen gloriosae memoriae Transylvaniae princeps oppressionem consortium in fide amplius ferre non valens nec volens, Jesuitas Claudiopoli ejecit, edito gravi edicto, ne unquam in Transylvania invenirentur, qui non pridem per Georgium Homonnai Principis aemulum clam irrepserant [2]). In Hungariam valido profectus cum exercitu, inde quoque velut Pacis turbatores publicae proscripsit, Regnum cum corona occupavit, Austriam et vicinas Ferdinandi Provincias evastavit, anno 1620 in Regem electus Hungariae, a Coronatione etsi Coronam ad manus haberet prudenter abstinuit, Templa, Parochias, Scholas Protestantibus erepta reddidit, Tyrnaviae scholam fundavit et XXIV Alumnis necessaria ad subsistentiam ordinavit, omnia in feliciorem redigens statum, cum Ferdinando Pacem iniit, qui omnes prius concitos in negotio Religionis articulos ratihabuit et anno 1622 Diplomati suo inseruit [3]). Ex Hungaria in Transylvaniam rediens Bethlenius, prior sors mansit Hungaros, turboque religiosus caligine involvit sua Protestantium Ecclesias. Princeps animadvertens se delusum Pacisque conditiones non observari, Jesuitas in Regnum rediisse, oppressos in Religione Protestantes, movit cum exercitu rursus in Hungariam, quam facili negotio occupavit, Jesuitas ejecit, oppressos eliberavit, Provincias Caesaris Stiriam, Austriam, Moraviam depraedatus, coegit Caesarem Pacem secum inire, in qua anno 1624 Puncta Religiosa Caesar confirmavit [4]).

§ V. Nisi pro sustinendo Religionis Protestantium inter Hungaros statu Daciae Principem tunc velut e machina summus rerum omnium

---

[1]) Histor. Persecut. Bohemiae pag. 145. Hejdegg. ll. cc. pag. 340.
[2]) Caroli Memorab. Ecclesiast. pag. 400. Hist. Ref. pag. 355.
[3]) Art. II an. 1622. Thuan. in Continuat. Lib. XI.
[4]) Art. XXII, an. 1625.

Moderator protulisset, eo res decidisset eorum, quo in aliis Imperatori subjectis haereditario jure provinciis defluxerat. Ferdinandus enim liberum Religionis exercitium in Austria, Carinthia prohibuit et sustulit. Wiennae civibus edixit aut Romana amplectendi sacra, aut ex urbe discedendi necessitatem [1]). Bohemi oppressionem libertatis in Religione in aliis Gentibus observantes veriti, ne eadem eos sors maneat, ut se in statu conservare possent suo, Rege Ferdinando repudiato elegerunt Fridericum Electorem Palatinum, quem etiam anno 1619 Pragae coronarunt. Adversus hunc Ferdinando auxiliares decrevit Papa Romanus mittere copias, qui etiam Cleri totius Italiae decimas ad hoc bellum convertit, quod etiam Episcopi in Regno Ferdinandi praestiterunt. Principes etiam Catholici de ferendo ipsi auxilio Ligam inierunt. Bohemi, quos in acie prodiderat supremus Friderici Belli praefectus Generalis anno 1620 die VIII Novembris victi sunt, Praga simul cum Regno Bohemiae cessit victori Ferdinando, qui recepit Bohemos in gratiam sub fidei juramento, at ex tenore Concilii Constantiensis observavit, Haereticis datam fidem non esse observandam [2]). Brevi tempore varia arte adhibita aere et divitiis Bohemi tam Magnates quam Ministri et infima plebs emuncti sunt, certam summam mulctae nomine imponendo aut mutuando et vi extorquendo, denique Monetas adulterando et valorem augendo minuendove [3]). Edicto proposito Anabaptistae anno 1622 discedere jussi tempore autumni cum omnia jam collegissent; qui Possessionibus et quae haberent relictis, solis uxoribus et liberis secum assumptis discesserunt in varias oras, pars Transylvaniam ingressa, Alvincini Princeps locum habitationis concessit [4]).

§ VI. *Ministri inaudita crudelitate vexati.* Ministri Evangelii in Bohemia et Moravia praecipue per milites et clerum inaudita crudelitate sunt vexati et excarnificati. Producam quaedam exempla e Catalogo miseriarum ea aetate edito [5]). Wenceslaum Woticium Bistricii in Moravia Pastorem morbidum et lectulo affixum, neque senii, neque morbi habita ratione, milites Poloni non solum spoliarunt, sed etiam anno 1620 die V Februarii plumbea glande trajecerunt; sequenti die Paulum Capitonem itidem Pastorem domi suae vulneribus aliquot confossum crudeliter trucidarunt. Paulus Mollerus cum concionem ad populum haberet, a Caesarianis facta irruptione in Templo glande trajectus sclo-

---

[1]) Kazy in Hist. Regni Hung.
[2]) Histor. Persec. Bohem. Cap. XLIV. pag. 154.
[3]) Confer. ll. cc. Cap. XLVI pag. 166.
[4]) ll. cc. Cap. XLV pag. 159. 160.
[5]) Confer. Persecution. Bohemicam. Cap. L et sequentia.
[5]) Laeti in Compend. Historiae Universalis pag. 529.

petaria, exspiravit. In oppidulo prope Kutenbergam Festo Nativitatis Christi sacer coetus a milite immisso oppressus, Sacramenta conculcata, feminae in ipso Templo constupratae ac spoliatae [6]). Paulus Welwarius, qui inter Ministros opulentior habebatur, acerrime exagitarunt, jam carbonibus, jam glaciei superimponentes, donec mille quingentos florenos persolvisset, post aliquot tamen dies doloribus illis confectus exspiravit. Johannem Mosen Pastorem cum uxore captum crudelissimis ad mortem flammis ustularunt. Eodem mortis genere Laurentium Curtium simul cum conjuge virum sexagenario majorem interemerunt. Paulus Pssenitzka Bohdaloviae Pastor, prope septuagenarius ab impio milite ad genitalia suspensus et suppositis suismet accensisque libris, ustus, cum inter cruciatus misericordiam imploraret, a quodam ex istorum numero glande plumbea trajectus fuit, atque ita istius misericordia dolores et vitam finiit. Johannes Buflerus Vyprachticensis Pastor productus a militibus foras, alligatus fuit arbori ad quem illi collimando sclopeta explodebant, ita fortassis ne ferirent, tamen terroribus exanimatus tertio post die exspiravit. Cyprianus Peschinus vir insigni eruditione et authoritate apud Kutebergenses a militibus in captivitatem raptus, pretio quatuor millium florenorum redemptus fuit, tamen in exilio vitam finiit. Plura exempla qui legere cupit ibidem inveniet. Anno 1624 ex universa Bohemia Ministri Evangelii proscripti sunt; qui statim obedire noluerunt, aut non potuerunt, rapti sunt in carceres: in locum vero discedentium Ecclesiis obtrusi Jesuitae et Monachi.

§ VII. Magnatibus spes veniae facta, si positis armis quieti in Regno manerent et cum Ferdinando sentirent. Spe tamen delusi plures quam quinquaginta in captivitatem adserti, viri pietate, prudentia, animi robore, experientia, prae caeteris insignes, qui juventutis annos bonis artibus, armis, peregrinationibus, Legationibus, Ecclesiae, Reipublicae, Bellique muniis transmiserant. Qui dum vexarentur nihil aliud respondebant: Libertatis nos et Religionis amor stringere coegit gladium. Quia vero Deus Caesaris praevalere voluit gladium et nos in vestras tradere manus, fiat voluntas Domini [1]). Quanto gaudio exultabant et quas habebant consolationes hi Proceres, cum suo sanguine Doctrinam Christi sanguine fundatam signarent, nemo sine lacrumis sonantissima ultima eorum verba legerit [2]). Possessiones Procerum e vita sublatorum et eorum, qui Regno profugi vitam conservarant, Italis, Hispanis, Germanis et qui possessionis suae permutatione fortunam auspicabantur, sunt collatae, atque ita Regnum Bohemiae modo vario est desolatum. Completumque quod Ferdinandus

[1]) Hist. Perse. Bohem. Cap. LIX pag. 211.
[2]) Conf. ll. cc. Cap. LX—LXXXVII.

respondere solebat Cardinali Cleselio Episcopo Wiennensi, mitius cum Bohemis agendum suadenti: Malo Regnum desolatum, quam damnatum [1]). Cardinalis quoque pro consilio mitiori luit poenam, delatus enim, ac si cum Bohemis sentiret, aliquot annorum expertus est captivitatem.

§ VIII. Cum Ministri et scholarum Magistri e Regno essent proscripti, Wiennam abiit Carolus Baro a Zerotin, qui in fidelitate Ferdinandi semper perduraverat querelas depositurus cur eadem poena cum inobedientibus puniretur, responsum a Consiliariis Caesaris: Male ita Reformationis negotium intelligi, quasi poenae irrogandae causa instituatur, quum potius sit pars paternae curae, quam Caesar pro salute Regnorum et provinciarum suarum gerat. Exhorruit ad haec Baro tenebris olim pressas machinationes tam aperte nunc prodi. Sed eorum responsioni non aequiescens cum ipso Caesare expostulavit. Caesar nihil sibi aliud per conscientiam licere, dixit; ad quem Zerotinius: Se conscientia aeque obligari Deo, rogare proinde, ne gravatam eam Caesar cupiat. Non gravare se eam, excepit, sed Praedicantes ferre non posse. Tum Baro: Se sacro Dei cultu carere non posse, neque hunc absque Ministris verbi peragi. Hac protestatione facta discessit et Ministrum in Aula sua intertenuit [2]). Anno tandem 1624 mense Julio sequentes in Regno sunt publicati Articuli:

1. Quicunque cum Caesarea Majestate in religione consentire abnuunt, iis omnibus omni negotiatione et opificiis interdicatur.

2. Quicunque domi suae clandestinam Praedicationem, Baptismum vel Copulationem permiserit, centum Thaleris luat, aut si id nequeat, carcerem sex mensium ferat. Qui vero Praedicatorem domi suae fovere deprehensus fuerit, bonorum et capitis damnas esto.

3. Pastor loci ordinarius Catholicus neminem non Catholicum mortuum ad sepulturam ceremoniis comitetur, sepulturae tamen pretium eidem persolvatur.

4. Diebus Catholicis festis, si quis operas serviles exercuerit, incarceretur, nec dimittatur nisi exsolutis decem florenis.

5. Si quis Missae tempore in caupona fuerit deprehensus, decem florenos pendat, caupo ipse duplum.

6. Quicunque sacerdotem Catholicum ejusve concionem, verba, gestus eoque modo Catholica sacra irriserit, proscribatur, bona vero ejus confiscentur.

7. Si quis absque Archiepiscopi indultu diebus vetitis carne vescatur, decem florenos dependat.

---

[1]) Il. cc. pag. 152. Caroli Memorabil. Eccles. ad

[2]) Laeti in Compendio Historiae pag. 529. Histor. Pers. Boh. pag. 295.

8. Quoties aliquis Pater familias diebus Dominicis et festis Missae non interfuerit, toties pendat quatuor libras cerae opulentior, tenuior vero censu duas.

9. Juventus per omnes urbes, oppida, vicos consignetur, qui filios in Scholis non Catholicis habent ad omnium Sanctorum diem hos revocent sub poena ditioris cujusque 50 florenorum, pauperioris 25.

10. Si quis clam in domibus juventutem instruit, ei auferantur omnia, ipse autem per Lictorem urbe ejiciatur.

11. Testamenta nemini non Catholico condere liceat, si condiderit, nullius valoris sunto.

12. Nemo adolescentum, sive sint Parentum liberi, sive pupilli, ad ullas artes et opificia admittatur, nisi Catholicam perdidicisset Religionem.

13. Si quis de Deo, Deipara Virgine, Sanctis, ritibus Ecclesiasticis, gloriosa item Austriaca domo, indecori aliquid fuerit locutus, aut decantaverit, is absque omni gratia poenam luat.

14. Quicquid ullus civium, in Catholicae Religionis ignominiam in domo sua, intus vel extra, pictum habet, id ut mox sub poena triginta florenorum deleri curet. Similiter quicquid portis, Templis aliisve publicis locis sculptum aut pictum, confringi, eradi, induci memoriamque Christi crucifixi aut aliud quid substitui faciant.

15. Pauperes in xenodochiis, nisi ad Festum omnium Sanctorum, hoc ipso anno fuerint conversi, ejiciantur neque posthac nisi Catholici recipiantur. Clausula fuit: S. S. C. Mtis Domini omnium nostrum Clementissimi immotae voluntati satisfiet &c [1]).

Carolus Princeps de Lichtenstein.

Edictum promulgatum est, quo non Catholicae Catholicorum uxores exilio quoque mulctandae, nisi resipuissent, declarabantur. Sed cum plurimi e primoribus Regni officialibus uxores Evangelicas haberent, neque iis carere vellent, Mandatum anno 1629 immutatum ita est, ut illae quidem ad Maritorum mortem tollerabuntur, sed post haereditate excludentur et in exilium mittentur. Interea vero a nuptialibus, aliisque convivialibus solemnitatibus abesse, aut certe infimum post Catholicas occupare locum ad terrorem incutiendum jussae sunt [2]).

§ IX. Talis erat facies Ecclesiae in Bohemia sub Regimine Ferdinandi Regis. Praeter eos qui crudeli morte sublati sunt, aut in Regno latitabant, qui in Religione constantes erant anno 1630 numerati sunt in exilio plures duodecim millibus, qui in Angliam, Belgium et Hungariam,

---

[1]) Hist. Persecut. Bohem. pag. 315.
[2]) Ibidem pag. 306.

praecipue ad ditiones Familiae Rakotzi se receperunt. In exilio inventae sunt tunc Baronum et Magnatum familiae 185, Ministri 100, ex ima plebe innumeri [1]). Tunc facta est in Bohemia ingens Familiarum et Religionis immutatio inductione novarum Familiarum per antiquarum eversionem. Conabantur equidem statum Bohemiae post aliquot annos Sueci et alii Protestantes eam armis occupantes restituere; at sublatis praecipuis familiis, quarum loca aliae occuparant, et juventute a lacte materno abstracta, inque Religione Romana educata, fieri minime potuit. Scholas enim omnes occuparant Monachi Jesuitae et qui ex eorum scholis prodierant. Talis quoque sors Ecclesias Hungaricas tunc mansisset, ni Mundi Gubernator Daciae Principem ad sustinendum Religionis statum e machina quasi produxisset. Qui tamen mortalitatis legem implevit die XXV Novembris anno 1629, Regiminis XVII, aetatis suae XLIX, gloriosam et dulcem Posteris relinquens memoriam.

§ X. Senserunt excessum e vita tanti Principis Protestantes. Ferdinandus enim Rex Hungariae nihil eorum praetermisit, quae ad oppressionem faceret Reformatae Religionis. Jesuitae Romanae Ecclesiae promachi in Regno collocati; Episcopis in Ditionibus pro lubitu agendi potestas permissa. Proceres quocunque modo ad suam Romanam Religionem pertrahere conatus est, in quo negotio praecipue usus ministerio Jesuitarum, in specie vero alacritate et ingenio Petri Pazmanni; qui praemium tandem accepit laborum Archiepiscopen Strigoniensem; quem Urbano Pontifici ad eam commendaverat dignitatem promovendum [2]) anno 1629. Templa Protestantium rursum occupabantur, Ministri Ecclesiis ejiciebantur, libertas exercitii Religionis sufflaminabatur, in quibusdam vero locis aere redimebatur. Episcopus Vaciensis Paulus Almási circumjacentes eousque vexavit Ecclesias Reformatas, donec aliquot florenorum centuriis a Purpurato Budensi Protectionales procurarent pro Monachis in ditione mendicantibus [3]).

§ XI. *Georgius Rákótzi Religionis defensor.* — Transylvaniae Princeps Georgius Rákótzi Gentis suae et libertatis in Religione oppressione affectus, cum medelam speraret morborum nullam, ferro instantiam promovere statuit, instigatus etiam ad hoc audendum et exsequendum a Rege Sweciae anno 1632, qui dum sublatam in Imperio Protestantium libertatem videret, eam, bello Ferdinandum adortus, restituere conabatur. At Princeps Rákótzius a turbis domesticis revocatus Pacem cum Ferdinando fecit, ita tamen ut se articulis ante coronationem suam acceptatis et juratis conformaret. Articulus talis est: „In negotio Religionis ut art. 1 anni 1608 ante coronationem editus,

[1]) Laeti Compendio Hist. pag. 530.
[2]) Belius in Notitia Hung. pag. 509.
[3]) Historia Reform. pag. 364.

et conditio sexta in suo vigore maneat, statutum est"[1]).

Articulus mansit in vigore, quousque turbis metuque exsoluti sunt Ecclesiae oppressores, non amplius. Turbabat enim non solum clerus, verum etiam Regni Palatinus Nicolaus Eszterházi, qui in aliis etsi lites cum Pazmanno haberet, in Religione Protestantium opprimenda eadem sentiebat. Parentibus hic natus Reformatis, Romana in juventute amplexus erat sacra, ut compendiosius ad honorum emergere posset fastigia, evasit maximus Protestantium in Religionis libertate oppressor. Comes Adamus Battyani anno 1634 a Reformatis ad Catholicos desciscens Transdanubianas Ecclesias earum partium Generalis existens infense vexabat, Ministros Evangelii omnes ditioni suae subjectos exulare jussit[2]) idque dicebat se facere ad honorem B. Virginis et Ecclesiae emolumentum. Soproniensibus gravis pecuniae summa imperata et extorta, Templum addictis Augustanae Confessioni abjudicatum eo argumento, quod olim Catholici aedificassent[3]). Simili fato anno 1635 cisDanubianae urgebantur Ecclesiae; Joannes enim Homonnai Cassoviensis Generalis, cujus pariter Majores erant Reformati, in illis oris Templa Reformatorum occupabat[4]). Posonienses Lutherani, ne templum perficere possent prohibiti, quod jam diu magnis sumptibus aedificabant et proximi ad absolvendum erant.

§ XII. Ferdinandus Secundus Imperator idemque Rex Hungariae anno 1637 exspiravit, quem brevi secutus est Petrus Pazman, Archiepiscopus, at vero calamitates Ecclesiarum Helveticae et Augustanae Confessioni addictarum minime exspirarunt, sed transierunt etiam ad tempora Ferdinandi Tertii Hungariae Regis, qui in Regem erat electus adhuc anno 1625, postquam more jam recepto Hungaros in libertate et libero Religionis exercitio conservaturum promisisset. In initio Regiminis anno 1638 urgebant Protestantes in Comitiis, ut Articulos de Religione conditos confirmaret, quibus se acerrime opponebant Romano Catholici, Diplomati tamen inseruit in haec verba;

„Quod universas et singulas Regni libertates, immunitates, Privilegia, statuta, jura et consuetudines, simul et conclusionem Tractatus Wiennensis, omnesque articulos in eodem comprehensos, ita et reliquos ante et post coronationem Matthiae Secundi felicis reminiscentiae in annis 1608, 1609, item modernae Imperatoriae ac Regiae Majestatis anno 1622 editos et in praesenti 1625 ac in futurum edendos, in omnibus suis Punctis, clausulis et articulis sua Serenitas firmiter et sancte observabit per aliosque omnes inviolabiliter observari faciet.

---

[1]) Art. XXIX an. 1635.
[2]) Hist. Reform. pag. 378.
[3]) Caroli Memorabil. pag. 853.
[4]) Hist. Reform. pag. 383.

Quod religionis negotium inter universos status et ordines Regni, in suis ac Fisci Bonis, item in confiniis quoque Regni Hungariae propter Regni tranquilliorem permansionem, juxta constitutiones Wiennenses et articulos ante coronationem editos, maneat liberum, illaesum et illibatum, ita videlicet ut Religionis exercitium tam Baronibus, Magnatibus et Nobilibus, quam liberis etiam civitatibus, universisque statibus et ordinibus Regni, in suis ac Fisci Bonis, item in confiniis Regni Hungariae, nec non oppidis et villis, illud sponte et libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur, nec quisquam, cujuscunque status et conditionis existens, in libero ejusdem usu ac exercitio Religionis a Majestate sua Regia, et aliis quibusvis Dominis terrestribus quovis modo aut quovis sub praetextu turbetur aut impediatur" [1]).

§ XIII. Non attentis Regiis hisce et juratis promissis clerus cum Proceribus quibusdam Catholicis, quos ille in suas pertraxerat partes, non ita multo post admodum graves Reformatae Religioni excitavit persecutiones. Templa adimebantur aut occludebantur, Ministri in exilium ire jubebantur, silente ad haec Rege alioquin justissimo ac aequissimo [2]). Cum Protestantes animadverterent nihil se instantiis suis promoturos, consultabant, quid tanto in discrimine agendum esset. Recurrebant ad Transylvaniae Principem, qui apud Regem pro iis intercessit rogavitque ut promissis et jam pridem concessis libertatibus conservaret, Templa, quae ad trecenta numerabantur adempta, restitui mandaret, et unumquemque ex sacramento fidei, in sua conservaret libertate. Cum intercessio parvi aestimata, effectum nullum sortiretur, unde fructus aliquis sperari posset, confoederationem Rákótzius cum Sveco tunc in Imperio grassante iniit, apparatum bellicum derepente fecit et contracta LXX millium manu anno 1644 adversus Caesarem movet [3]), causas motus sui evulgavit: oppressam Hungariae libertatem: articulorum tempore coronationis neglectum: Protestantes opprimi et a muniis Regni civilibusque arceri; querelas eorum non exaudiri: Templa per Jesuitas occupari, qui in Regnum reducti, pacem turbant: Magnates Ministrosque ob respectum Religionis in exilium mitti: his accedit sui et Principissae dehonestatio per scriptum cujusdam in ditione suae Majestatis degentis, de quo quamvis iterato Regia Majestas requisita exstiterit, tamen satisfactio nulla secuta.

§ XIV. *G. Rákóci paciscitur cum Ferd.* — Exercitu suo in Hungariam progressus eam occupavit, imo penetravit in Silesiam et Moraviam. Caesar cum undique se pressum sentiret, ad Pacis conditiones descendit,

---

[1]) Art. 1. Conditio I et VI an. 1638.
[2]) Conf. Hist. Ref. 391. Nadanyi in Floro Hung. pag. 377 Hist. Diplom. pag. 41.
[3]) Kazy Hist. Reg. Hung. Lib. V pag. 57 — 60.

et omnia, quae Rudolphus in Pacificatione Wiennensi, aliique Reges ante eum concesserant, concessit Diplomateque sanxit; ubi appositum est etiam illud: Contradictionibus Dominorum Cleri, et aliorum quorumvis secularium Catholicorum non obstantibus, imo iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus acceptarunt, approbarunt et confirmarunt. Ita articulus quintus Decretis insertus Diploma Regium Pacificationis continens sonat: „Quandoquidem sua Majestas sacratissima pro paterna sua clementia nuper exortas in hoc Regno internas dissensiones placidis mediis componere, ac cum Illustrissimo Principe Transylvaniae, Domino Georgio Rákótzi et sibi adhaerentibus, medio certorum commissariorum suorum sub certis conditionibus pacem facere, clementer dignata fuerit, Diplomatique super eadem Pace emanato, ut status quoque et ordines Regni assensum suum praeberent, ab iisdem benigne postulaverit. Iidem fideles status et ordines Regni suae Majestatis benignae requisitioni humilime annuentes, idem Diploma Majestatis suae sacratissimae, praesentibus constitutionibus inserendo, contradictionibus Dominorum Cleri et aliorum quorumvis secularium Catholicorum non obstantibus, imo iisdem in perpetuum, nullum vigorem habentibus, acceptarunt, approbarunt et confirmarunt: cujus quidem Diplomatis haec est series.

Nos Ferdinandus III Dei Gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus ac Germaniae, Hungariae &c Rex &c &c.

Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes quibus expedit Universis: Quod cum superioribus proxime elapsis temporibus certi motus intestini et hostilitates in Regno nostro Hungariae exortae fuissent exindeque Pax et Tranquillitas, Regnique quies perturbata exstitisset, Nos paterna et benigna affectione moti, ejusmodi suscitatos tumultus, ut Christiani sanguinis effusioni parceretur, sublatisque e Regno quibusvis dissidiis, indigenae quiete et tranquillitate perfruerentur, placidioribus potius Transactionis mediis quam armorum vi sopitos et compositos cupientes ad postulata et praetensiones Illustrissimi Georgii Rákótzi Principis Transylvaniae quarundam partium Regni Hungariae Domini Siculorum Comitis ac eidem adhaerentium Hungarorum Nos clementer declaravimus, quarum etiam benignarum concessionum nostrarum series, quemadmodum tum in Tractatu Tyrnaviensi, quam etiam ultimate medio Ablegati ad praefatum Principem Transylvaniae Fidelis nostri Egregii Johannis Törös alias Camerae nostrae Hungariae Consiliarii conventum est, sequitur in hunc modum:

Primo. Quantum ad negotium Religionis attinet articulo 1 anni 1608 ante coronationem edito, et Diplomatum Regiorum conditione sexta, aliisque subsequentibus superinde Regni Statutis, in vigore relictis, diversisque hactenus impedimentis et interpraetationibus non obstantibus,

declaratum et conclusum est, quod omnes Status, et ordines Regni, ipsaeque liberae civitates, nec non oppida Privilegiata, et milites Hungarici in confiniis Regni, liberum habeant ubique suae Religionis exercitium, cum libero Templorum, campanarum et sepulturae usu, nec quisquam in libero suae Religionis exercitio, a quoquam, quovis modo, aut quovis sub praetextu turbetur et impediatur.

Secundo de non impediendis seu turbandis Rusticis in sua confessione declaratum et conclusum est, ut illi quoque propter bonum Pacis et tranquillitatem Regni, sive sint confiniarii, sive oppidani sive villani in quorumcunque Dominorum terrestrium, et Fisci Bonis juxta vigorem praescripti articuli et conditionis in libero suae Religionis exercitio ac usu, modoque ut supra simili a sua Majestate Regia, vel ejusdem Ministris aut Dominis suis Terrestribus quovis modo aut quovis sub praetextu non turbentur aut impediantur, hactenus autem impediti, coacti et turbati, liberum Religionis ipsorum usum reassumere, exercere, et continuare permittantur neque ad alias, Religioni ipsorum contrarias, cerimonias peragendas compellantur.

Tertio concordatum etiam est inter Nos, ut in posterum ab eorundem oppidanorum et villanorum Parochiis Ecclesiae Pastores sive concionatores, per quoscunque amoveri et exturbari neutiquam possint, qui autem hactenus amoti fuissent, liceat ipsos reducere, vel alios loco ipsorum substituere.

Quarto. Quaestiones vero circa gravamina, negotium Religionis et occupationes Templorum concernentes, tam quae in anno 1638 suae Majestati exhibita sunt, quam post subsecuta in futura primitus celebranda Regni diaeta propter Regni tranquilliorem permansionem unionemque animorum ut vel amicabili Dominorum Regnicolarum compositione sopiantur, vel auctoritate suae Majestatis finaliter complanentur cum satisficatione Evangelicorum. Ac pro quibus usus Templorum determinabitur, proventus Parochiarum quoque ad eosdem pertineant, nec ultra occupationes Templorum fiant. Ea autem Templa, quae hoc disturbiorum tempore violenter utrinque occupata fuerunt, statim post permutationem Diplomatum praedictis Evangelicis restituantur, prouti etiam Catholicis. Gravamina autem futuris quoque temporibus in eodem negotio Religionis emergentia, tam Catholicorum, quam Evangelicae confessionis hominum, quam etiam alia gravamina Regnicolarum, tam Evangelicorum, quam Catholicorum, secundum septemdecim conditiones, sua Majestas singulis Diaetis plenarie complanabit, absque injuria Evangelicorum.

Quinto. Accordatum quoque est ut sua Majestas contra transgressores statutorum etiam in negotio Religionis in futura Diaeta vel articulum VIII Decreti VI Uladislai Regis renovandum et observandum curabit, vel

etiam condignam poenam, cum certo Executore statuere dignabitur.

Sexto. Praemissa omnia pro uberiori declaratione statutorum tollendisque ulterioribus Regnicolarum dissensionibus, ut in primitus celebranda Diaeta confirmentur publicisque Regni statutis inserantur conclusum est.

Septimo. Caetera sub hac Pacificatione utrinque agitata et tractata, utpote sedis spiritualis status, Patrum Jesuitarum Personalis a Regno abstinentia; Decreti Andreae Secundi per Ludovicum primum facta confirmatio de Arendationibus Decimarum articuli LXI anni 1548 renovatio et cum effectu observatio, de non abalienationibus bonorum Aviticulorum per Ecclesiasticos sive seculares factis vel fiendis, de Personarum ad Diaetam convocari solitarum discretione atque vocum in eadem Diaeta collectione et suffragiorum examine; de Militis extranei juxta articulum XXIV anni 1625 e Regno eductione, similiter de non eductione Militum Hungarorum de confiniis Regni; de Distributionibus Honorum et officiorum Regni majorum vel minorum sine Religionis discretione; de Administratione Juris et communis justitiae nec non omnium Tractatuum ratione Hungariae cum Turcis vel aliis quibusvis Nationibus, per nativos Hungaros seculares institutione ac aliis etiam omnibus libertatem Patriae atque defensionem et conservationem Regni et Regnicolarum concernentibus negotiis, ut primis statim comitiis aliquid certi de iis statuatur vel jam statuta ibidem de facto effectuentur, simili modo conclusum est.

Octavo. Eandem autem generalem Regni Diaetam, ut sua sacratissima Caesarea et Regia Majestas, intra spatium trimestre a die finiti praesentis Tractatus et commutandorum Diplomatum, sedatis tumultibus cum Principe Transylvaniae clementer promulgare et sine ulteriore dilatione seu rejectione ita celebrari facere dignabitur, ut omnibus ad Diaetam Regni, juxta Articulum I An. 1608 post coronationem edictum, vocari solitis, tute ibidem comparendi et agendi potestas cum solita ab antiquo libertate Diaetae fiat. In qua etiam caeteri Articuli bonum Regni concernentes, hactenus non effectuati, juxta Articulum LXXII anni 1638 realiter effectuentur et observentur.

Nono. Amnistiam generalem omnibus et singulis Regnicolis sua Majestas sacratissima juxta formam Amnistiae prioris Pacificationis Wiennensis concedere dignabitur, ita ut etiam bona universa et jura possessionaria sub his disturbiorum temporibus, per suam Majestatem vel Dominum Palatinum Regni, vel alios quibuscunque donata, collata et inscripta, vel quoscunque fideles suae Majestatis quovis modo occupata et adempta prioribus Possessoribus vel eorum Haeredibus, statim et de facto remittantur et restituantur. Similiter etiam ex parte Regnicolarum supplicantium reddantur, et super hujusmodi Amnistia peculiare Diploma sua Majestas sacratissima concedere dignabitur.

Nos itaque praescriptas universas et singulas concessiones et articulos, ac omnia et singula in iis contenta prout iidem tractati et conclusi sunt, atque hisce literis nostris de verbo ad verbum inserti, acceptamus, approbamus et ratificamus, assecurantes praefatos Principem Transylvaniae eique adhaerentes ac etiam universos et singulos status et ordines inclyti Regni Nostri Hungariae in verbo nostro Regio et bona fide Christiana, quod eos omnes et singulos articulos, in omnibus eorum punctis et clausulis, tam Nos ipsi sancte et inviolabiliter observabimus, quam etiam per alios omnes subditos nostros, quorum interest vel intererit, cujuscunque status et conditionis sint observari faciemus. Ad quod observandum etiam successores nostros, legitimos scilicet Hungariae Reges, obligatos esse volumus.

Harum nostrarum manus nostrae subscriptione roboratarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in Arce Nostra Lincensi Austriae superioris die XVI mensis Septembris anno Domini Millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, Regnorum Nostrorum Romani nono, Hungariae et reliquorum vigesimo, Bohemiae vero anno decimo octavo" [1]).

§ XV. In aliis quoque articulis negotia Religionis excussa sunt ac determinata, veluti Articulo Sexto specificantur Nonaginta Templa Protestantibus readjudicata et reddenda. Septimo adhibetur interpretatio ne filiales Ecclesiae sub specificatis Templis subintelligantur, nisi expresso nomine designatae. Quod si vero Mater Ecclesia sit apud Catholicos, filialis apud Evangelicos et e converso Mater apud Evangelicos, filia apud Catholicos, una pars ab altera non molestetur et licitum sit Rusticis Evangelicis si voluerint Religionis ipsorum Ministrum eo inducere et intertenere, aut ad conciones audiendas alio ire. Articulus Octavus tractat de reassumptione exercitii Religionis Helveticae et Augustanae confessionis hominum in Civitate Szakolzensi commorantium: Fundi Templorum et Domorum Parochialium cum scholis Evangelicorum Tyrnaviensium, a censibus civilibus exemptione et opificibus Evangelicis, in Celvis constitutis. Nonus de structura Templorum et libero exercitio Religionis in confiniis Jaurinensi, Levensi, Tihaniensi, prout etiam oppidis Rev-Komáromiensi et Holitziensi. Decimus de Templorum, Parochiarum et scholarum in iis locis, ubi Templa occupata et in gravaminibus specificata pro Catholicis remansissent, aedificatione. Undecimus status Evangelicos Catholicis Plebanis solvere prohibet, et vice versa, Proventus vero Ecclesiae Ungvariensis a Ministro Reformato possidendos statuit. Duodecimus de Proventu stolari modum figit. Decimus Tertius de Templis in disturbio occupatis Possessoribus reddendis. Decimus quartus sexcentorum florenorum Hungaricalium mulctam irrogat iis, qui quovis

[1]) In Corpore Juris Hungarici art. V an. 1647.

modo interturbarent liberum Religionis exercitium. Decimus quintus Causas Matrimoniales Evangelicorum apud eorum Superintendentes tractari et decidi jubet. Decimus nonus jubet assignari Cassoviae locum Helveticae confessioni addictis pro Templo, Parochia et Schola prohibetque turbari in libero exercitio cultus. &c. Articulos istos cum caeteris Archiepiscopus reliquique Episcopi subscripserunt.[1])

§ XVI. *Pax Westphalica extenditur ad Transylvanos.* — Observandum hic nobis est articulos praememoratos tunc esse a statibus Hungariae in Diaeta compositos, cum Pacificatio Ferdinandum inter et Rákótzium fieret eaque confirmaretur anno 1647, quae uno tantum Westphalicam Pacificationem praecessit anno, factam 1648, cui Paci innititur Pax Germaniae, ita ut qui eam turbaret Imperii Pacem violaret. Observantur igitur ejus articuli in Imperio aeque a Romano Catholicis et Protestantibus. Pax illa Westphalica aut Osnabrugensis dicta aeque extenditur ad Transylvaniam, quam ad alia Regna ibi enumerata. Quod patet 1. Quia dum Sveco se adjunxit Transylvaniae Princeps alterum confoederationis Punctum illud erat: Etsi Princeps Pacem iniverit cum Imperatore, tamen amicitia cum Gallo et Sveco sarta tectaque sit, et quando in Imperio Pacificatio Universalis erit, Transylvania quoque in ea complectatur[2]).

2. Quia Transylvania secundum hanc conditionem nomine tenus instrumento Pacis Osnabrugensis tam a parte Sveci et Galli, quam a parte Imperatoris inserta est, prouti in ipso Instrumento videre est[3]). Unde consequitur: Prouti in Imperio licitum non est Religionem persequi et in illis locis quae ibi complectuntur, similiter non licet in Transylvania, non tantum ex articulis et conditionibus in Hungaria conclusis, sed tenore etiam Pacis Westphalicae Sponsoresque ejus Pacis tenerentur Transylvanos manutenere.

Pacificatione cum Ferdinando Princeps Transylvaniae rursum rem Hungarorum restituit in Hungaria collapsam. Templa sunt reddita, etsi non omnia, tamen ex parte, liberum Religionis exercitium restitutum. Fundamentum positum est tale Helveticae et Augustanae Confessioni addictis, quo majus solidiusque humanum ingenium excogitare non potest, per omnes circumstantias requisitas confirmatum; cui tuto poterant inniti in quacunque Gente, quod duraturum esset, nec convelleretur. At exspirante anno 1648 Principe Rákótzio magna ex parte Pacis quoque conditiones exspirarunt.

---

[1]) Vide Clausulam Articulorum an. 1647.

[2]) Ex MSS. Joannis Principis Kemény, qui rebus gestis interfuit.

[3]) Confer Instrumentum Pacis Westph. Articul. VII et XVII pag. 84 et 128 apud Adolphum Brachelium in Historia sui temporis.

§ XVII. *Laniena Protestantibus illata in Hibernia.* — Hac aetate, anno videlicet 1641 contigit horrenda illa laniena in Hibernia Protestantibus illata a sectatoribus Romanae Ecclesiae, tanta quidem crudelitate, cui parem ne quidem Neronianis temporibus accidisse legimus. Spectandam eam praebebo verbis Hejdeggeri ex authenticis documentis fide, ut solet, incorrupta describentis qui ita refert:

„Anno 1641 Hiberni Papistae horribili laniena in Protestantes tota insula saevierunt. Paucorum mensium intervallo plusquam ducenta hominum millia et in sola Ultonia, quarta et minus culta Hiberniae parte, centum quinquaginta quatuor millia, sex intra menses rabies illa absumpsit, ut nihil tormentorum et mortium reperiri potuerit, quod non furiales illae bestiae commiserint, solo Religionis odio, et quod Papae gratum se officium internecione Protestantium praestituros, vitamque aeternam absque Purgatorii flammis consecuturos, Monachorum sanguinolentorum persuasione inducti, crederent, rudibus omnis et fidei et humanitatis facile ad omne nefas propulsis. Ipsi certe Monachi et sacerdotes accuratum Catalogum lanienae, Phelimo Oneal Ecclesiae Catholicae archistratego patratae authenticamque adeo publicorum actorum consignationem ediderunt.

Ibi videbis innumerabilem Christianorum multitudinem, postquam omnibus ad cutim usque exuti et spoliati fuissent bonis, trucidatam, plerosque ferro, multos suspendio, submersione, vivicomburio, in Templis, aedibus aliisque locis, plurimos spirantes adhuc terra defossos, aliquos a canibus dilaniatos ac discerptos, lapidibus obrutos, alios ferventibus ahenis mersos, nonnullos carbonibus tostos, intestina per posticum extracta, dissectos ventres, evoluta viscera, confracta funibus intortis crania, dorsum, brachia, crura, femora comminuta vel abscissa, alios toto corpore cruentatos, cum nil nisi vulnus essent, in suo sanguine et frigore enectos, suspensos capilitio, impuberes secus parentum immolata cadavera, fletu, fame, inopia extinctos, multis ex innocuo illo sexu jam intermortua matrum ubera, morsu potius quam lactendo appetentibus. Nulla in Tigribus illis non Hircanis, sed Hibernis erga miserimos commiseratio, sed immissi porci, canes aliaque canibalibus Hibernis mitiora animalia tandem deglutientes, quod restabat carnium, finem tantis miseriis imposuerunt. Ita occisi, ita sepulti sunt.

Multi ita ruptis omnibus artubus, ut loco sese movere non possent, cum herbarum circumcirca pastu, bruto cibo vitam in triduum miserime traxissent, ab Hibernis spectatum et insultatum venientibus, cum mortem beneficii loco precarentur, nec impetrarunt omnes, in locum herbidum alium, ut diutius inter acerima tormenta precarium spiritum traherent, ac oculos immanium belluarum gratissimo spectaculo, aures horrendis clamoribus satiarent, delati sunt. Mancipia in Dominos omni

telorum et contumeliarum genere saevierunt. Misellae mulieres dependentibus de cervice aut cingulo liberis et ad majorem ignominiam canibus simul ac felibus appensis laqueo suffocatae sunt. Multi puteis subtus glaciem actis submersi, alii mucronibus in mare et flumina protrusi, ac si qui ad littus aut ripam enatarent, eliso cerebro aut contis affixi denuo aquis immersi sunt.

Aedium, Castellorum et Templorum ruinae, caesorum insepultis cadaveribus stipatae, cum paucos terra tegeret, multi sub stillicidiis in fossis, hinc inde in plateis computrescerent. Innoxia aetas dissectis carnibus, unco velut in macello agnina suspensi sunt. Miser nonnemo nudo corpore asseri impositus ab Hibernis ad singulos haustus, singulis vulneribus sed non penitus in mortem adactis, ita passim diffisus ut continuum vulnus videretur. Quem deinde, in fimetum projectum, dolor, fames et injuria aeris extinxit, prohibitis omnibus, ne miserias tantas levare ullo modo ausint. Alius adacto per posteriora palo, ut altius infigeretur velut per ludibrium circumscarificatus, donec inter atroces convulsiones, plaudentibus hostibus, animam Redemptori suo sancta victima redderet. Pueri Parentum Catholicorum charitatem aemulati, denso agmine in agros egressi, ubi in caesum Protestantem (qualis passim totis sparsi sunt campis) inciderunt, ejus pudenda virgis lorisque tam diu flagellarunt, donec ruptis nervis et carne dispersa membrum a reliquo corpore dissolveretur, quod ipsi arreptum festo clamore parentibus gratissimum munus obtulerunt. Si femina caesa prono in terram ventre jacuisset, eam in dorsum resupinatam, omnibus membris, iis maxime quae natura occulta esse voluit, taxarunt.

Conclusi arctissima intra aedes et Templa custodia, illis repente succensis lamentabiliter conflagrarunt. In ipso Templo Pater filiusque in partes secti, eorumque segmina matris extremum sacrae capiti impacta sunt. Nobiles virgines totam noctem capillitio de arbore suspensae, cum orta luce aliquid in illis vitae residuum deprehenderetur, protinus obtruncatae sunt. Tres orphani, quorum parentes a latronibus illis caesi erant, cum nudi et frigore poene enecti in fornacem se abdidissent, ignibus immissis immisericorditer combusti sunt. Uxor gravida cum liberis vitae consultura, cum terror foetum ante tempus excussisset, illo a latronum canibus devorato, ipsa cum caeteris obtruncata fuit. Multae nobiles dissectae, foetus utero excussi et ipsae visceribus apertis horrendum suspensae. Infantes hastis praefixi rebellium, praeda ea gloriantium. Duae filiae toto corpore nudae, metu mortis, decrepitum parentem lacertis suis in paludem trahere adactae, ubi et ipsae submersae perierunt. Uxor jugulare maritum, filius matrem coacti, ipsos velut ultimam victimam latrones mactarunt.

Equorum caudis alii alligati, tractati, excarnificati, fame enecti, mille

tormentis excruciati sunt. Quibus corpus hebetius et obesum eviscerati sunt, ut ex eorum pinguedine lychni efficerentur. Vir pius et zelo Dei flagrans, terra solo capite prominente defossus atque ita relictus, donec corvi et vultures oculos vivo eruerent, ferae bestiae reliquum abligurirent. Plurimi spirantes subtus terram defossi, quos inter unus cratibus et saxis depressus, cum diu lamentabiliter frustra inclamaret, nec uxor pedibus capta eum eruere posset, faciem aegre nudavit, et ut finem immensis doloribus imponeret, strophiolo spiritum ei interclusit. Multorum plantae ad lentum ignem tostae, alii securibus dissecti, funibus sursum deorsum per aquas raptati, nonnulli semineces relicti vel ferro clausi, donec membris putrescentibus animam exhalarent; et infinita tormina ad pecuniam prodendam, quam, omnibus jam ante spoliati nullam habebant, excogitata. Ossa et cadavera dudum in Domino defunctorum tumulis eruta, projecta vilissimis locis per fimeta, aggeres, fruticeta, campos sparsa et dissecta sunt. Haec omnia pluraque etiam, uti certis documentis ab ipsis etiam hostibus infandorum facinorum authoribus suppeditatis constat, a Catholicis videlicet patrata, tam profecto dira sunt, ut ab orci emissariis extremae nequitiae daemonibus diriora patrari non potuisse, ambiguum neutiquam habeatur. Hactenus Heideggerus[1]). Sed diu Hibernorum Protestantium miserias contemplati sumus, e diverticulo redeamus ad res Hungaricas.

§ XVIII. Elapsis duobus post Pacificationem Ferdinandi cum Rákótzio annis, omnes articuli in negotio Religionis anno 1649 in comitiis sunt confirmati in hunc finem, ut pax Regni et tranquillitas conservaretur[2]). Destinaverat Imperator Imperio Ferdinandum IV, Primogenitum Leopoldum vero infulae honoribus, at Ferdinando IV morbillis, fatali Austriacis morbo extincto, Leopoldus in spem educabatur Regnorum[3]) successurus Genitori. Anno tandem 1655 electus in Regem Hungariae et coronatus, qua occasione Pacificationes antecedaneas, Articulos, conditiones, Pacta Regni Religionisque libertatem concernentia, tam Ferdinandus ipse confirmavit[4]) quam vero Leopoldus Diplomate suo sanxit[5]) anno 1659 in exordio Regiminis Regni Decretis inserto. Ubi prima et sexta conditiones quae huc faciunt ita se habent:

1. Quod universas et singulas Regni libertates, immunitates, Privilegia, statuta, Jura et Consuetudines, simul et Conclusionem Tractatus Wiennensis omnesque articulos in eodem comprehensos et reliquos ante et post coronationem Matthiae Secundi felicis reminiscentiae in annis

---

[1]) Historia Papatus § CLI pag. 388.
[2]) Art. X, XI, XII an. 1649.
[3]) Wagner in Historia Leopoldi Lib. I pag. 6. 7.
[4]) Artic. XVIII an. 1655.
[5]) Art. I. an. 1659.

millesimo sexcentesimo octavo, millesimo sexcentesimo nono. Item praedefuncti beatissimae reminiscentiae Domini Ferdinandi Secundi, millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, millesimo sexcentesimo vigesimo quinto et aliis etiam annis editos, nec non modernae etiam Imperatoriae Regiaeque Majestatis conclusionem novissimi Tractatus et Pacificationis Lintzensis, omnesque articulos ibidem specificatos, simul et Constitutiones Regni, annorum millesimi sexcentesimi quadragesimi septimi, et millesimi sexcentesimi quadragesimi noni, atque etiam praesentis, millesimi sexcentesimi quinquagesimi quinti; in omnibus suis punctis, clausulis et articulis sua serenitas firmiter et sancte observabit per aliosque omnes inviolabiliter observari faciet.

VI. Conditio. Quod Religionis negotium inter universos status et ordines Regni in suis ac Fisci bonis, item in confiniis quoque Regni Hungariae, Militibus Hungaris, propter Regni tranquilliorem permansionem, juxta constitutiones Wiennenses et articulos ante coronationem editos, maneat liberum, illaesum et illibatum, ita videlicet ut Religionis exercitium, tam Baronibus, Magnatibus et Nobilibus, quam liberis etiam Civitatibus, universisque statibus et ordinibus Regni in suis ac Fisci Bonis, item in Confiniis Regni Hungariae, nec non oppidis et villis, illud sponte et libere acceptare volentibus, ubique relinquatur nec quisquam cujuscunque status et conditionis existens, in libero ejusdem usu ac exercitio Religionis a Majestate sua Regia et aliis quibusvis Dominis Terrestribus, quovis modo, aut quovis sub praetextu turbetur aut impediatur.

§ XIX. Coronatus erat Leopoldus in Hungariae Regem anno 1655 quo accidit horrenda Reformatorum in Pedemontio persecutio, ad quam propius contemplandam e via tantisper divertemus. Ne vero quicquam invidiose confinxisse arguamur, dabimus verbis Heideggeri; qui ea aetate vivens sic descripsit: „Vix admotus est gubernaculis Alexander cum honori ejus in Pedemontio per immissos Emissarios igneos illos turbarum incentores nigris hostiis, humanis caesorum lamentabiliter victimis litatum est. Priusquam autem tragicum sane et miseriis plenum drama prosequimur, paulo altius rem repetere juvabit. In tribus Pedemontii vallibus, Lucerna, Perosa et S. Martino, inde a quingentis annis Evangelici Waldensium nomine Romana Ecclesia deserta segreges coetus fecerant. Cruentissimam omnium adversus illos persecutionem Innocentius VIII A. MCCCCLXXXVII instituit, misso Legato suo Alberto de Capitaneis, delere et exscindere eos omni tormentorum genere connixus. Sed Waldenses, captis pro justa sui adversus latrones defensione armis, libertatem a Philippo VII Duce Subaudiae, postquam falsas et ineptas Monachorum jactantium inter alia, liberos Waldensium monstrosa esse forma uno in fronte oculo, et quaterna nigrorum dentium

serie aspectu formidabiles, calumnias abunde is perspexit, impetrarunt. Mox A. MDXXXIV denuo eorum παγοκεθρίαν Carolus et postea Philibertus Emmanuel moliti sunt, adversus quos natura locorum et angustiis Alpium, animo invicto fortissime sese defendentes vim vi repulerunt, donec A. MDLXI nova illis Pax et libertas concessa est. Quae cum A. MDLXV denuo infringi coepisset, Protestantes Germaniae Principes eorum causam suscipere coeperunt. Et Elector quidem Palatinus Fridericus III Pius, misso ad Ducem Subaudiae Legato, insignem ad illum Epistolam scripsit, qua ostendit, Crudelitatem Papae Romani erga fideles et Reformatos, Principi Christiano et justo haudquaquam tolerandam, neque combustiones et martyria, legitima esse propagandae religionis media. Quin cogitet Dux, sibi aliquando coram terribili tribunali Dei comparendum, et effusi sanguinis rationem reddendam esse. Abusus et errores Ecclesiae Romanae tam tetros et abominabiles esse, ut justam causam omnes qui salvari cupiunt habeant eos fugiendi et quicunque eos propterea occidunt et persequuntur, hostes esse ipsius Dei aeternaeque damnationis reos. Sed surdo Adversariorum criminationibus plane circumvento fabulam. Neque a Papistis quis impetrari ulla potuit, donec A. MDLXXX Carolus Emmanuel denuo iis pacem concessit. Neque tamen ita stabilis illa fuit, quin subinde atrocior persecutio recrudesceret, anno imprimis seculi hujus vicesimo secundo, tricesimo secundo, quinquagesimo et cruentissime omnium quinquagesimo quinto, quando Andreas Gastaldus, qui se Catholicae Religionis adversus Reformatos Conservatorem Generalem ferebat, nomine ducis Subaudiae media hyeme, cum omnia gelu nivibusque riguissent, Reformatos Lucerna, Lucernella, s Giovanni, La Torre, Pubbiana et Fenile, Campiglione, Bricheras et s Secondo (haec enim loca diu jam illi insederant) peremptorio decreto intra triduum sub poena mortis et confiscationis bonorum omnium nisi intra viginti dies papistae fierent, migrare jussit. Migrarunt cum uxoribus et liberis, decrepitis et aegrotis, mancis mutilisque, per aspera rupium, nivibus et glacie candidarum, ventis pluviisque insuper saevientibus et mox in migrantium deserta habitacula ingressi latrones furesque grassati, cuncta diripuerunt, diruerunt, arbores frugiferas succiderunt, et in horridam vastamque solitudinem omnia redegerunt. Expulsi contra Gastaldum apud Ducem supplices questi, nequicquam restitutionem in integrum precati sunt. Falsis enim criminibus per subornatos magis magisque oppressi et mox consilia de propaganda fide et extirpandis haereticis horribilia eventu ipso patefacta sunt.

§ XX. *Laniena in Pedemontio anno* 1655. — Quippe nono post electionem Alexandri, decimo septimo scilicet Aprilis die A. MCLV exer-

citus ingens ex toto Pedemontio junctis sex Legionibus Gallicis, Hibernisque conflatus in Valles Angrogniom, Villaro, Bobbio, aliaque a Reformatis habitata loca, diro impetu penetrans, flammis ferroque omnia miscuit horribilemque lanienam, vanissimo rerum minus civiliter gestarum praetextu, patravit tanta crudelitate, ut Thessalonicensis illa a Thedosio patrata, si cum ea comparetur, ludus merus fuerit, quin a Diocletiani temporibus par a Christianis in Christianos commissa (si Hibernicam illam exceperis) nulla fuerit. Ex Samuele Morlando, qui Angliae Legatus aderat, paucis sic lanienam illam celeberrimus Hornius describit: Nunquam par crudelitas a Christianis in Christianos patrata legitur. Nam ut pauca tantum ex multis referam, capita Barbetis (ita Reformatos in Pedemontio vocant) praecisa et ahenis cocta devorarunt. Feminis dissecti incurvis silicibus ventres umbilico tenus, aliis exsecta ubera, quae igne frixa devorarunt, naturalibus praecisis ardentem candelam admoverunt, ungues candentibus forcipibus evulserunt, semimortua corpora caudis bestiarum alligata ad mortem per aspera raptarunt. Leve hoc videbatur, praecipitare ab altissimis rupibus, ubi saepe corpora semiviva arboribus implicata haeserunt, nullo ob inaccessa locorum auxilio, donec lenta morte, fame, vulneribus, frigore, animam inter mille tormenta exhalarent. Concisi in minutas particulas et per campos dispersa Absyrti instar membra. Multis caro ossetenus excisa et pulmentorum instar contusa. Puellis adactae per naturalia collo tenus longae et acuminatae perticae, quas impius miles, ut vexilla solent, humeris sublata, spectaculo circumgestabat: Johannem Pelanchion Villariensem juvenem, crure funibus alligato, totum per plateas Lucernae asperimis constratas silicibus circumraptarunt, et si quando ingentibus doloribus victus, manus caputque elevare conaretur, saxis contusus fuit: tandem exsectis virilibus et in fauces intrusis spiritum ei intercluserunt amputatoque capite insepultum abjecerunt truncum ad ripam fluminis. Infantes ex cunis raptos manibus dilacerarunt, puellas vivas hastis alligatas ad ignem assarunt et excisis uberibus degustarunt. Alias manibus ad naturalia alligatis funibus suspenderunt pensiles immani et incredibili cruciatu. Aures, nares et alia corporis abscindere, ora pyrio pulvere implere, et eo incenso capita confringere, pudenda oribus intrudere, et vivos excoriare, pellem quadripartitam fenestris Lucernae praetendere, decollare, excerebrare,

et cerebrum frixum devorare, corda pectoribus evellere, vivos comburere, concidere, suffocare aquis, faciem exscindere, id vero vulgare credebatur, sed hoc dignum tantum Catholicis, quod Garcyglianae in furnum Nabugodnezaris instar igne flammantissimo candentem undecim Waldenses conjecerunt, adactis miseris ut unus alterum in ignem praecipitaret, donec ipsi latrones ultimum adjicerent &c. Jacuit per omnes illas convalles, per aspera montium rupiumque amfractus immensa strages. Alpinae rubuere nives. Plateae oppidorum et viae caesorum et insepultorum constratae membris: hic resectum caput, illic crura, alibi sparsa exta et semiputrida cadaveribus infecta flumina, ipseque aer et sol ad tantam immanitatem inhorruit, ac in authores iram Dei de caelo pronunciavit.

§ XXI. Quae vero plus quam barbaricae et cyclopicae crudelitatis adversus miseros exercitae intima causa fuit? Rebellio, inquient illi. Qua porro rebellio isthaec sita fuit? Hac scilicet (neque aliam ipsimet crudelitatis architecti proferre possunt) quod antiquas sedes, quas jam ultra mille et centum annos coluerant, ob religionis Christianae ex verbo Dei scripto haustae adversus Pontificias corruptelas professionem liberam a Gastaldo vel Duce ipso a Romano Pontifice ejusque satellitibus seducto, deserere jussi, non prompte satis deseruerunt. Haec rebellio illa, haec irarum sontica causa fuit. Neve aliam quam Religionis causam actam putet quisquam; rapti sunt ad supplicia non alii, quam qui constanter in Religione avita perstiterunt. Caeteris vero, qui infirmitate carnis subacti Pontificia amplexi sacra sunt, immanis illa crudelitas pepercit.

§ XXII. *Oratio Legati Anglorum ad Ducem Subaudiae.* — Accurrerunt primum ex Helvetia et Anglia Legati, pacem, si fieri posset, afflictis adeo rebus conciliaturi. Quos inter Samuel Morlandus ex Anglia Legatus in publica audientia, Regina et Duce coram, haec in verba libera satis sed necessitate extorta, os resolvit:

Misericordiam hisce pauperissimis et ejectissimis subditis impertiri dignemini rogo. Illis nimirum, qui radices alpium et valles quasdam in ditione vestra incolentes, Protestantium Religioni sua nomina dederunt. Audivit enim (quod nemo Celsitudinis vestrae Regalis voluntate factum esse dixerit) Olivarius Protector, miserrimos illos partim a vestris copiis crudeliter esse occisos, partim vi expulsos domoque patria exturbatos, adeoque sine lare, sine tecto, inopes omnique ope destitutos, per asperrima loca atque inhospita montesque nivibus coopertos cum suis conjugibus ac liberis vagari. Quid enim per hosce

dies, quod genus crudelitatis inausum illis militibus aut praeteritum fuit. Fumantia passim tecta et laceri artus et cruenta humus. Virgines post stupra differto lapillis ac ruderibus utero misere efflarunt animas. Centenarii nonnulli senes effoeta aetate ac morbo clinici in lectulis combusti. Infantum alii saxis allisi, alii jugulati, quorum cerebrum ab interfectoribus immanitate plus quam Cyclopica coctum ac devoratum. Quid plura? quanquam vel plurima hujusmodi commemorare possem, nisi horreret plane animus. Si reviviscant omnes omnium temporum Nerones (quod sine ulla Celsitudinis vestrae offensione dictum velim, quemadmodum et nulla ejus culpa quicquam factum esse credimus), puderet profecto eos, ut qui nihil non mite ac humanum (ad haec facinora si spectes) excogitasse se reperirent. Interim exhorrescunt Angeli! mortales obstupescunt! Ipsum coelum morientium clamoribus attonitum esse videtur, ipsaque terra, diffuso tot hominum innocuorum cruore erubescere. Noli, summe Deus, noli vindictam sumere, tantis sceleribus et parricidiis debitam. Tuus, Christe, sanguis eluat hunc sanguinem. Quos aculeos oratio acris in animis Matris et Filii Ducis reliquerit, incertum. Una semper perpetuaque crudelitatis tantae excusatio erat: Paternam tantum et lenem castigationem de immorigeris et rebellibus subditis sumptam fuisse." Hactenus Heideggerus[1]).

§ XXIII. Sed tempus ex Vallibus Pedemontinis in Hungariam redire, ubi anno 1657 Ferdinandus Tertius Rex et Imperator justus et aequi amans vivis exemptus est, cujus aetas nobilis et notabilis effecta est Pacificatione Westphalica, fores Jani post triginta et amplius annos clausae, et bellum Religionis bono satis eventu in Imperio terminatum est. Ortum erat illud imperante adhuc Ferdinando Secundo, totum deflagraverat Imperium et vicina Regna ferro, flammis et sanguine involuta diu exercuerat. Ferdinandus Tertius anno adhuc 1648, cum Wiennae in maximo Urbis foro solidum e marmore colossum Virgini sine labe conceptae statueret, Beatam Virginem in peculiarem Dominam ac Austriae Patronam susceperat, cui se, liberos, populos, exercitus provinciasque confidit, donavit et consecravit: ad Ejusque festum diem VI Idus Decembris solenni ritu celebrandum Austriam voto obstrinxit Edictumque promulgari voluit, quo significaret, nemini in Academia Wiennensi honoris gradus et muneris capessendi facultatem patere, qui

[1]) Historia Papatus § CCLXIV — pag. 413. Angelus Berniera Compend. Hist. pag. 170. Caroli Memorabil. Eccl. Tom. II. pag. 119.

non antea sacramenti religione se obstringat et spondeat, ut habet formula: juxta summorum Pontificum Pauli V et Gregorii XV constitutiones publice ac privatim velle pie tenere et asserere: Beatissimam Virginem Mariam Dei Genitricem, absque originalis peccati macula conceptam esse, donec aliter a sede Apostolica definitum fuerit [1]). Exempto mortalibus Ferdinando successit filius Leopoldus Magnus.

CAPUT TERTIUM.

De oppresso Ecclesiae statu sub Regimine Leopoldi Magni.

§ I. *Unde est quod Articuli non observentur.* — Illa jam sequuntur tempora, quibus Deus Ecclesiam Christi, per verbum vitae apud Hungaros collectam, in exploratorium et expurgatorium miseriarum ignem immisit, eumque sivit induere statum, quem nondum a prima Reformatione habuerat. Plurimi in negotio Religionis articuli erant in Diaetis conditi publicoque Regum Diplomate ita sanciti, ut ii valere manereque debuissent etiam apud Gentiles vera Dei cognitione destitutos. Mirari certe subit et capi vix potest, quo fato fiat, quod Principes saepe clementissimi, aequanimitate et justitia inclyti, tantas tamque diras persecutiones in Protestantes permiserint. Est sane res, quae captum eorum, qui nonnullorum modos agendi secretos et arcana consilia et artificia ignorant, superat. Hungari sustinent hoc fieri per clerum, maxime per Patres Jesuitas Confessionarios, qui talem Principibus ac Regibus cum conscientiae obligatione imponunt incumbentiam, ac sequentis Dogmatis instillant principia, scilicet:

Salutem et incrementum Ecclesiae Romanae per universum Mundum dilatandae, supremam esse Legem, cui reliqua omnia Jura subordinanda. Ecclesiam enim non esse propter populum, sed Mundum universum esse propter Ecclesiam sive potius propter Romam Mundi caput. Ecclesiam Catholicam a perpessis olim persecutionibus nunc securam non frustra dici florentem, nunc ergo triumpho isto a Deo concesso utendum, adeoque super Haereticis triumphandum. Et siquidem illi Doctrina et disputationibus convinci non possint, exstirpandos aut, ut in sinum Ecclesiae

[1]) Kazy Histor. Regn. Hung. Lib. VII, pag. 210. Caroli Memorabilia Ecclesiast. Tom. I, pag. 1124.

Sanctae Matris redeant, omni vi cogendos esse: in hunc enim sensum illud Evangelii: Compellite intrare interpretandum esse. Regem vel Principem Catholicum filium Ecclesiae Matris degenerem esse, qui brachio seculari compulsionem illam violentam exercere eoque incrementum potentiae Romanae promovere haesitet et detrectet.

Primam curam boni et pii Principis esse debere, ut Vicarii Christi sanctissimi sui Patris consilia et mandata exequatur in hunc finem emanantia, illud officium Christiani Principis momentosissimum adeoque primum omnium quod agat esse, ut omnes suas cogitationes et consilia dirigat ad dilatationem Ecclesiae Matris etiam cum periculo propriae coronae, sceptri et provinciarum suarum, quippe quae ceu temporanea et caduca eum praecipue in finem a Deo Principi mutuo data et concessa ad tempus tantum sunt, ut his velut instrumentis et machinis incrementum Ecclesiae omnibus viribus adjuvet. Reges et Principes a Deo Ecclesiae Nutrices vocari, adeoque Haereticos nutrire vel tolerare officio veri Principis Catholici adversum et longe indignissimum esse.

Si autem Princeps aliquis securitatem et libertatem Haereticis publica Pacificationis fide, vel etiam jure jurando promiserit, desuperque haesitet, an salva conscientia fidem publice datam et juratam fallere ac temerare liceat, et annon contra Jus Divinum et Gentium peccando famam apud universum orbem prostituturus sit, metuatque per violationem fidei datae etiam reciprocam subditorum etiam fidem labefactari, rebellionesque exoriri et belli periculo se suosque subditos involvi. Tunc ad eximendos hos scrupulos praesto esse remedium dispensationis et benedictionis Papalis, neque enim frustra summo in terris Vicario Christi claves binas ab eodem concreditas, quarum altera ipsi solvere integrum sit omnia juris jurandi et promissorum sacra, quae in detrimentum Ecclesiae redundare summo illi rerum omnium et Jurium in terris arbitro Pontifici videri poterunt. Hac illum authoritate coelitus data pollere, ut a Juramentorum sacramento et servandae fidei datae vinculo et Principes et populum, pro mero suo semperque sanctissimo lubitu et arbitrio, ita plenarie absolvere et liberare possit, quasi nunquam praestita vel promissa fuissent, et hoc saluberrimo emplastro omnia conscientiae vulnera et stigmata animarum uno momento sanari.

Jus Naturae et Gentium, caeterosque omnium Jurium humanorum, famae, honoris et existimationis respectus, tanquam nugas mundanas, merito supremae et aeternae Legi salutis et incrementi Ecclesiae ejusque dominatus ita subjacere illique postponendos esse, ut quicquid alias perjurium, homicidium, tyrannis, sacrilegium, violatio fidei publicae et quodcunque tandem aliud crimen esse videtur et a vulgo ita vocatur, in ordine ad supremam illam Legem de salute Ecclesiae ejusque dominatu promovendo, non modo pro crimine non habendum sit, sed potius vel

maxime in meritum et bonum opus meritorium evadat, a sancta in terris Matre Ecclesia indulgentiis prolixissimis, et a Deo in altera vita aeternae gloriae uberrimo redhostimento in sublimiore gradu compensandum.

Idque ita est, ut quo quisque religiosior est, eo pronius conscientiae suae directionem Confessionariis et illis, ad quos hanc curam pertinere existimat, committere et ad ducendum, quo lubet, sese submittere, sub pio hoc ductu se maxime securum et hallucinari non posse confisum. Quod ubi animadverterint Clerici, mira regendi ambitione incertum, quo facto semper stimulati eo usque conscientiarum directionem extendere, ut Principibus persuadeant se in conscientia tutos esse non posse, nisi omnia sua, etiam arcaniora destinata, et Ministrorum secularium consilia cum ipsis communicent, ut illa ad principia sua suaeque societatis scopum tanquam ad lydium lapidem pietatis utpote omnis sapientiae regulae examinare, idque omnia, quae occurrunt suadere et disuadere possint, quo ipso summam in Principem potestatem consequi eique pro lubitu imperare, postquam Ministros intelligentiores variis suspicionibus onerare, et diffidentiam Principis erga illos miris infinitisque artibus excitare affabre sategerint [1]).

§ II. Hujusmodi sunt, quae Helveticae Augustanaeque Confessioni in Hungaria addicti, longa rerum experientia edocti, ad excusandum Reges suos super injuriis, quas saepe gravissimas passi sunt, adferre solent. Leopoldus quoque in negotio Religionis uti Praedecessores confirmaverat omnes articulos Pacificationum; tantum tamen abest, ut libertas et securitas Religionis Protestantium manutenta fuerit, quin potius persecutiones magis et acerbius, quam ullo unquam tempore sub ejus regimine recruduerint, silente aut connivente ad eas Rege. Unusquisque tam secularium, quam etiam de Clero pro suo lubitu agebat adversus eos, nullam reformidando poenam. Comes Franciscus Nadasdi Judex Curiae, omnium tunc Hungariae Procerum potentissimus, qui Augustanam cum lacte materno secutus Religionem, formosissimam Nicolai Eszterházi tunc Hungariae Palatini Filiam, non nisi mutata Religione obtinens uxorem, Reformatae Augustanaeque Religionis summus evasit persecutor, in Comitatibus Soproniensi, Castriferrei, Nitriensi, Templa, Scholas, Parochias, Proventus occupavit, Ministros vario modo vexavit, in exilium egit, cryptis pridem sepultorum corpora ejecit, cremavit, ducentarum circiter Ecclesiarum Helveticae et Augustanae Confessioni addictarum eversor exstitit. Charissimus per recommendationem Cleri in Aula Wiennensi habebatur. At sequebatur eum divina a tergo Nemesis; in quorum enim gratiam Ecclesiam Dei fuerat persecutus, injuriam ejus per eosdem ulciscente Deo corruit, rebellionis enim insimulatus anno 1671 capite

---

) Confer huc Histor. Reform. pag. 60, 61.

minutus est. Imminente cervicibus ejus carnifice dixisse constat: Justum esse Deum et justa judicia ejus. Quae ipsius verba diversimode ab hominibus excepta: pro confessione quidam intentatae contra Domum Austriacam proditionis prolata asserentes. Evangelici vero de Apostasia convictum in vicinia propinquae mortis haec ipsum dixisse credebant, cum ipse jam adultus Virginis Eszterhazianae amore illectus Evangelicae renunciasset religioni [1]).

§ III. Comes Paulus Eszterházi similia in Comitatibus sibi subjectis patravit, qui a Pontifice Romano ea conditione germani sui filiam in uxorem obtinuerat, ut voto ad persequendos ac exterminandos Protestantes obstrictus esset. In Comitatibus igitur Weszprimiensi, Posoniensi, nec non in districtu ad lacum Fertö adversus Evangelicos carceribus, proscriptionibus et diris suppliciis saeviit. Testes hodieque sunt Ecclesiae, olim florentissimae, Szentziensis, Cheitensis, Tsepregiensis (quae multorum fidelium in ipsis Templi penetralibus internecionem perpessa est), innumeraeque aliae [2]). Hos secuti erant plurimi Proceres e Catholicis cum Patribus Jesuitis in suam Religionem zelosis, qui Templa plurima interceperunt cum insigni persecutione Concionatorum illius Religionis. Nam alios facultatibus suis privarunt, alios de nocte cum militibus invaserunt et captos carceribus manciparunt, aliis libros et Bibliothecas exusserunt, alios verberibus et scommatibus variis affecerunt, arbitrantes se gratum cultum praestare Deo. Exturbatis Pastoribus, occlusisque et ademptis Templis Evangelicos subditos carceribus incluserunt, donec Religionem suam ejurassent, Proventus Ecclesiasticos a Patronis Reformatis Ministris propriis destinatis* in usum Cleri Catholici converterunt. Patrabantur haec contra Leges, Pacta et Pacificationum articulos, talia tamen patratoribus non tantum poenae non irrogabantur, sed etiam laudem merebantur tanquam fervidi in Religione Catholici [3]). Rustici ad carceres et in compedes dati nec inde demissi, quousque fidem et Religionem deseruissent, aliorsum euntes ad audiendum verbum Dei per satrapas in viis infestabantur. Contigit in Pago Michava in Comitatu Nitriensi, ut dum quidam plebejae conditionis vi ad communionem adigeretur et hostia a Plebano ipsi porrigeretur, eum publice exclamasse: Pater, Deum juro, quod certe tibi dentibus praecidam digitum, si mihi obtruseris. Et quod horrendum est, plerosque ebrios ad communionem tractos et ab Altari ad sedilia Templi reversos, magna cum profanatione porrectarum hostiarum,

[1]) Conferatur hic Joan. Bethlen Cancellarii ejus aetatis Scriptoris Historia ad h. ann. 1670-71. Mss. Parschitii Tabell. Hung. pag. 182. Hist. Dipl. pag. 68. Histor. Ref. pag. 424. 748.

[2]) Heidegg. Histor. Papat. pag. 486. Histor. Ref. pag. 748.

* destinatos (ed.)

[3]) Histor. Diplom. pag. 68.

apud se ob temulentiam continere non potuisse. Qui haec et similia negare sustineret, conferat ille Acta Comitiorum Posonii anno 1662 celebratorum, ubi in Memoriali, quod Status et Ordines Helveticae ac Augustanae Confessioni addicti Regi Hungariae ac Imperatori repraesentaverunt, species factorum per omnes Comitatus Hungariae consignatae exhibentur. Prolixius illud est quam ut huc etsi mereatur transferri possit [1]).

§ IV. Magnum attulit momentum ad Ecclesiarum in Hungaria Reformatarum eversionem Principis Georgii Rakotzi vidua relicta Sophia Bathori, quae anno 1660 Marito Principe orbata, sequenti statim declaravit, se ob Dignitatem tantum simulasse Marito vivente Reformatorum Sacra amplexam, cum sub Reformato nomine Romanam clam tenuerat servaveratque fidem. In cujus rei fidem toto eo tempore, quo Marito simul vixerat (quod circiter XVI annos complectebatur), Panem Eucharisticum in S. Coena Domini Jesu Christi exhibitum non manducaverat, sed pallio ori subducto in sinum demisit, mansisse simulans strophiolo collectum colligatumque servavit, ac sacerdoti Confessario cum ad Romanam rediret Religionem exhibuit omnem; quem Jesuita prudenter igne absumpsit, ne et amplius circa eum peccaretur. Filium unicum Franciscum ad Sacra Pontificiorum secum traduxit; unde ilias malorum pronissimo derivata alveo in Ecclesias Hungaricas [2]). Florentissimae enim in Dominiis Rakotzianis erant Ecclesiae tam Reformatae, quam Lutheranae, quae inde a tempore Reformationis per sesqui fere seculum sub Patronis semper Reformatis Proventibus aliisque necessariis dotatae in felicem emerserant statum; augmentum habuerant non contemnendum ex Moravis et Bohemis tempore Ferdinandi Secundi, qui ob Religionem solum vertere coacti in villis, pagis et oppidis Rakotzio subjectis magno consederant numero. Erant ex subjectis qui in mutatione Religionis imitarentur Batoream, nihil enim ipsa intentatum relinquebat, ut promissis minisque suos ad Romanam pertraheret Religionem, atque ita zelum manifestaret suum, culpamque prius admissam factis posterioribus uberrime elueret. Anno tandem 1665 Templa Reformatorum occepit manu violenta occupare, eodem modo Scholas cum proventibus adimere, populum in ditionibus suis non verbis solum sed et verberibus ad Romanam amplectendum confessionem adigere, et quovis modo affligere [3]).

§ V. *In Diaeta Eperjesini Religiosa proposita.* — Ex hac oppressione

---

[1]) Extat in Appendice Histor. Diplom. sub Lit. C. ad pag. 104.

[2]) Caroli Memorabilia Eccles. Tom. II pag. 261.

[3]) Confer Instantiam Leopoldo exhibitam an. 1662 in Diaeta in Appendice Histor. Diplom. pag. 120-123.

oriebantur disceptationes ac turbae: medelam Protestantes quaerebant ab Aula, quoniam in publicas Regni Leges et Pacificationum articulos facta haec incurrebant. Petrus tandem Zrinyi, socer Rakotzii, interventu suo turbas sopivit ea conditione, ut Rakotzius pro intercepto Ecclesiarum Proventu mille ducatos solveret, quaedam ex ademptis remitteret ac finem persecutioni imponeret, atque in Diaeta proxime sequenti omnia in rectum redigerentur ordinem et in statu tranquillo confirmarentur[1]). Comitia anno 1669 indicta erant Eperjesinum, ubi frequentes aderant Comitatuum Legati plenos querelarum apportantes manipulos: verum cum turbas exortas turbatumque Religionis statum in Diaeta componere Commissarii nollent, multas post disceptationes et protestationes factas absque omni consolatione ad sua discesserunt.[2]). Aderant ibidem etiam Principis Transylvaniae Michaelis Apafi Legati, solenniter ad hunc Tractatum expediti: Georgius Kapi Consiliarius et Comitatuum Szolnok Mediocris, Hunyad et Zaránd Comes Supremus, Michael Teleki Arcis et Praesidii Kövariensis Capitaneus Supremus, Joannes Nemes sedium Siculicalium Sepsi Kezdi et Orbai Supremus Capitaneus, qui negotium quoque Religionis nomine Transylvanorum promovere allaborabant, quod patet ex Postulatis suae Majestatis Plenipotentiariis in scripto exhibitis, ubi Punctum XV de Religiosis ita est:

„Sed mundanis quibusvis gravaminibus, altius Celsissimi Principis nostri suorumque pectus perculit et percellit in dies Evangelicorum et Augustanae Confessionis Fratrum nostrorum in Ditione suae Majestatis degentium oppressionis rumor, in hacque justa Religionis causa silere agnoscit nil aliud esse, quam Jesum Christum abnegare.

Nec immortalis reminiscentiae Transylvaniae Principum Praedecessorum suorum, quorum Patrocinio ac interpositione in Wiennensi ac Linciensi Pacificationibus, de omnibus Hungariae immunitatibus, liberoque praedictarum Religionum exercitio cautum fuit, est memor.

Accesserunt moderni Serenissimi Regis, Avi, Genitoris, imo ipsiusmet temporibus de his Regni Constitutiones cum Processu, ac modalitatibus contentationis damnificatorum latae, quibus spretis, formalis saepius praefatarum Religionum persecutio, Templorum, Scholarum, Parochiarumque, ad eas pertinentium Proventuum occupatio, impune per quoslibet, signanter autem Celsissimam Principissam Sophiam Bathorianam, Ejusdemque Illustrissimum Filium Franciscum Rakotzium exercetur. Nec desunt variae terriculamentis a vera Religione imbecilles seducendi machinationes, contra quos nihil in Constitutionibus Regni laesis refugii super-

---

[1]) Caroli Memorabilia Eccl. Tom. 2 pag. 346.

[2]) Parschitius in Tabell. Hung. pag. 187. Histor. Reform. pag. 442. Joannes Bethlen in Mss. ad h. an. 1669.

esse constat, beneficio enim eorum, qui secundum contenta constitutionum Regni Commissarios adempta sibi laesi restitui optaverint, Praesidiarii suae Majestatis e confiniis per Potentiarios acciti praesto sunt, qui armata manu legitimis executionibus Regni resistant.

E Cancellaria quoque suae Majestatis inhibitoria contra Executores transmitti solent Mandata, quibus toties iteratae Regni Constitutiones eluduntur nostrisque justitia per has ambages impedita, recte nunquam administratur.

Nobis hoc iter continuantibus Illustriss. Dominum Franciscum Rakotzium, aliquem cum iis, quos multis affecerat damnis, tractatum de contentatione instituisse, allatum quidem est, de plenaria ejus effectuatione durabilitateque dubitantibus, vel iis qui mediocri pollent judicio, cum Reverendissimum D. Episcopum Agriensem ac Patres Jesuitas Pacificationi illi solenniter contradixisse constet, ea procul dubio intentione, ut male inchoatam Religionis persecutionem, omni affectuum harmonia inter Hungaros convulsa spretisque Regni Legibus, cum tot* inclytae Nationis Hungaricae excidio continuare possint.

Quis orthodoxae ac Reformatae Religionis Principum salva conscientia haec silentio praeterire posset? Sacratissima itaque Imperatoria Regiaque Majestas officio Regiminis sui id exigente, ut per alios patrata cum effectu complanet, damnificatos in toto Hungariae Regno plenarie contentari curet, Diplomataque ac articulos Regni praementionatos eludi per nullos sinat, quin potius eorum beneficio libertas Religionis sarta tectaque conservetur oportet."

Punctum vigesimum ita est. „Studentes quidam in Regiones exoticas Artium liberalium discendarum causa aere Celsissimi Principis anno proxime praeterito expediti, non saltem proprium viaticum, sed transmissam aliis Hungaris nunc in Academiis Germaniae studentibus pecuniam secum habentes, dum per Regnum Hungariae destinatum continuant iter, per quosdam Hungaros Equites omnibus bonis exuti ac convulnerati, relicti sunt semi mortui, quorum facinus justo Dei judicio dum inultum latere non potuit, latronumque nonnulli morte condigna sunt affecti, quidam detinentur in vinculis, ex ablataque pecunia aliquid est refusum, potiori ejus parte restante, convictus est in eadem materia Nobilis Franciscus Barakonyi juridice, sed sententia contra eum prolata manet inexecuta. Quae ut executioni demandetur restansque persolvatur summa, optamus. Necessarium praeterea est, diligentia officialium suae Majestatis tales enormitates cohibeat, liberumque itinerantibus passum procuret" [1]).

§ VI. Puncta tam Religionem, quam civilem statum concernentia

---

* toto (ed).

[1]) Ex Mss. Joan. Bethlen Cancellarii ad an. 1669.

suae Majestatis Commissariis porrecta sunt, praestolabanturque plenariam cum consolatione Resolutionem. Nam non ita pridem Legato Transylvanorum Benedicto Hedri Wiennae omnia large promittebantur atque ad Comitia haec plenarie revidenda rejiciebantur, nunc vero immutata per Pacificationem cum Turca rerum facie praestabatur nihil. Resolutionem urgebant Legati Transylvaniae Principis; promittebant Commissarii Imperatoris, de die tamen in diem protelabant, quod suspicionem Transylvanis injecit, Plenipotentiarios plenaria res controversas definiendi et decidendi destitui potestate. Michael itaque Teleki Legatorum unus vir acerrimo et perspicacissimo ingenio, scribarum Excellentissimi Comitis a Rottal intimum, munere emptum induxit, aperto Heri sui scrinio Instructionem Commissariis ex Aula Wiennensi datam in veris paribus ipsi tradere, unde appareret, quae eorum sit agendi potestas.

Tertium Instructionis Punctum erat illud: „Ubi ad Tractatus cum Transylvanis devenerint, sedulo cavebunt, ne alia materia quam praetensarum injuriarum damnorumque nostris vel illorum ditionibus illatorum moveatur neve Ditionum nostrarum Comitatus alias praetensiones suas in particulari vel communi habitas cum negotiis Transylvanorum conjungant aut ipsi Transylvani eadem * promovendas suscipiant &c.

Nonum. Cavebunt sedulo, ne in negotium Religionis nomine duntaxat Evangelicorum partibus in iisdem existentium, toties suscitatum, tractatum, conclusione sua tamen semper frustratum, totumque statum Catholicum concernens se sponte et authoritate publica immittant. Verum partes ipsas, inter se placide potius allaborante Comite a Zrin, desuper tractare sinant. Nihilominus si a partibus pro mediatione requisiti fuerint, eo casu, operam suam, quo diligentius fieri poterit, conferre non negligant."

Constabat ex ea Commissarios nec velle nec posse graviores definire controversias; urgebant tamen Resolutionem, quae post longam sex septimanarum moram die XXIX mensis May anno 1669 data est in generalibus tantum consistens et omnia fere ad Aulae revisionem rejiciens, de Religionis negotio et gravaminibus, quae cum lacrymis etiam in Aula urserant, ita breviter responderunt in ultimo Resolutionis Puncto: Negotium denique Religionis non esse hujus Fori[1]). Atque ita oppressis Diaeta levamen attulit nullum. Imo vero quoniam e Comitiis Religionis materiam tractare nolentibus et medelam querelis porrigere non valentibus, Proceres Protestantes prius quam finis imponeretur, diffluxerant, decretum est ut propter contumaciam et conspirationem imputatam Posonium citarentur, facultates eorum confiscarenter et ipsi meritas contumaciae luerent poenas[2]).

* easdem (ed.)

[1]) Idem ll. cc. in Mss.

[2]) Historia Diplom. pag. 68 § LVII.

§ VII. Interea evenit, quod Franciscus Rakotzius, diu ante a Catholicis Magnatibus Fr. Vesselenio Regni Palatino [1]), Georgio Lippai Archiepiscopo, Nicolao et Petro Zriniis Croatiae Banis, Frangepane, Francisco Nadasdi Judice Curiae (qui laesos se existimabant in eo quod Rex inconsultis nec probantibus Hungaris Pacem cum Turca fecerat adversus Legem Regni juramento firmatam suo), meditatum facinus anno 1670 juvenili imprudentia manifestaret. Derepente enim milite conscripto Tokainum occupare nititur, ubi validum tunc Caesaris erat praesidium, spe sua frustratus, etsi Starenbergium loci Praefectum dolo intercepisset, arce tamen est exclusus: imo Munkatsinum a Matre accersitus* ab ea in custodiam datus est. Turbae ita exortae immerito imputabantur Protestantibus innoxiisque eorum Ministris, cum Proceres in Regem insurgentes fuerunt Catholici eorumque exploratores et in malo ministri saepius Monachi, quod videre est in Historia Wagneri [2]). Transiit tamen grande Rebellionis facinus in Religionis formam et nocumentum, Protestantes in causa Zrinii et Rakotzii innoxii vexabantur indignissime, Curiae Nobilium manu armatorum refertae expilabantur, nec quicquam nobilitares suffragabantur Praerogativae, Posonium citati, in exilium quidam pulsi, alii in carceres compacti; unde non nisi mutata Religione eliberabantur: quod palam declarabat non fuisse causam Rebellionis, sed Religionis; alias rebellibus ne Religio quidem suffragari solet.

§ VIII. Francisco Rakotzi intercessione Matris et praecipue Jesuitarum, quibus splendidum Cassoviae erexerat Collegium, gratia facta est, ea tamen conditione ut solveret in Cassam Regiam temeritatis poenam centies centena florenorum Rhenensium millia et aliquot amitteret Arces [3]). Gratiam pro filio ut referret Bathoriana Jesuitis, immanem in Protestantes excitavit persecutionem in Ditionibus sibi subjectis, Templa violenter occupata, Ministri in exilium acti; illi vero qui obediri statim et defacto detrectabant, Munkatsinum attracti ferreisque onerati compedibus in eundem cum sceleratis morte dignis constricti sunt carcerem, de die rustico, servili, objectoque macerabantur labore; de nocte, foetido conclusi carcere indignissime vexabantur [4]). Patakini non solum Templum, sed et Collegium a Reformatis olim Dynastis fundatum occupavit, studiosi cum Professoribus in exilium propulsi, qui tandem ex parte a Principe Apafi in Transylvaniam recepti Albae Juliae sedem invenerant [5]). **

§ IX. Neque solum in Ditionibus Rakotzianis ea seviebat in Protes-

[1]) Wagner in Hist. Leopold. Magni. Lib. III. pag. 187.
* arcessitus (ed).
[2]) Lib. III. pag. 233, 237, 242, 244, 247.
[3]) Wagner pag. 246. Parsektius pag. 189. Histor. Reform. 442.
[4]) Histor. Ref. pag. 443.
[5]) Joannes Bethlen in Msc.
** invenerunt (ed).

tantes persecutio, sed in universa Hungaria horrendum in modum detonabat in ipsos ab anno praecipue 1671. Georgius Szétseni, Georgius Szeleptseni, Leopoldus Kolonits Episcopi et alii armata militum manu obibant pagos, oppida, civitates, et ex totius fere Hungariae superioris et inferioris omnibus oppidis et villis V. D. Ministros, aliis supplicio mortis affectis, aliis carcerum squallore maceratis, aliis in tristissimum exilium abactis, exegerunt. Adversus Szenitzenses, Pukovienses, Turalukenses diris modis saevitum, et post occisos plurimos, nonnullos etiam ad Templi valvas suspensos, Civitates ipsae igni incensae tantum non solo adaequatae. Ecclesiae Reformatae Ekliensis Pastor Joannes Száki, una cum vidua Laurentii Surii Ecclesiae quondam Komaromiensis Ministri, ille vivicomburio, haec gladio vitam finierunt 1 Septembris an. 1671. Dicebat Jesuita, qui excarnificationi Szákii intererat, cum plumbum fervens raso superfundere juberet ejus capiti: Infunde capiti ejus oleum, dignus enim tali unctione[1]). Praeterire hic necesse habemus innumeros hinc inde Cassoviae imprimis et Posonii ex omni hominum statu, aetate, sexu diversis fatis ad novissima supplicia raptos, exiliove multatos, quos inter Comes etiam Stephanus Botskai, inclytorum Hungariae Magnatum nobilissima propago et gente et mente inclytus, Claudiopoli anno 1672 in exilio vitam finiit[2]). Stephanus Tökölyi Comes Arvensis et Eques Auratus in Arce sua Arva obsidione pressus a militibus Caesareanis, ipse vita et obsidione solutus, arx per honestam capitulationem deditur, tamen corpus defuncti diu aresto subjectum, duae impuberes filiolae cum octenni Stephani Petrotzi filiola reculis suis exutae, Wiennam tandem seminudae translatae sunt. Filius vero Emericus per fidelem servum, ubi fata Parentis cognovit, in Transylvaniam clam deportatus est[3]). Sed specialibus enumerandis supersedemus, cum ita finem scriptionis non facile imponeremus.

§ X. *Apafii literae ad Elector. Brandeb. anno* 1671. — *Transylvaniae Principes cum Christianis tractantes delati et prodili in Porta.* — *Fons malorum in Hungaria.* — *Consultationis Capita Palatinus et Archiepiscopus.* — Ne tam miserabilis Hungariae status Europae Principes per insinuationes contrarias veritatique dissonas latere posset, eosdem Apafius Princeps per literas informare necessarium duxit, quarum unas Electori Brandeburgico gloriosae memoriae Frederico Magno scriptas, quum istius aevi Historiam egregie illustret* saepiusque nobis essent in testimonium advocandae, huc transferre non erit infructuosum. Ita illae sequuntur:

[1]) Otrokotsi in Praefat. Tubae Quintae Apocalypt. pag. 63. Histor. Reform. pag. 444.
[2]) Heidegg. Histor. Papatus pag. 486. § CCCV. Histor. Diplom. pag. 72.
[3]) Joan. Bethlen in Histor. Msc. ad an. 1670 et 1671.
* illustrent (ed).

Serenissime ac Potentissime Princeps, Domine
mihi singulariter colende!

Ex quo Divina Bonitas ex Tartaricis compedibus liberatum soli ejus Numini noto consilio afflictae huic Transylvaniae Rectorem praefecit, testis ille omnium arbiter Deus, et mille ut ajunt testes conscientia, quo animo et quo candore semper erga Rempublicam Christianam affectus sim et quoties id ipsum palam testari impense expetiverim, quantopere etiam ut caeteros Christiani orbis Principes ac Sacri Romani Imperii Electores, ita etiam inter illos serenissimam vestram Excellentiam tam per Literas quam extraordinariam Legationem visitare, venerari ac salutare deque Hungariae ac Transylvaniae dietim in pejus ruentis statum * informare in votis habuerim, non est, ut multis informationibus aut excusationibus (quasi res tanti momenti per inertiam aut ignorantiam neglecta fuisset) perscribam; etiamsi etenim nulla (quod tamen absit) tantorum Christianae Reipublicae columinum apud me et meos subditos vel reverentia vel notitia esset. Etsi nullum Religionis ac fraternae in Christo cognationis vinculum intercederet, ipsum tamen fortunarum omnium, vitae denique periculum (quod vel fatuos, imo ipsa pecora salutem suam quaerere compellit) satis superque monebat me, quo in loco Principes Christiani habendi, quam diligenter de statu afflictarum Provinciarum informandi et quam ardenter ad capessendum consilium mature incitandi essent. Idem abunde suggerebat pristinae meae, multos casus, ipsam etiam immanem Tartarorum servitutem expertae fortunae memoria. Sed quae horum temporum infelicitas! in quam nos justa Fata praecipitarunt. Hungaria ipsa, apertius tamen Transylvania inter duos Potentatus volutata, insulae certe a duobus Maribus hinc inde quassatae ac miserum in modum laceratae similima, in hoc alias etiam diffidentiarum ac suspicionum plenissimo seculo sola suorum malorum conscia, in suis miseriis, quarum vel acerbissima est, gemere non licere, perit, imo jam periit. Si quid igitur Serenissime Princeps in eo, quod tam sero et tam lente ad salutandam reverendamque vestram Serenitatem praesentes nostrae, nec eae debito et a nobis optato legationis ornamento vestitae prodeunt, vel in Christiani Principis, vel boni Politici, aut periti Aulici officium erratum est: ne quaeso negligentiae vel avaritiae, multo minus de serenissimis vestris o Christiani Principes Personis stolide superbae opinioni tribuatur, sed detestandae illi omnium Christiani Imperii periculorum fomiti ac matri, illi diffidentiae, jure merito ab inerti gelu Gelosia hodie vocitatae, suspicioni imputetur. A qua tamen si verum fateri licet, proh dolor ex parte

* statu (ed).

Christianorum longe major nobis, quam ex parte aliorum periculum, aeque ac obstaculum hactenus impendet, et in posterum etiam metuitur. Cum non desint tristia Praedecessorum meorum Gabrielis Bethleni Stephani Bathori, Joannis Scepusii primi Regis exempla, qui memores se Christianos esse, aliquando de arctiore cum Christiano Imperatore correspondentia cogitare, ac rapidum hunc ab oriente torrentem in ipsa aliquando Germaniae viscera grassaturum aliquo pacto sufflaminandum suadere per Literas non dubitarunt. Ab ipsis quibus bene consultum cupiebant, nefarie proditi, ac ipsis eorum literis ad eos de quibus agebatur transmissis, quantum in prodentibus situm erat, in praesentissimum periculum praecipitati sunt. Et certe Joanni Scepusio tristis ille nuncius per ingentem moerorem mortem acceleravit. Stephanum Bathorium Regia (quam cum scriberet jam gestabat) Poloniae Corona tutum praestitit. Gabriel Bethlenius multis aureorum millibus et bello propterea in Austriam et Moraviam usque promoto, suspicionem, qua laborabat, eluit. Absit quidem a nobis, quietos jam per fata illorum, cum quibus litem habuerunt, cineres turbare, sed sive id Principum annuentia aut conniventia (si modo tantum nefas pectus Regium subire potuit), sive Ministrorum perfidia factum est, ipsa tamen veritas omnino clamat rem ita praepostere gestam esse.

Unde tristibus illis exemplis territus, cum hoc scribendi ad Christianos Principes propositum in animum induxi, anxius plus satis vel quo verborum genere utar vix scio, cogit tamen silentium, a futurorum metu impositum, majus et praesentius periculum, rumpere: adeo ut nisi me Christianum et Reformatae Religionis Principem esse obliviscar, amplius tacere nequeam. Vestrae itaque Serenitati, cujus generosam magnanimitatem et eximium in Reformata Religione fervorem secunda fama ad me detulit, turbidas Hungariae res, quae atroci cum tumultu hodie geruntur, ipsum etiam Transylvaniae miserum statum, penitius uberiusque quam ulli forte alii Principi, cum per Legationem vix licet, per Literas depingere censui, vestramque Serenitatem afflictarum harum Provinciarum in Imperio imo coram aliis etiam Christianis Principibus, cum quibus e re fore videbitur, Advocatum ac Patronum constituere omnino decrevi. Nec dubito quin humana generositas, cum divina erga quosvis afflictos charitate conjuncta, hoc suscipiendum munus Vestrae Serenissimae Excellentiae facile persuadeat, imprimis si Augustanae ac Reformatae in Hungaria Religionis, imo totius Hungariae praesentissimum periculum ob oculos ponat. Sed ne in isto Literarum limine justo diutius haeream, descendo ad ipsam rem; ita ergo serenissime Princeps lacrymabilem harum Regionum statum intelligat oportet.

Postquam sua Majestas Caeserea bellum contra hostem superioribus annis Sacri Imperii et Regis Christianissimi auxiliis coeptum, felicibus

etiam auspiciis gestum, in medio victoriarum cursu, intempestiva et ipso bello longe pejore cum pace commutavit, tunc cum ingenti, si non totius Christiani orbis, at certe propinquiorum omnium admiratione simul et periculo, Hungariam ac Transylvaniam in extrema quaeque praecipites dedit. Capto enim Varadino et Pacis sancitae tunc conditionibus urgentibus, propriis nostris manibus solo aequato Szekelly Hid, terrae spatio quasi tertia et valore dimidia, omnino Transylvanici Principatus pars amissa est. Interim Honorarium annuatim dari solitum in Tributum versum et quasi Provinciarum accessione ditati fuissemus triplicatum est. Nec de futura hujus Regionis securitate quicquam cautum; et quamvis aliquot Legationibus subnixe simul et obnixe Caesarem obtestati fuissemus, ut aliquis tot et tantarum Christianae Reipublicae expensarum ac fatigiorum fructus in nos quoque redundaret, et tamen nihil praeter verba reportavimus, imo res ipsa docuit, et ipse Constantinopoli residens Legatus Caesareus confessus est: Jam rem bene gestam inquit et Transylvaniam ac Hungariam optime in ordinem redactas esse, et, ut ille ajebat, jam eversis opibus et arcibus, illa Haeresium sentina tumorem remittet, quiescet, nec Imperatori in libero Hungariae Dominio operam facesset. Sed haec ex parte Transylvaniae minora oppido videri possunt, ut quae alienum jam dudum recognoscit Imperium, ac Hungaria etiam ipsa Ersek Ujvár Germanice Neuheusel et multis minoribus finitimis arcibus amissis usque ad Carpaticos Montes et Moraviae fines hosti pervia facta est, et multa Nobilium aeque ac rusticarum familiarum millia aut sedibus exacta aut deditionem facere coacta sunt. Haec male pacata Pax, ab Imperatore, Rege scilicet Hungariae, ut fertur, nullo Hungarorum Consiliariorum conscio icta est, et quamvis postea tam ipsis Primoribus in Consilio Caesareo, quam vulgo per plateas Pax publicata sit, conditiones tamen suppressae, aut saltem ita (nescio quo fato) ab omnibus omnino Hungaris creditum est et creditur. Hodie etiam leviora tantum Pacis Puncta ipsis significata, sed arcana majoris momenti omnino occultata esse.

Et haec est serenissime Princeps omnium in Hungaria nunc grassantium origo, hic fons, qui metuendum ne in immensum multarum miseriarum Pelagus, vicinas etiam Provincias inundaturum excrescit. Cum enim Magnatibus Hungaris insciis, et si scivissent etiam invitis, res tanti momenti, quae neminem tantopere ac Hungarum tangebat, transacta fuisset, nullatenus persuaderi potuerunt in hunc usque diem, quin in totius Hungarorum Gentis caput, perniciosum aliquod fulmen, suas cum ingenti aliquando strage vires editurum, cusum et fabricatum sit. Augebant hanc suspicionem varia: Quod tunc post factam statim pacem, cum Proceres Hungariae etiam frequentes Wiennae essent, animadvertebant se, quasi multum (tantis scilicet damnis et miseriis

exantlatis) peccassent a Germanis et iis quidem Magnatibus, limis oculis aspici, ab omnibus longe majori, quam unquam antea cum despectu tractari, imo fuerunt in ipsa Caesaris Camera parum consulti, qui non temperarent linguae et Hungaros Rebelles vocitare non dubitarent. Cum tamen si aliquando tunc vel maxime, ab omni profecto tali labe quam purissimi erant. Ipsa etiam Wiennensis Plebs simile quiddam quod Aula spirare videbatur. Sed haec vulgi et aulicorum Juvenum futilitas, quamvis simultates inter duas Nationes plus satis augebat, apud Magnates parum habuisset ponderis, nisi quod communi humanae curiositatis vitio, quo altius occultati de Pace consilii causam indagant, cum nullam, quae ipsis sufficiens videri potuisset rationem inveniunt, eo pejores in herba latere angues, opinabantur. Nec enim se tam male de suo Rege meritos ut ea ipsis celarentur, quae vel conditionibus tempore inaugurationis Regio juramento confirmatis aperienda Consiliariis ex Regii muneris debito essent. Cum Pacis et Belli munia, quae Hungariam proxime et tantum concernerent, sine ipsis tractari nequaquam possent. Nec sufficiat id quod objicitur: Noluisse scilicet Imperatorem Pacem hanc illis proponere, in quam nunquam nisi inviti consensissent, et tunc longe majus fuisset periculum, et major obtrectandi ansa oblata fuisset, si quod Imperator per rationem status Domus Austriacae, aut aliarum Christiani orbis Provinciarum facere omnino cogebatur, Hungariae interim minime proderat, post Propositionem Hungaris Consiliariis factam, vel reclamantibus illis facere instituisset. Itaque ad tumultus et varia impedimenta vitanda, sic rem peragi necesse fuisse, et peractam Pacem, postquam non aeque in ipsorum erat potestate convellere, ac fuisset antea non admittere, ita in fine totius negotii, cum solidis rationibus necessitatem probantibus, eis proponi debuisse. Nec enim se adeo rationis expertes, nec ita suo Regi inobedientes futuros fuisse, quin visa Pacis necessitate, quam Domus Caesareae aut aliarum Provinciarum interesse omnino sontice imposuisset, quin in illam etsi tristes tamen consensuri, et Hungariae malorum medelam felicioribus auspiciis, post aliquot annorum inducias resumendam, patienter expectaturi fuissent.

Haec et similia primo inter Primores tacitis querelis agitari, inde in vulgus quoque dimanare coeperunt. Hinc magna omnes solicitudo, imo desperatio capit, conflatum etiam non leve in Ministros Imperatoris odium. Breviter: Multis annis per variorum ora jactata suspicax haec querela, tandem omnium cordibus inveterata in fidem evasit, ita ut non jam suspicari, sed credere unusquisque videretur et affirmaret, Caesarem omnino cum hoste conclusisse, quicquid ambobus cum praedictis Regnis facere liberet, etiamsi caelum, terram et mare ignibus misceat, quisque in sibi subditis Regionibus, non hunc illi, nec illum huic obstaculo futurum. Confirmabant hanc opinionem in Hungaria aeque

nullus fructus et quod in Aula Otthomanica Pacis illius Puncta quam diligentissime occultarentur.

Accessit his malis Francisci Rakotzii, Georgii gloriosissimae memoriae Principis filii, ad Romano-Catholicos transitio, qui mutata Religione multas Reformatorum Ecclesias perdidit et scholam etiam Patachianam celebrem suis proventibus spoliavit, Reformatos undiquaque pessime habuit, unde lis ab illis ipsi intentata, sed nullo cum fructu, cum Imperator propagandae Pontificiae Religionis studio, illum contra illos protegeret, nec Actionem juxta Leges Hungariae ei intentatam et decisam legitimae executioni mandare permitteret. Hinc in communi scilicet Reformatae et Augustanae Religionum periculo, quamvis Reformati proxime laederentur, concursus tredecim Superioris Hungariae Comitatuum factus, Legatio ad Imperatorem cum supplici Libello querelarum contra Rakotzium pleno expedita, irrito eventu fuit: idem postea, aliquoties, cum multis obtestationibus tentatum, sed nullo cum fructu.

Accedebat quod Imperator contra Leges Hungariae Ecclesiasticas aeque ac Seculares Dignitates extraneis conferret magno cum Hungarorum contemptu, et id genus alia. Hinc jam multiplex Hungarorum solicitudo et varia ubique animorum confusio. Evangelici metuunt sibi ne Rakotzius sit machina ad evertendam ubique in Hungaria Superiori Religionem, imprimis Reformatam, illa oppressa et Augustanam. Queruntur justitiam sibi non fieri, Leges incassum scriptas, cum executionem sortiri non possint: frustra Regem juramento tempore inaugurationis securitatem et patrocinium Reformatae et Augustanae Religionibus promisisse: queruntur et Pacem cum hoste factam Bello ipsis pejorem esse.

Romano-Catholici sub initium Evangelicis refragari, at cum omnes per immaturam illam pacem, superius descriptam, suspicionem se periclitari vident, de Religione quidem securi, de Regione anxie soliciti esse coeperunt. Et hic jam incipit consultatio illa, quae hodie Wiennae Defectionis ad hostes et Rebellionis nomen obtinet, et quae Hungariam tristissimam hanc faciem induere coegit. Ea autem consultatio talis est:

In tanta, quam recensui, rerum et animorum confusione ceperunt Primores et Cordatiores, quos inter Palatinus Regni et Archiepiscopus defuncti, Franciscus Vesseleni et Georgius Lippai, alias Imperatori usque ad Hungarorum nauseam fidi, ceperunt inquam meditari, et consilia invicem communicare, quid in tantis malis agendum, quid consilii capiendum esset? Suadebant aliqui Imperatorem nomine totius Regni orandum, ut periclitanti Hungariae succurreret et pacem satis ab hoste violatam ipse etiam posthaberet, ac armis afflictas res in melius restitueret; sed desperabant de felici hujus requisitionis successu, gnari magno cum honoris tum fortunarum dispendio partam ab Imperatore pacem non facile ruptum iri. Nec Germanos quicquam Hungariae periculo

commoveri, quamvis vel post factam Pacem aliquot centeni Pagi hosti, nisi extrema pati vellent, se dedere coacti fuissent. Nec Imperatori, quamvis Posonium usque hostiles fierent excursiones, Pacem tamen violatam persuaderi posse, nec Status Regni invito aut inscio Rege sine Rebellionis nota congregari poterant. Comitia autem post factam Pacem nulla indicebantur, nec ad coronationem quidem Reginae, quae tamen alias negligebatur nunquam, quod ipsum etiam multas opiniones in animis jam satis perplexorum Hungarorum erigebat. Suggerebant aliis hosti potius deditionem sub aequis conditionibus faciendam, et spontanea deditione praeoccupandum illud malum, contra quod Caesar Hungariam tutam praestare nec posset, nec vellet. Sed hoc etiam periculi plenum videbatur, ne scilicet hostis proculcatis conditionibus tyrannidem exerceret, aut Hungaria intacta in Germaniam irrumperet, et viderentur ipsimet hosti portam aperuisse, cum ingenti et Christiani et Hungarici nominis macula ac dedecore. Haec consilia per se innoxia, in suspicioso tamen hoc seculo, ne authoribus aliquid periculi crearent, occulte quantum fieri poterant agitabantur. Nec quidquam omnino in Romani Imperii perniciem proponebatur, sed sola Hungariae securitatis media, misera illa Pace amissa, quaerebantur.

Inter has consultationes Archiepiscopus primum, mox et Palatinus moriuntur; successores cum omnia in periculo vident in bivio haesitant, procliviores tamen utcunque facta illa pace gaudere, quam ancipiti aliquo bello omnia periclitari, et certe, quantum quidem mihi constat, me autem negotia tanti momenti minime latebant, nihil harum turbarum factum fuisset, nisi Comes Petrus Zrinius ridicula impostura et se et generum Franciscum Rakotzium et multos alios praecipitasset. Ille enim insciis Regni Statibus hosti nomine totius Hungariae deditionem et tributum promittere, pro se coronam Hungariae, pro Genero Principatum Transylvaniae flagitare occepit, et quamvis nihil obtinuisset, famulum tamen proprium illorum vestibus indutum, quasi ipse ab eis ad ipsum Legatus fuisset, ad Generum expedire et negotium in Porta Otthomannica feliciter peractum mentiri, nec jam sine periculo retractari posse. Ita Generum et alios ad defectionem solicitare intendit. Jam autem ante Generum ipsemet cum Evangelicis reconciliaverat, in hunc procul dubio finem, ut illos secum in hunc, in quo nunc sunt, statum praecipites traheret. Longum esset omnes hujus Tragoediae partes referre. Satis est ipsum tali impostura aliquot ex Equestri ordine dementasse, sed certe nec Proceres illi, qui nunc captivi sunt, nec Liberae Civitates, quae Praesidiis miserum in modum vexantur, stulti illius et infamis propositi conscii aut participes fuerunt. Sed in illis, quos supra recensui, anxiae consultationis terminis haeserunt.

Haec in rei veritate ita sine fuco vestrae Serenitati perscribere

necessarium duxi. Vestrum sit jam judicare cum sociis serenissimis Electoribus, utrum tantum cogitasse, imo de sua securitate solicitum fuisse, tantam poenam vitae nempe et famae et omnium fortunarum amissionem mereatur, utrum propter unius atque alterius vesaniam tot Illustres Viri innocentes puniendi sint. Jam enim, ut fama fert, pauci in tota Hungaria sunt Ecclesiastici aut seculares ex Proceribus, qui non in carcere gemant; adeo ut satis ad carceres peccasse videretur, qui Hungarus Illustris aut opulentus vir inventus est. Sed posito, omnes illi captivi nocentissimi sint, num misera Plebs, inferioris ordinis Nobilitas, Civitates, sacerdotes, concionatores, omnes denique Hungariae Populi ideo Legibus, Libertatibus et opibus eruendi sunt? Num tot vel nocentium Illustrium Virorum innocentes Haeredes expilandi, exhaeredandi? femellae captivandae et tot Illustres Familiae delendae? Cum tamen nec humanae, nec Divinae Leges filium patris iniquitatem portare cogant. Nobilissimaque et florens olim Gens Hungarica, quae Christianitatis propugnaculum dici meruerat, ideone evertatur, si aliqui sontes? Cur Rex Hungariae Legibus, quas se observaturum firmissimo tempore inaugurationis suae juramento spoponderat, contra eos uti noluerat, scilicet ut ex libera Natione captivos Hungaros redderet? O miserabile simul et omnibus considerabile exemplum! Ne pigeat, ne taedeat Te, serenissime Princeps, cum quibus e re videbitur praesentes communicare. Ne gravetur etiam vestra Serenitas in gratiam Ecclesiae Dei, afflictae Hungariae, tot Illustrium Virorum, tot denique Christianorum myriadum suam coram Imperatore intercessionem adhibere, quo velit Sua Majestas paternam castigationem magis quam atrox et rigidum vel in noxiis puniendis dominium exercere, et praecaveat, ne, dum medelam ipso morbo perniciosiorem adhibet, ad illam ipsam defectionem, qua nunc immerito culpantur, nimia severitate Hungaros adigat, consideret et sua Majestas et serenissimi Electores exterae Gentis viciniam, quae certe non ita est stupida, quin optimam piscandi occasionem aquas turbidas esse sciat. Et sane nisi vestra, serenissimi Principes, prudentia antevertat, periculum non leve imminet. Audio quidem me tam coram Caesarea Majestate, quam serenissimis Imperii Principibus traduci, quasi ego artifex et faber horum fuerim hostesque contra Christianos incitassem, sed id falsum omnino est; fiet tamen nisi hac hyeme his malis remedium ponatur paulo mitius; ut Praepotens illa Natio meis calcaribus non indigeat, imo et ego, quamvis Pax et mihi et subditis perquam necessaria et jucunda esset, quod potentissima Gens jubebit, nolim velim facere tamen debeam; sed quomodo culpae id mihi tribui possit, qui tempestive de impendentibus malis Christianos Principes praemoneo.

Sed mirabitur forte vestra Serenitas, imo omnes praesentium literarum lectores, cur non ipsos etiam Legatione ad suam Majestatem expedita

haec negotia urgeam, et quare me negotiis quae Imperator cum suis subditis habet intrudam, imo aliis etiam ut idem faciant suasor sim. Sed non est ut mirentur. Meam enim mediationem aliquoties oblatam sua Majestas rejecit. Imo superiori anno solemnem Tractatum Eperjesiensem, quem in hunc finem sua Majestas instituere videbatur, eventus docuit ludibria tantum fuisse: mei enim Legati nihil omnino praeter inania verba retulerunt. Res interim certe periculi plena est, et quisque ut placet credat. At profecto non magis me proprium, quam aliorum et imprimis Hungariae quidem et proxime Germaniae periculum, quod praeteritis malis edoctus ominor, ad hoc scribendi genus descendere coegit. Suam alias Majestatem quam submississime veneror et felix in emolumentum Christianitatis Imperium eidem precor. De prolixitate Literarum vestra Serenitas ignoscat, Legationis defectus tam fusum esse coegit.

Responsum magna cum spe exspecto, mea pro viribus vestrae Serenitati et gloriosae Domui servitia ac officia offero. Eandem vestram Serenitatem in consolationem afflictorum et totius Christianitatis emolumentum diu feliciter valere et florere cupio. Datum in Civitate mea Alba Julia, die vigesima tertia Januarii, Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo.

Vestrae Serenitatis

Servitor promptissimus
Michaël Apafi Transylvaniae Princeps[1]).

CAPUT QUARTUM.

De horrenda Ecclesiarum in Hungaria decennali persecutione, in specie Ministrorum V. D. et scholae Rectorum ad triremes Neapolitanas damnatione, ac quorundam eliberatione.

§ I. *Barsonii Liber.* — Quae in Hungaria adversus Protestantes fervido gerebantur zelo licita ea omnia esse, nec Legibus Patriis, Pactis et Pacificationum articulis contrariari, edito Libro persuadere voluit Georgius Barson titulo tenus Episcopus Varadiensis, quo insimul uni-

[1]) Ex Ephemeridibus Joannis Bethlen t. Cancellarii ad h. a. Mssctis.

versali in Hungaria persecutioni Classicum cecinit ac velut ad bellum sacrum suos exstimulavit. Titulus Libri ille est: Veritas toti Mundo declarata, Argumento triplici ostendens sac. Caes. Regiamque Majestatem non obligari tollerare in Hungaria Lutheranam et Calvinianam sectam. Quam Catholicae Religionis zelo concinnavit G. B. E. V. P. S. S. C. R. M. C. C. seu, ut aenigma facile rerum gnari extricarunt, Georgius Barson Episcopus Varadiensis Praepositus Scepuziensis sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Catholicae Consiliarius. Ediderant Wiennae anno 1671 circa initia Persecutionum, at ejus exemplaria sparserunt in populum, de quo anno 1681 in Diaeta Soproniensi conquesti sunt Protestantes, imo etiam Catholici quidam, ut tolleretur e medio [1]) optantes. Librum istum refutarunt varii: Georgius Tsipkés Komáromi Pastor Debrecinensis 1672, sub nomine Georgii Nicolai et titulo Molimen Sisyphium, conatus istius frustraneitatem, saxum instar Sisyphi frustra volventis, ostendens; Johannes Posaházi sub titulo: Falsitas veritatis toti Mundo declaratae in negotio tolerantiae exercitii publici Religionis Protestantium in Hungaria, breviter et dilucide ostensa [2]). Joh. Henricus Heideggerus in Historia sua Papatus, unde nos quoque quaedam ad nostrum scopum transferemus.

§ II. Primum argumentum Barsonius arcessit a tribus Pacificationis Wiennensis conditionibus, sub quibus liberum Religionis exercitium pactum est. Concessum scilicet esse

1) Absque praejudicio Catholicae Romanae Religionis: quae conditio cum sit impossibilis de lege habetur pro non adjecta? Argumenti vanitatem vel inde agnoscere licet, *a*) Quod si conditio impossibilis pro non adjecta habetur, non idcirco pactum et promissio nutat, sed conditio ceu inutilis salvo pacto rescindi debet. *b*) Ne Protestantibus aliquando ea conditio noceret, Imperator Matthias statim ita interpretatus est, ut aperte negaverit, ad evertendam Religionis libertatem trahendam esse.

2) Ut Clerus, Templa et Ecclesiae Catholicorum Romanorum intacta et libera permaneant; quae conditio violata ab eis est, qui sub Bethlenio Rakotzio Templa hominesque violarunt? Respondetur:

a) Noxa caput sequitur, qui vim intulerunt tunc, luant; adimatur illis liberum Religionis exercitium, innocentes luere non debent. *b*) Quae sub Bethlenio et Rakotzio acta sunt, ea per subsequentes Pacificationes sublata in amnestiam abire debuerunt, et tunc quoque per

---

[1]) Hist. Diplom. in Appendice in Actis Comitiorum pag. 142.

[2]) Histor. Reform. pag. 443. In Appendice Histor. Dipl. pag. 146.

Regias Pacificationes et Diplomata religionis libertas confirmata et obsignata est.

3) Ut occupata disturbiorum illorum tempore restituantur, quod Evangelici non praestiterunt? Hujus conditionis sensum non fuisse, ut Ecclesiae redderentur a longo tempore possessae a Protestantibus aut bona Ecclesiastica, sed ut restituerentur castra, villae quaedam a Stephano Botskai ad Regem Hungariae pertinentes occupatae. Patet exinde, quod nunquam alias Protestantes in eam conditionem fuissent consensuri, quae concessioni contraria erat et executio quoque a Clero Romano Catholico dubio procul statim quaesita fuisset: cujus tamen vestigia nulla supersunt.

§ III. Secundum argumentum inde desumpsit, quod articuli, quibus libertas Religionis promittitur, non sint conditi consensu et unanimi voto quatuor Statuum Regni, Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium, utpote ad quos antiquo jure pertinuerit Rege consentiente et confirmante Leges condere; contradixisse enim Praelatos omnes, Barones, Magnates et Nobiles Pontificios. Cum igitur violentum nullum durabile sit, articulos illos abolendos merito esse. Hoc argumentum *a*) ad summam Regum Hungariae, Imperatorum et Regum Rudolphi Secundi, Matthiae, Ferdinandi Secundi et Tertii, et Leopoldi, quorum consensu, authoritate et fidei juramento obstricto, articuli confirmati receptique sunt, ignominiam pertinet. Quasi vel non aeque illis ac titulari huic Episcopo Hungariae jura cognita fuerint, vel adversus eadem jura ea in re praevaricati fuerint. *b*) Contrarium asserto verum est. Pacificationem enim subscripserunt Wiennensem Hungariae Episcopi, quod ex Tabulis ejus cuivis apparet, ubi post subscriptiones ita loquuntur: Nos itaque subscripti nunc invicem concordati nomine omnium statuum et ordinum inclyti Regni Hungariae et partium sibi annexarum, libere et spontanee animoque bene deliberato spondemus, promittimus et recipimus, quod reconciliationem hanc, cum sua Majestate et vicinis Regnis et Provinciis factam, Nos et praedicti universi status et ordines Regni Hungariae et partes sibi annexae eorumque successores et posteri inviolabiliter in omni parte observabimus[1]). Constat etiam quemadmodum negotium in Pacificatione anno 1645 Lincini conclusa et Georgio Rakotzi exhibita gestum fuerit. Ex primo ordinis Ecclesiastici statu contradixerat omnino Archiepiscopus Strigoniensis, Georgius

[1]) Vide Clausulam Pacis Wiennensis.

Lippai, eique seculares nonnulli Ladislaus Tsáki, Franciscus Revai et Franciscus Balassa adstipulati sunt. At contradicenti fortissime Comes Paulus Palfi Curiae Regiae Judex, caeterique non Evangelici solum, sed et Pontificii Proceres reclamarunt. Deinceps post gravissimas cum clero contentiones Status Evangelici in eo esse ceperunt, ut per Georgium Barna ad Regem tota causa devolveretur. Tum igitur Archiepiscopus eique adhaerentes nonnulli alii Evangelicorum Statuum supplicationem ad Regem impediverunt, anteverteruntque ejusmodi responso: Ne fortissimum hoc antemurale Christiani orbis cum universali ruina in manus Turcarum perveniret, facileque universam Nationem deleri contingeret, ad ea evitanda primum in anno 1606 Pacificationis Wiennensis articulo I libertatem religionis concedi oportuit, quae quidem concessio prius tantum statibus et ordinibus, oppidis item privilegiatis et militibus facta, in anno 1608 ad villas quoque et oppida extensa fuit. Porro eaedem concessiones in anno 1618 ampliatae, postmodum vero anno 1622 articulo VI Diplomati Regio insertae fuerunt ac deinceps quibusvis fere comitiis addito articulo confirmatae. Quibus non agnoscunt Catholici sese contravenisse aut occasionem turbandae quietis pacisque publicae exhibuisse, neque concessiones semel factas extinguere aut abolere conatos, quin potius, articulis praesertim Pacificationis Wiennensis, quae fundamentum est ac robur totius status admissae Religionis, praedictis articulis atque adeo praesentis Diplomatis Regii articulo primo sese accomodare studuerunt. Sic diploma Tractatus Lintzensis a statibus Regni Universis cum solenni hac clausula: contradictionibus Cleri aliorumque secularium non obstantibus, imo iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus, consentiente Rege, ratihabitum articulisque anni 1647 insertum est[1]).

§ IV. Tertium Argumentum manifestam Authoris ejusdem fraudem propalat. Inde enim petitum est, quod, si omnino tolerandi Evangelici in Hungaria essent, Calvinistae tolerandi forent, quatenus Confessionem Helveticam, Lutherani vero, quatenus Augustanam profitentur. Atqui et Calvinistas ab Helvetica et Lutheranos ab Augustana confessione descivisse. Et Calvinistas quidem ab Helvetica, quia cum haec cap. XI profiteatur, se comprehensa symbolis ac sententiis

[1]) Heidegger Histor. Papatus, pag. 482.

quatuor primarum et praestantissimarum Synodorum celebratarum, Nicaeae, Constantinopoli, Ephesi et Chalcedone, corde sincero credere; illi contra pertendant, 1° Bigamum clericum esse posse, quod Nicaenam Synodum vetuisse Justin. Novell. 123 c. 1. 12. 14 et Abrosius* Epist. 82 testentur, 2° Episcopum Romanum non esse Principem omnium Patriarcharum, quod ipsum tamen Concilium Nicaenum Can. 39 ex Arabico per Pisanum converso, nec non Chalcedonensis Concilii Patres Act. 3 in relatione Concilii definiverint, 3io Negant sacerdotem in Eucharistia offerre corpus Christi, quod ipsum quoque Canone 16 Concilii Nicaeni definitum sit, 4° Orationes pro mortuis Can. 65 Arabico probatas rejiciant, 5° Episcopi Romani in Conciliis praesidentiam, in Concilio Ephesino tamen exemplo confirmatam, improbent, 6to Monachatum denique concilii Chalcedonensis Art. 14. Can. 16 stabilitum damnent.

Sed et Lutheranos defecisse ab Augustana confessione inde comprobat, quod ipsi in Praefatione libri Concordiae eam variatam posteriorem rejiciant, contra invariatam autem profiteantur. Primo contra articulum decimum, Christum in coena Domini non esse sub speciebus panis et vini. Secundo contra articulum vigesimum primum, Missam abolendam esse. Tertio contra articulum primum, Episcopos controversiarum non esse judices.

Longae sunt ambages, injuriae vero fraudesque longissimae! Taceo, quod Diplomata, quibus liberum religionis exercitium Evangelicis in Hungaria conceditur, Helveticae et Augustanae confessionis ne uno quidem apice meminerint, nedum Evangelicos ad alterutram restrinxerint. Qua vero fide scripsit Barsonius Helveticam Confessionem Cap. XI comprehensa symbolis ac sententiis quatuor primarum et praestantissimarum synodorum simpliciter scilicet et in universum recepisse, cum tamen verba confessionis non de quibuslibet Synodorum illarum sententiis, sed de iis duntaxat, quae de incarnationis Domini nostri Jesu Christi mysterio loquuntur, id pronunciaverit. Quid vero ad mysterium illud sententiae ex Conciliis a Barsonio citatae? Ita notoriae fraudis coram toto orbe ille reus est. Quid, quod simili etiam fraude non ex veris et genuinis, sed supposititiis, Arabicis imprimis Concilii Nicaeni, nec a Gelasio, nec a Justello, nec a Petro de Marca, nec a quoquam Antiquitatum Ecclesiasticarum perito agnitis, sed a Melehitis** et Nestorianis, uti Doct. Beveregius probat, conflictis Canonibus, sententiarum suarum quisquilias collegit. Quod insuper Novellam 123 citat, quae concilii Nicaeni ne quidem meminit,

* Ambrosius (ed.)
** Melchitis (ed.)

Imperatori Justiniano affingens, quod ex glossa, nescio qua arripuit. Atque etiam canonibus Concilii Ephesini supponit id, quod de Concilio impostor aliquis scripsit.

Par ratio eorum est, quae Lutheranis objicit, utpote qui invariatae Confessioni adhaerentes vel Art. X per species nuda accidentia designari vel Missae nomine sacrificium incruentum venire, vel Episcopis in confessione infallibile et supremum controversiarum potius, quam ministeriale judicium tribui, constanter meritoque hactenus negarunt. Annon igitur in re seria gravisque momenti, publici impostoris notam personatus ille Episcopus meruerit, periti rerum judicent [1]). Ita triplex suum argumentum animadvertere potuit elumbe et ad demonstrationem inefficax ac distortum.

§ V. Clerus Hungariae magno in id semper enitebatur conatu, etsi aliquando connivere visus sit, ut Pacificationum articulos Protestantibus concessos ac confirmatos convellere posset. Pacificationem Wiennensem eo usque violaverant, ut Gabriel Bethlenius restituere necesse habuerit. Eo e vivis sublato adeo Pacta violaverant, ut Georgius Rakotzi trecenta Templa repetere coactus fuerit, e quibus nonaginta per Commissarios Caesareos tempore Pacificationis cum Ferdinando Tertio reddita sunt. Variis machinationibus, summis et imis, praecipue vero imperitioribus persuadere voluerunt, immotam stare Regiae Majestatis sententiam, qua liberum Religionis exercitium in Hungaria non patietur; in hunc finem comminiscebantur varia terriculamenta [2]). Circumferebantur Literae sub Imperatoris nomine, quas opinor Regem nunquam vidisse, sed adversarios confinxisse sequentis tenoris:

Nos Leopoldus Dei Gratia Romanorum Imperator &c. Annuimus clementer ut in Nostris Regnis Haereditariis, Hungaria, Sclavonia &c. iis sese accommodent et severe mandavimus. Nam ut Romano Catholicae contrariam exerceant Religionem, nullo modo concedemus. Itaque mandamus omnibus officialibus tam Ecclesiasticis, quam secularibus, ne diu executionem clementissimae nostrae voluntatis differant, sed post severam admonitionem ubicunque Praedicantes et Scholarum Magistros habere poterunt, eos captivent et ferro constrictos huc mittant ad puniendum irremissibiliter. Qui vero Catholicam, unicam salutarem Religionem amplectentur, illi non tantum innatum nobis paternum affectum, sed etiam Caesareo Regiam clementiam cum condigna remuneratione experientur. Secus non facturi Wiennae vigesima quinta Mensis May Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo.

§ VI. Ne vero Juris quodam praetextu calidissima callidissimaque

[1]) Confer ad hanc materiam Heidegg. Histor. Papat. § CCCIII pag. 481—485. Histor. Diplomat. pag. 70.

evertendae Religionis consilia destituerentur. Posonii extraordinarium Tribunal, Judicibus constans partim Ecclesiasticis partim Politicis, omnibus Romano Catholicis et Protestantium juratis hostibus, erigere atque eo, ad dicendam causam objectae miro astu perduellionis, spectatissimos quoque citare placuit. Initium factum est ab ovibus, Politicis Magnatibus, aliisque quos facilius ad mutationem Religionis adigi posse persuasum habuere. Qui innocentiae confisi vadimonium prompte obiverunt, illi plerique etiam non convicti, in carceres abrepti, arrestis detenti, impensis gravissimis exhausti, ad mutandam denique Religionem libertate promissa invitati pellectique sunt. Quorum adversus Religionis mutationem pectora satis munita deprehenderunt, iis praetextu fidelitatis obligandae oblati sunt libelli, Reversionales dicti, quibus subsignatis protectionem Pastorum suorum ejurarent, promitterentque non impedituros se, quominus Catholici Plebani Templa occupare et Pontificia iis sacra inferre possent, donec scilicet, accedente illuminatione Spiritus sancti et ipse meliora edocti, abdicata haeresi sua Pontificias ceremonias amplecterentur. Ita Magnates, Nobiles, Plebeji coram Phalaridis Tauro illo comparentes innumeri, pars in carceribus aliisque modis vita orbati, pars horrendum in modum exagitati divexatique, pars denique carnis imbecilitate subacti, fidei professionem mutarunt.

§ VII. Sed gravior et flagrantior vis incubuit Ecclesiarum Pastoribus[1], in quorum in vigilia constitutorum et in rupturis stantium salute cardinem verti incolumitatis, tot Ecclesiarum Evangelicarum persecutores non ignoraverant, qui proinde Rebellium investigandorum praetextu Judiciorum extraordinariorum facultatem nullo negotio impetrarunt. Tria igitur ejusmodi judicia constituere placuit, unum Tyrnaviae, cui se Posonienses, duo Posonii, quibus se reliqui per Hungariam Ministri sisterent. Neque tamen primo statim impetu cunctos citare e re visum est, sed paucos duntaxat, eosque Augustanae confessioni addictos, ut ex paucorum successu, quid de reliquis spei affulgeat, periculum facere integrum foret. Cumque firmum ratumque habuerint, Rebellionis objectae praetextu Religionem universam abolere, mortis metu Libellos subsignandos obtrudere extremis viribus conati sunt. Summa Libellorum capita erant: ut Ministri Evangelici utriusque confessionis, scholarum Rectores, Cantores, Studiosi et Aeditui

I. Aut Ministerium omne sive Ecclesiasticum, sive scholasticum, ad evitandum sententias judiciales, sive propter objectum Rebellionis crimen imminentes, propria subscriptione sigillo munita penitus abdicent, neque partem ullam sive clam sive palam exercere amplius sustineant, ac de caetero, ceu fideles Regis subditi, vitam quietam pacificamque in Regno transigant, capitis supplicio turbantibus vel levissime indicto.

II. Aut spontaneum exilium ceu rei mortis suscipiant, obligata

Libello, propria manu subscripto sigilloque munito, fide, quod nunquam in Patriam reversuri, neque etiam vel Haereditarias Regis provincias, vel Imperiales, nedum hostiles ditiones adituri sint.

III. Aut, quod prae caeteris gratum sibi acceptumque futurum sit, Religionem Romanam Catholicam amplectantur. Et priora quidem duo palam in judicio urgebantur, tertium vero ceu prora puppisque consiliorum omnium primario intentum fuit.

§ VIII. *Ministri comparent Posonii in prima citatione XXXII an.* 1673. — Prima dies paucis nonnullis, qua se Posonii delegatis Judicibus sisterent XXV Septembris anno 1673 dicta, impacti atrocissime criminis causam dicturi. Comparent Fratres triginta duo Augustanae et unicus Carponensis Ecclesiae Minister Helveticae Confessioni addictus, haud postremi nominis plerique. His a Fisco Regio et Archiepiscopo Strigoniensi Georgio Szeleptseni mira arte industriaque praemonitis mature consulitur, ne sententiam mortis contra se pronunciandam operiri, quam saluti suae Libellis exhibitis consulere malint. Ita mortis metu citatis, ast inauditis indefensisque indictae perculsi, neque satis Libellorum virus expendentes, nimia certe in primo isthoc ferocissimoque impetu infirmitate carnis, pars Ecclesiastico Scholasticoque munere omni, juxta praescriptam Libelli formam, sese abdicant; pars licet rebellionis rei nullo modo peracti, reatum tamen falso confessi exilium eligunt, inter quos fuit et Reformatus; unus etiam Religionem suam ejerat.

§ IX. *Secunda vice Ministri Posonium citantur an.* 1674. — Cum non male se dedisse citationis initia hostes animadvertissent et plures jam metu potius, quam criminis ullius conscientia victi Libellos obtulissent, instante Fisco Regio Nicolao Mailath ad universalem omnium reliquorum per totam Hungariam, etiam Turcis tributariam, Ecclesiae Scholaeque Ministrorum, quorundam etiam ante ex Ecclesiis suis exturbatorum, nec non Cantorum, Studiosorum, aedituorum in mensem Februarium anni sequentis 1674 processum est. Citatoriae Literae Georgii Szeleptseni Archiepiscopi Strigoniensis, ceu vicariam Regis in Hungariae Regno potestatem, defuncto pridem Regni Palatino, ordinibus invitis obtinentis, manu subscriptae sigilloque munitae fuerant. Citati e tributariis Turcaeque subjectis locis comparere diserte prohibiti sunt. Etiam Comitatus Borsodiensis Ministros omnes Reformatos Generalis Militiae Regiae Spank cognominatus ab onere citationis exemit, neque comparere permisit. Multi, adversas fraudes saepius experti atque etiamnum subodorati, nondum forte ita periclitantibus Ecclesiis suis, fuga occultationeque saluti suae consuluerunt. Alii Deo et causae confisi, non obstante judicii forma plane suspecta, utpote quae non tam convincendis puniendisque maligne intentati criminis reis, quam evertendae tot Ecclesiarum libertati, aucupandoque tot violentiis praetextui inserviebat, Posonii coram Judice

infensissimo sese sistere statuerunt. Memoratu haud indignum est, quod procedente ea citatione Georgius Szetseni Archiepiscopus Colocensis ab Aulae Familiaribus interrogatus, quid sibi tot Pastorum, de quorum innocentia constet omnibus, citatio vellet? respondit: Funiculum Evangelicis Hungaris texumus, quem si collo eorum implicare poterimus, nunquam se deinceps eorum Religio eriget. Si vero id non effecerimus, nobis inutilem molestiam facessiverimus.

§ X. *An recte comparuerint.* — Comparuerunt igitur secunda citatione ista non exiguo numero Pastores, aliique Ecclesiarum et scholarum Ministri, ultra ducentos quinquaginta, quorum plerique Augustanae Confessioni, quinquaginta septem vero Reformatae addicti fuerunt. An autem rationabiliter fecerint, quod Tribunali, ubi Judices ad unum omnes e Romano-Catholicis constare norant, sese stiterint? Annon utilius Ecclesiis fuisset, si Ministri iis desertis fuga salutem quaesivissent?

Quicunque Adversariorum fraudes penitus perspexerit, factum Ministrorum posteritatis memoria aeternaque laude dignum sine dubio censuerit. Sicuti enim quidam, comparentibus in eorum persona aliis, salva conscientia se occultare poterant, ita omnes in tanto Ecclesiae discrimine Tribunal illud evitare turpe et illicitum fuisset.

1. Quia sub ficto Rebellionis praetextu hic Religio impetebatur. Causam igitur Dei Christique doctrinae deserere, nec rationem spei in se habitantis dare, ubi necessitas urgeret, fuisset ipsis ignominiosum, Deo vero injuriosum.

2. Quia instans Ecclesiarum majus periculum Pastorum coram adversariis comparitionem requirebat, ut haberent quibuscum luctarentur. Si enim omnes diffugissent, aut occultatione sui desertis Ecclesiis vitam servare voluissent, occasio nata fuisset, sacrificulos suos in Ecclesias fuga Ministrorum vacuas inducendi. Ipsi auditores Reformati in Literis suis ad Pastores captivos Neapolim datis testabantur, se captivorum afflictione pacem aliquam et respirium habere plusque se eorum patientia et constantia nunc doceri quam olim, dum praesentes eos audirent.

3. Quia innocentiam suam toti Mundo testatam dare debuerunt; si autem omnes fugissent, quamvis purissimi ab omni intentatae Rebellionis crimine essent, tamen ansam adversariis dedissent, ut omnes Ecclesiarum in Hungaria Pastores velut perduelles traduxissent, eo imprimis argumento, quod nullus eorum comparere ausus fuerit.

4. Quia aderant etiam consilia, preces et obtestationes Ecclesiarum prudentumque Politicorum judicia, quibus Evangelii Ministros ad comparendum movebant.

5. Quia etiam obedientiam secundum sanctam suam Religionem erga

ordinarium Magistratum testari debuerunt et voluerunt. Recte igitur factum est quod comparuerint ad citationem, quo suam innocentiam, adversariorum vero fraudes et violentiam orbi Christiano testatam dederunt.

§ XI. *Actio erigitur adversus Ministros.* — Post factam citationem comparitionemque Ministrorum, ut judiciali Processu agere viderentur, ex tanto numero provocatorum sex tantum nomine tenus proclamantur, ex quorum ore reliquos omnes, atque eos etiam, quorum ipsi nomina ignoraverant, et plerosque etiam adeo locis dissitos, ut se invicem pauci noverint, judicare statuerant. Per Nicolaum Mailath Fiscum Regium actio intentatur, cujus summa huc redit: Quod postposito Dei hominumque timore totum Hungariae Statum Romano Catholicum ipsumque adeo Regem idololatriae insimulare, contra B. Virginem Mariam, sanctos demortuos, eorumque et Christi imagines pro concionibus ad populum habitis gravissime debachari, venerabile sacramentum conculcare, sceleratis rebellibus Suae Majestatis hostibus, consensu, ope et commeatu succurrere, eorum adventu gaudere, Turcis ad occupandum Hungariae Regnum viam aperire non reformidassent criminisque adeo laesae divinae et humanae Majestatis capitisque et bonorum omnium amittendorum reos se fecissent.

Observari hic meretur ad judicii censuram Stephanum Sellyei cum sex sociis tantum proclamatum, neque contra illum vel socios proclamationis ullum ex accusationis punctis probatum est. Eorum quisque pro se pertendebat, ut accusatio, quo ad ea, quae Religioni Evangelicae in reliquo orbe Christiano receptae communia non sunt, homines notet, crimina argumento probet, testibus confirmet. Palam enim ex accusationis plerisque capitibus fieri, non tam rebellionem, quam religionem peti. Praeter istos sex omnes reliqui Fratres tum sunt proclamati, postquam Procurator Regius omnes convasatas allegationes suas absolvisset; imo multi nec poterant proclamari, quorum nomina ignorabantur, nec erant in Judicum catalogo, sed ipsi in causam attracti sua indicabant nomina. Quinta Martii proclamatio primum facta, qui ab eo tempore proclamati sunt, nihil contra eos allegarunt, sed una sententia non convictos, imo quosdam nec accusatos involverunt omnes.

§ XII. *Respondere jubetur Steph. Sellyei.* — Respondere jubetur praesens Stephanus Sellyei, Pastor Ecclesiae Reformatae Papensis et circumjacentium Superintendens. Qui praefato honore dixit, se nolle quidem cum Rege suo clementissimo litigare, sed tamen cum a Regiis Ministris talium postularetur, quae si ita essent, merito exquisitissimis poenis subjici posset, ex officio boni viri sibi hoc tempore incumbere, ut honorem et existimationem suam tueatur. De ista accusatione itaque dicit, illam nec

ex toto nec ex parte concernere ipsius personam. Si quis adversus se habet aliquam praetensionem, illum idoneis oportet testibus instructum esse, ut talis demonstretur, qualis in accusatione praetenderetur. Se vita nihil charius possidere, eam fore in potestate Judicum, si quicquam ex accusationis punctis adversus se probari posset, nec deprecaturum poenas in actione specificatas. Interrogatur a Judicibus, an ea Juridice responderet? Quibus ait se nescire, quomodo acceptarent Judices Juridicene vel praeter-Juridice, se tamen pro sui defensione et jure nunquam aliter responsurum, donec accusationis puncta non videat contra se idoneis testibus probari. Tum Archiepiscopus: Si inquit velis Juridice respondere oportet, ut Procuratores tibi ab Excelsa sede impetres. Cui respondit: Sibi non opus esse Procuratoribus; veritas enim paucis terminis contenta non requirit longas Procuratorum altercationes. Vel invito tandem obtruduntur Procuratores, et necessitas eos constituendi imponitur. Expetunt igitur Samuelem Katzerium civem Posoniensem; denegatur illis: tandem Adamum Tsizmadia Nobilem Papensem, de quo quaerit Archiepiscopus: An Posonii adesset et quid vellet: forsitan Praedicantium causam vellet defendere? an non sciret, quod quicunque in causam horum attractorum defensionem susciperet ipse Rebellis haberetur non secus ac in causam attracti? an nondum sapere didicisset fratris sui exemplo, qui per integrum annum ob religionem in captivitate detentus erat et aegre dimissus? Vir ergo ille eximius causam suscipere non ausus ex hospitio clam suggerebat, quae ad defensionem in causam attractorum faciebant. Impetrant tandem Procuratores Franciscum Nagy Szedeki et Melchiorem Ferdinandum Heüsler, qui ad omnia Procuratoris Regii allegata ita responderunt, ut eum quamvis clamosum senem ad silentium reduxerint. In tali angustia Archiepiscopus, Kolonits, et alii Judices responsiunculas chartae inscriptas mittebant ad Procuratorem Regium, ita ut mira metamorphosi Judices, mox accusatores, mox testes, saepe et lictores essent. Cum de Procuratore impetrando Judices requirerent, haec verba sunt audita clare: Habeatis quantum vultis Procuratorum, non tamen vel si centum habueritis obtinebitis, quin aggravemini et causa cadatis.

§ XIII. Saepius ex iisdem Testimoniis Procuratores in causam attractorum comprobabant suam innocentiam, quae adversarii adversus eos producebant urgebantque crimen Rebellionis ipsis inpingi non posse, qui de ea ne cogitare quidem, multo minus moliri poterant. Omnis enim Rebellionis culpa penes Magnates Catholicos haesit, et signanter orta ea est a Georgio Lippai Archiepiscopo. Allegata Procuratorum ad jussum Archiepiscopi delentur. Protestantur Procuratores. Quid opus est sub specioso titulo Juris innocentes opprimere? Si nihil eorum allegata

juvent, tantum feratur sententia. Cum objectorum criminum Probationem urgerent, dixit Kolonitsius: Fiet, Fiet. Hoc etiam addebatur: tamen vos omnes convicti estis in prima Extra ordinaria sede, in illis, qui vobis longe doctiores et prudentiores recognoverunt se, et fassi sunt se esse rebelles. Et revera quid obtinebitis, si cum Domino vestro in jus congredimini.

Szeleptsenius exclamat, debet maxime forma juris observari. Ex acri tamen juris observatione non permittit allegata semel deleta scribi: in eo fuisset observantissimus Juris, si quaedam adversus Ministros adduci potuissent. Urgent Iucti, ut allegata accusationum cum determinatione personae, loci et temporis fiant, non enim posse Judicem ad individua vaga sententiam ferre. Nihil in eo proficitur, sed ad propudium usque obtruduntur Libelli Reversionales ad subsignandum; minitantur identidem nullam aliam esse viam, qua mortis sententia, foedissimi carceres aut transportatio ad Triremes Hispanicas evitari possint, nisi ea sola ut se humiliarent criminum intentatorum reos se agnoscendo, gratiam exorarent, et libellos ipsis porrigendos subscriberent sigilloque suo confirmarent. Tanta pollebant perspicacitate, ut nullis documentis adhuc allegatis jam videbant*, quid futurum esset: cum tamen Judex ponderatis allegatorum momentis sententiam colligere soleat. Componebant omnia ad comparentium in judicio terrorem; ipse Archiepiscopus publice et privatim ingeminare non intermittebat: Ne intres in judicium cum servo tuo. Misericordiam volo, non judicium. Hodie sum Pater, sed cras futurus sum Judex. Georgius Szetseni, Joannes Gilanyi, Adamus Forgáts et alii intenti ad omnes occasiones Libellos Reversionales offerebant; subinde cum commiseratione indicantes, hanc esse suae Majestatis voluntatem, ut non amplius patiatur Ministerium eorum in Regno. Duos ex iis praecipuos Stephanum Sellyei et S. Bátorkeszi ad se accitos diu ad subscriptionem ursit, interminatos perpetuos carceres in captivitate detinet, tandem ad sequens chirographum per speciem extortum dimittit: Nos Stephanus Sellyei in Papensi et alter Stephanus Bátorkeszi in Weszprimiensi sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Praesidiis Helveticae Confessionis Praedicantes, recognoscimus per Praesentes, quod siquidem nos ad instantiam Fisci suae Majestatis sacratissimae ad 5 praesentis mensis Martii in locum Excelsae sedis Locumtenentialis extraordinarium citati comparuimus. Spondemus itaque, quod nos sine praescitu et consensu Celsissimi Domini Principis Locumtenentis et Praesidis

* viderent (ed.)

praescriptae sedis Judriae Extraordinariae sub poena capitum nostrorum discedere, minime praesumemus, super quo praesentes Literas nostras manibus nostris subscriptas dare volumus. Datum Posonii die XIII Mensis Martii Anno 1674. Iidem

Stephanus Selleci Praedicans in praescripto Praesidio Papensi mp.	Stephanus Bátorkeszi Praedicans in praescripto Praesidio Weszprimiensi mp.

§ XIV. *Refutatur primum accusationis caput.* — Verum redeamus ad Puncta accusationis et quidem

Quod ad primum. De nullo unquam Ministrorum Evangelicorum probatum est aut probabitur, quod Magnates Regni Hungariae Pontificios, multo minus serenissimum Regem singulari applicatione idololatram appellassent. Nec ipsi adversarii in hoc probando multum desudarunt. Si vero id tantum per consequentiam ex praemissis eorum colligant, jam sic adversarii non solum comparentes Ecclesiarum Hungaricarum Ministros, sed omnes in tota Germania, imo in tota Europa Evangelicos utriusque Confessionis rebellionis accusare possunt, et accusarent omnino, modo partium suarum esset, nam illorum quoque sententia eadem est.

Quod ad secundum attinet. Tantum abest, ut contra Beatam Virginem sanctosque demortuos debachentur vel debachati fuissent, ut potius acriter pro iisdem semper stent; eo quod debitum honorem in honorabili eorum memoria, nec non virtutum eorundem imitatione illis alacriter semper exhibeant. Religiosam eorum adorationem Romano Catholicis usitatam ab iis juxta Scripturam sacram removent. Nec etiam debacchantur tunc, cum secundum verbum Dei adversus imaginum cultum docent cum universa Ecclesia Evangelii lucem amplexa. Tales objectiones docent hoc Tribunal non ob Rebellionem, sed Religionem esse erectum.

§ XV. Quod ad Sacramenti ipsorum conculcationem spectat? Nec Praelati, nec Procurator Regius in judicio quemquam in causam attractorum, qui illud fecisset, denotarunt. Alias quoque non sacrilegii, sed rebelliosae complicitatis praetextu fuerant citati.

Quod ad quartum, nempe Rebellionem, Regni proditionem et Tractatum cum Turcis? Non sufficit crimen aliquod in causam attractis impingere, sed oportet etiam impactum crimen probare: hoc tamen factum non est, ut vel in minimo puncto comprobassent. Praeterea Gerardus Hamel van Brunincx Praepotentium Foederati Belgii ordinum Residens Wiennensis anno 1675 innocentiam captivorum satis in Aula Imperatoria demonstravit.

§ XVI. *Literae Witnyedianae.* — Innocentiam verbi Divini Ministrorum docent et sub ficto Rebellionis praetextu Religionem fuisse oppugnatam sequentia clarissime evincunt argumenta.

Primo. Defectus Testium et Testimonii cujuscunque, quo probatum fuisset eos complices Rebellionis, aut cum Turcis de Regno tradendo tractasse, aut his simile quid fecisse. Si quid tale habuerunt, cur non produxerunt, ut vidisset Mundus? Summum adversus Inctos quaerebant praesidium in literis cuidam Stephano Witnyedio Augustanae Confessionis Nobili pridem demortuo attributis, quas ad Ambrosium Ketzer nobilem in Superiorem Hungariam et Nicolaum Bethlen Magnatem Transylvanum dedisset, quibus significaret Ministros Evangelicorum esse ad auditores suos movere paratos, ut in tempore sub specie boni Publici et libertatis defendendae praesto sint. Et quidem ille sensus post varias variarum expositiones ex occultis literarum characteribus (ut dicebant) investigatus est. Verum ipsi Adversarii 1) fatentur in extractu suo Tyrnaviensi, juvenem quendam magna pecuniae summa conductum literas istas cifris scriptas ex Transylvania retulisse. Unde pronum est cuivis judicare, talem nebulonem luculento praemio animatum nefas etiam in fingendo ausum esse. 2) Ne unus quidem comparentium in judicio nominatus vel accusatus, quod Witnyedii literas accepisset, aut ullum cum eo commercium habuisset. 3) Plurimi fuerunt Inctorum, qui an Witnyedius unquam in Mundo vixerit ignorabant, priusquam Posonii audirent a Judicibus. 4) Procurator Partis in causam attractae Melchior Ferdinandus Heusler invictis undecim argumentis literas eas demonstravit esse suppositicias adeoque nullum in judiciis posse habere locum. Quae Procurator Regius cum refutare non posset, hoc solum dixit: Ehodum alte in terram demiserunt aratrum tuum, ut non sis par, quo ex terra protrahatur. Quibus innuere volebat ea undecim argumenta ab alio accepisse Heuslerum. 5) Illustris Nicolaus Bethlen multis peregrinationibus et doctrina prudentiaque clarissimus injuriam nomini suo factam conquestus est, calumniamque publico scripto statim solide refutavit [1]). An ergo ex istis literis tot innocentes Ministri jure condemnari potuerint?

Plurima praesidia ab adversario Procuratore prolata erant mere ridicula. 1) Quod Praedicantes 500 convenerint et de Wienna occupanda consultarint? Cum aliquot Augustanae Confessionis Ministri Synodum Partialem Legibus Regni licitam celebraverint, pro causis Ecclesiasticis ordinandis, et Ecclesiarum conservatione. 2) Quod Papenses pueri adolescentesque tympano et vexillis instructi in campum prodierint, ut Procurator Regius interpretabatur, ut Rebellium adventui gratularentur? At vero ut mos est Studentibus diebus Mercurii et sabbathi ad recreationem. Sed quid hoc est? quomodo causam ferit?

---

[1]) In Apologia sua de Ministris ad Triremes damnatis edita 1676.

§ XVII. Secundo. Rebellibus nefariisque Patriae turbatoribus, praecipue si numero sint plures, ob solam officii abdicationem, e Regno emigrationem vel Religionis mutationem vita condonari nec jure divino nec humano solet. Mutata enim Religione crimen Regno perniciosum Legibusque Regni adversum non tollitur. At his comparentibus non solum vita, si Professionem Confessionemque mutarent, promittebatur, sed etiam amplissima donaria. Quare Magnatibus Catholicis Regi adversantibus vita donata non est praecedentibus annis?

Tertio. Finis in judicio a Praelatis contra Ecclesiarum Ministros intentus non erat Rebellionem punire, nisi externo levi quodam praetextu, sed Religionem Evangelicam per propriam comparentium subscriptionem vel apostasiam (nisi gratia Dei servati fuissent) abolere. Quid enim tam crebra et solicita Reversalium subsignationis ursio intendebat? nisi ut, quam hactenus per violentiam Ecclesiis libertatem extorquere non poterant adversarii, eam comparentes in judicio Ministri, Ecclesiarum Evangelicarum non posteriora membra, ultro abjicerent, Ecclesiasque adversariis diripiendas offerrent, cum ita perdueles se recognoscendo privilegiis se exuerent suis.

§ XVIII. Quarto. Attestatio omnium Regnicolarum innocentiae Inctorum, non solum ab Evangelicis, sed etiam a Catholicis facta. Stephanus Jora maximus Reformatorum Persecutor collegerat quaedam Testimonia, sed cum in causam attractos directe non ferirent malaque fide collecta esse constaret, Mandato Judicis curiae fit inquisitio, ubi Pontificii aeque ac Reformati ista testimonia, quae eorum nominibus erant subjecta inique et depravata, refutarunt. Adamus Forgats Adsessor istius judicii, cum longam orationem suasoriam habuisset ad Ministros pro impetranda subscriptione, expresse fassus est: se non credere quenquam comparentium cum Rebellibus vel sentire vel sensisse. Idem testatus est etiam Stephanus Zitsi ejusdem judicii adsessor. Accedit quod cum prorsus Libellos subscribere Ministri Incti nollent, non amplius Rebellionem, sed contumaciam, qua tot Praelatorum monita susque deque habuissent, exprobrabant, neque aliam ob causam conjecti sunt in carceres, quam propter illam constantiam, quae adversariis contumacia vocabatur, qua Reversionales subsignare constanter recusabant.

§ XIX. Quinto. Innocentiam Pastorum in judicio comparentium declarant etiam Preces eorum ante et post captivitatem et in ea, quibus pro salute Patriae et Regis quotidie apud Deum comparebant.

Judica, o Deus, nostram, imo tuam causam, et unitis Principum Christianorum animis sub clementissimo Rege nostro Leopoldo largiaris nobis pacificam mansionem Patriamque nostram dulcissimam, totius Christianitatis

propugnaculum, tum a praesenti Muhammedanorum jugo liberes, tum vero ab ulteriori eorumdem incursione protegas et defendas. Sed cum gemitu et lacrymis recognoscimus, o benigne Pater, peccata nostra, quibus non humanam, ut accusamur, sed tuam Divinam Majestatem offendimus, esse in causa, quod nos non solum Otthomannicum premat jugum, sed etiam ab iis, qui Christianum nomen gerunt, persecutionem* patimur. Fatemur cum serio animi nostri dolore, nostras ac totius gentis nostrae iniquitates peperisse nobis hoc omne malum, ut omnibus iis qui sunt circa nos, in tot tantaque opprobria simus oppositi &c.

§ XX. Sexto. Ministrorum Reformatae et Augustanae Religioni addictorum innocentiam loquitur etiam occasio, qua in imum miseriarum delapsi sunt barathrum; quae haec fuit. Pacem Rex Hungariae cum Turcis in medio victoriarum cursu inierat Hungaris (uti rebantur) nocentissimam, cujus conditiones ab omnibus consiliariis Hungaris celabantur, quas naturae humanae curiositatis vitio, eo ardentius scire optabant, quo celabantur diligentius. Archiepiscopus Strigoniensis Georgius Lippai, Franciscus Wesselenius Regni Hung. Palatinus, Franciscus Nadasdi Judex curiae, Nicolaus et Petrus Zrini Croatiae Bani et quidam alii consultabant, quid ipsis agendum in eo rerum statu esset? Archiepiscopus, Palatinus et Nicolaus Zrinius moriuntur in media consultatione, Petrus vero Zrinius cum Francisco Rakotzi genero suo imprudentissime, et quibusdam aliis movent turbas et excitant tumultus qui etiam condignas subierunt poenas. Expediti in Hungariam milites Magnatum ac Nobilium occupabant curias saepius innocentium et incaptivatos Hungaros carcere mancipabant. Ea occasione utendum rati Episcopi praetextu Rebellionis zelabant adversus Religionem, Templa occupando, Ministros in exilium abigendo. Cujus zeli inordinati foetus est Judicium illud Extraordinarium, et citatio Ministrorum ut ibi comparerent. Jam apparet Pastores fuisse innocentissimos, cum Regi rebelles fuerunt Magnates Catholici, qui Ministerium Evangelicorum Pastorum minime requirebant [1]).

§ XXI. Sententiae pronunciandae termino tandem adveniente a quinto Martii anno 1674 ad quartum Aprilis de industria per interpositiones aliarum causarum prorogato, antequam ad sententiam pronunciandam Palatium ingrederentur, varia adhibent terriculamenta. Archiepiscopus ita protestatur: Ego coram Deo et Mundo excusatus ero, non sum causa perditionis vestrae, sed vos ipsi causa vobis

---

[1]) Confer huc Literas Princ. Apafii superius descriptas. * patiamur (ed.).

omnium malorum, cum toties oblatam paternam meam gratiam acceptare non vultis. Paterna gratia ea erat, si Reversales subscriberent. Contestatus satis est paternam suam gratiam erga sex Ministros Reformatos in Castello suo Eberhardino captivos, quos non est veritus prope jam octuagenarius senex malleo et securi contundere, idque propria manu, adeo ut venerandi viri Stephani Nemethi brachium luxatum reddiderit fere inutile. Testatus est anno 1676 contra duos Pastores Reformatos, quorum nudos pedes tam strictis compedibus ferreis constrinxit, ut ne vesticulam quidem potuerint compedibus subinducere, qua pedem suum ab attritu et rigore ferri rigidi possent defendere.

Peracta Protestatione Archiepiscopi prodit Kolonitsius cum Reversionalibus in medium, quos praelegit tam in exilium quam in permansionem, addito promisso quinquaginta florenorum, a qualibet persona subscribentium ex Camera Hungarica pro viatico levandorum. Par Libelli Reversalis:

Nos infrascripti damus pro memoria significantes, quibus expedit universis. Quod siquidem nos ad instantiam Fisci Regii ob certam contra nos praetensam complicitatem ad jus delegatorium extraordinarium pro die 5 Martii anni currentis infrascripti in Regia ac libera civitate Posoniensi celebratum per testimonium venerabilis Capituli Strigoniensis evocati et certificati essemus, ibidem ad actionem et praetensionem Fisci Regii judiciumque superinde recepturi, medio autem tempore Auditores nostri sub simili citationis onere constituti, Templa et Parochias sub directione et administratione nostrae Augustanae Confessionis constituta praevia et certa accorda et transactione praememorato Fisco Regio cepissent et per manus assignassent. Idcirco nos quoque, licet nullius praefatae contra nos praetensae complicitatis conscii, nolentes tamen innatae potius suae Majestatis clementiae nosmet subjicere, quam cum praementionato Fisco ejusdem in litem condescendere. Acceptaque desuper a praememorato Fisco Regio assecuratione, quod ante latum Processum modo praevio contra nos judic. suscitatum omnino pro nullo cassatoque et mortificato habebit. Nobisque liberam cum familia et liberis nostris universis intra ambitum Regni hujus, non tamen in prioribus Residentiis nostris, et absque Praedicantismi seu Ministerii nostri exercitio, permansionem concedat. Eapropter obligamus nos per praesentes, quod a modo in posterum pacate et absque ullo seditionum implicito vel explicito molimine, inque Regno hoc Hungariae permanere velimus, nullumque penitus Praedicantismi seu Ministerii nostri exercitium, clam vel publice in cathedra, privatis domibus, aut aliis quibuslibet locis, sive illi patentes sint sive reconditi, aut subterranei a modo in posterum exercebimus. Neque in directione earum spiritualiumque officiorum nosmet

ullo modo immittemus. Sed totaliter et absolute renunciando muneri ac officio nostro, tam Praedicantiali quam et aliis Ministeriis Ecclesiasticis pacate et fideliter ad normam reliquorum suae Majestatis fidelium subditorum et secularium hominum nosmet gerentes, nullamque cum infidelibus suae Majestatis aut quovis modo et praetextu seditionem molientibus inimicis, scripto, nutu, verbo aut ope correspondebimus. Quin imo, quamprimum nobis talis seditionis et perniciosorum moliminum fama qualitercunque innotuerit, statim absque ullo favore, timore, praemio et complacentia id ipsum praefato Fisco Regio, vel vero suae Majestatis Locumtenenti, aut supremo Comiti Comitatus illius denunciare et intimare debebimus manebimusque obligati. Quod si autem huic obligationi Reversalibusque nostris in parte vel in toto satis non fecerimus, aut in aliquo promissorum transgressionis puncto comperti fuerimus: ex tunc eo subjecti simus Actioni et Acquisitioni praefati Fisci Regii, bonaque nostra universa ipso facto confiscentur cum Personarum nostrarum detentione et punitione. Harum nostrarum Literarum propriis manuum subscriptionibus sigillorumque impressionibus communitarum vigore et testimonio mediante. Datum Posonii Anno 1674 die 4 Aprilis.

Georgius Szétseni Archiepiscopus Colocensis quosdam ex Fratribus sejunctos conatur ad subscribendum permovere. Adamus Forgats, Stephanus Zitsi idem faciunt; frustra omnia. Post multas altercationes sedent pro Tribunali omnes Romano Catholici, in summo Georgius Szeleptseni Archiepiscopus Strigoniensis, a Dextris Ecclesiastici:

1. Georgius Szétseni Archiepiscopus Colocensis et Episcopus Jauriensis.
2. Thomas Palfi Episcopus Nitriensis et Cancellarius.
3. Leopoldus a Colonits Camerae Hungar. Praefectus et Episcop. Neostad.
4. Stephanus Sennyei Episcopus Weszprimiensis.
5. Stephanus Gubasotski Episcopus Quinqueecclesiensis.
6. Stephanus Balog Capitularis Tyrnaviensis.
7. Joannes Korompai Capitular. Tyrnaviensis.
8. Melchior Kerekes Vice Comes Musoniensis et Regiae Tabul. Ads.
9. Michael Váli Notarius Capituli Strigoniens.
10. Georgius Török Tabulae Regiae Adsessor.
11. Joannes Lapsantzki Secretarius Regiae Tabulae.

A Sinistris seculares erant eo ordine:

1. Comes Adamus Forgats Judex Curiae.
2. Comes Paulus Eszterházi Confin. Ersekujvar oppositorum Generalis.
3. Comes Nicolaus Palfi custos coronae.

4. Comes Joannes Antonius Palfi.
5. Stephanus Zitsi custos coronae.
6. Joannes Majtini Personalis Praesentiae Locumtenens in Judiciis.
7. Comes Georgius Erdödi.
8. Abbas Sancti Martini.
9. Valentinus Szente vice locumtenens.
10. Stephanus Morotz vice Judex curiae.
11. Joannes Menyantzki Prothonotarius.
12. Andreas Pesti Prothonotarius Judicis curiae.
11. Georgius Tersnyantzki Prothonotarius personalis.
14. Nicolaus Majlath Fiscus et Director causarum Regalium.
15. Petrus Fodorotzki Procurator Fiscalis.

Collaterales erant nonnulli:

1. Comes Adamus Czobor.
2. Comes Valentinus Balassa.
3. Ladislaus Károlyi.
4. Joannes Maholanyi, Praefectus Curiae Archiepiscopalis.
5. Paulus Orban Protonotarius.

Tandem horrendam in Ministros mortis pronunciant sententiam: eadem sententia manet etiam scholarum Rectores die VII Aprilis eo solum nomine, quod in acta et facta Ministrorum contra eosdem nullis testimoniis edocta consenserint, neque fidelibus suae Majestatis facta (quae non erant) revelaverint. Existimabant Judices, sententia mortis tanquam Gorgonis capite territos Ministros omnes catervatim vel ad periculosas subscriptiones vel ad apostasiam ruituros; at quasi nova rediisset in praecordia virtus, ea sententia nullos movit, imo qui hactenus nutaverant, etiam jam nunc confirmati summopere in miseriis laetabantur.

§ XXII. *Post latam sententiam terrentur.* — Sententia mortis ex nulla praecedanea convictione in capita innocentium pronunciata, pro more Judicialis Processus, in terrorem Ministrorum majorem incutiendum Procurator Regius instat apud Excelsam Sedem, ut illico tanquam mortis filii in vincula conjicerentur et carceribus inclusi ibidem ad executionem sententiae detinerentur. Verum cum nec isto terrore proficerent (addita excusatione, quod compedes pro tot hominibus non haberentur sufficientes), decernunt judicialiter, ut solum in Hospitiis prioribus passim in urbe et suburbiis usque ad ulteriorem hac de re resolutionem arrestarentur. Sententia lata et Ministris Ecclesiarum nihil loquentibus, Georgius Szétseni Archiepiscopus Colocensis dicebat: Nebulones neque gratias egerunt pro sententia lata. Arrestum hoc tam laxum fuit, ut quocunque cujusque animus ferebat intra suburbiorum muros libere deambularet, non sine gravi praejudicio Regiae Tabulae.

Nec verbum ullum facturus erat Procurator de vinculis post latam sententiam, nisi admonitus ab Archiepiscopo fuisset. Cum Regius Procurator Ministris jam condemnatis insultaret, respondit Stephanus Sellyei: Nos fuimus innocentes et de praesenti ii sumus, si vero in innocentia nostra opprimimur, patientia nobis opus est. Effervescit ad dictum istud Procurator: Ergo tu Judices injustitiae arguis, tu totius mali causa es, hactenus alii subscripsissent, compesce linguam, quia statim maximis compedibus coarctatum in eum curabo deduci locum, ubi canis tibi panem e manibus non eripiet.

§ XXIII. Traditi in liberam laxamque custodiam, ex qua non invitis Judicibus quisque, dummodo Christi causam prodere animus esset, fugam capessere poterat, in eadem omnes (exceptis Papensi, Filekiensi, Vesprimiensi, Levensique Pastoribus Praesidiariis Reformatis ad terrendos caeteros die V Maji, adeoque quinta demum a damnatione hebdomada, ferro apud domum Leopoldi Kolonitsii vinctis et in arcem Posoniensem abductis) octo hebdomadas integras exegerant. Quo temporis intervallo exquisitissimas quasque artes denuo Judices ipsi, imprimis Archiepiscopus Szeleptseniuset Episcopus Neostadensis Kolonitsius, pervertendis et ad subscriptionem libellorum, quam solam redimendae vitae et pretii etiam impetrandi conditionem praefigebant, subigendis explicuerant. Modo ex libera custodia excedere, fugam arripere jussi, modo verberibus ad sanguinem usque ipsius etiam Kolonitzii manu caesi, modo novis inquisitionibus vexati, modo Triremium proposito metu ad facienda desiderata invitati sunt. Saepius Archiepiscopus in Aulam quosdam evocabat, blandis discursibus sortem eorum dolere visus, libellos offerrebat, mox minis territabat. Cum vero nec sibi ipsi crederent Adversarii, per duos Capitulares et Procuratorem Peresit Jacobum Tsuzi, Stephanum Harsanyi, quamvis jam morti condemnatos ac amissioni omnium bonorum adjudicatos, citat, comparentes stricto juramento exacto in haec Puncta examinari facit.

I. Quid causa est quod non subscriberent? Respondet Stephanus Harsanyi, quod hic unusquisque Ministrorum esset examinandus, neque enim ipse potuit omnium sensus et arcana inspicere. Interim se hactenus his rationibus inductum non subscripsisse: 1) Quia illibata conscientia non permittit sibi ut eum esse fateatur, qui non esset, nempe rebellem. Etsi enim terminus nempe complicitatis rebelliosae de Literis Reversionalibus jam tolleretur, quia tamen nemo subit aliquam poenam, quin praesupponatur aliquod peccatum, non posse se etiam his mitigatis subscribere. Et hoc eo magis, quod Archiepiscopus de mitigatis Reversionalibus aliquando dixerit, permittere nos quascunque formulas Reversionalium subscribere, manet tamen illud.

Ultimus et primus (scilicet subscribentium) sunt in honore pares. 2) Neque est necesse me subscribere, quia ego jam sum morti adjudicatus adeoque non teneor istam sententiam taliter qualiter contra me latam justificare. Sed si talis sum condemnatus scilicet, non est opus ut fulcra ejusdem sententiae a posteriore quaerantur. 3) Quia hic periculum Religionis quaeritur, nolumus ista macula per subscriptionem foedari, quae in Reversionalibus insinuatur, liberum Religionis exercitium nobis et toti Regno concessum, per Divos Reges et per Modernum confirmatum tollere patriamque libertatem prodere.

II. Quis vos animat vel ex secularibus vel Ecclesiasticis? Respondet: Nos praeter Deum et nostram innocentiam bonitatemque causae nostrae, nullum habemus qui nos animaret.

III. An ipse Archiepiscopus author fuerit, quominus subscripseritis? Nobis non fuit, sed tamen cum paucis ante diebus in Aulam Archiepiscopalem evocati fuissemus, Dominus Archiepiscopus produxit quasdam Regis nostri Literas, in quibus per expressum significabatur, quod gratia suae Majestatis tam de quinque jam in Arcem Posoniensem deductis captivis, quam de aliis praestolanda foret. Contradictio enim esset, quod saepius Archiepiscopus nos ursit ad subscriptionem, et tamen hoc tempore nescio quibus verbis dehortaretur.

§ XXIV. Variis exagitati modis in octavam usque hebdomadem post pronuntiatam a Judicibus sententiam, iteratis vicibus Regiam Majestatem sequenti requirunt Libello supplici:

Serenissime atque invictissime Caesar, Rex et Monarcha Romanorum clementissime!

Ad Thronum Vestrae Sacratissimae, Caesareae et Regiae Majestatis, cujus clementia totus Christianus orbis, non secus ac splendore radiorum solis exultat ac gaudet, nos miseros undiquaque coangustatos Augustanae et Helveticae confessionis Praedicantes, Rectores scholarum et Studiosos in praesenti hocce calamitatum aerumnarumque nostrarum barathro constitutos in praesentiarum supplices confugere oportet.

Postquam enim, Caesar invictissime, Rex et Domine D. naturaliter clementissime, nos miseros supraque modum a longo tempore afflictos non solum nostris Parochiis atque officiis Ecclesiasticis cedere coacti, verum et pro die V Mensis praeteriti Martii anni currentis ad jus extraordinarium a Regio V. S. Majestatis Fisco Posonium ad personaliter comparendum citati fuerimus, eoque ipso, tanquam V. S. Caesareae Regiaeque Majestatis humilimi perpetuoque fideles subditi, ad declarandam nostram obedientiam fidelitatemque (quam semper observavimus quamque nos ad extremum vitae nostrae halitum erga V. S. M. observaturos pollicemur), promptissime numero ducentorum et ultra hic comparuerimus. Miras adversus nos extensas querimonias magno cum animorum nostrorum

horrore perturbationeque percepimus et audivimus. Et licet nos miseri afflictissimique homines hic loci coram Excelsa Sede humilime obtestati fuerimus, nos miserrimam objectissimamque plebeculam nulla ratione cum V. C. R. Majestate tanquam Rege et Domino Domino nostro clementissimo, nec in minimo quidem causarum puncto in litem condescendere velle, multo minus posse; quin potius quemadmodum antea semper et perpetuo innata vestrae Caesareae Regiaeque Majestatis gratia et clementia nos suffultos esse gaudebamus: ita et in praesenti et in posterum eadem perfrui gestimus, facta superinde sufficienti nostrae innocentiae ibidem declaratione, nobis eorum nihil quicquam, quorum insimulamur accusamurque, tanquam semper humilimis et fidelibus V. C. R. Majestatis subditis, unquam in mentem venisse, nedum tale quidpiam scelus nefandum, a quo Christicolarum mentes prorsus abhorrent, in effectum deducere voluisse. Verum enimvero nullo nostrae innocentiae satis superque declaratae et excusatae respectu habito, praeter omnem nostram spem et expectationem accidit, ut contra nos miseros supraque modum afflictos gravissima condemnationis sententia pronunciata et promulgata fuerit; superaddita terribili hac interminatione: Si quis nostrum Posonio discedere praesumpserit ante allatam V. C. R. Majestatis Resolutionem, eum extemplo plexum iri. Et quoniam nos miseri, quorum tantus est numerus, a tam longo tempore jam in octavam hebdomadam hic detinemur, adeo ut jam potior nostri pars emendicato saltem pane vivere, ne fame duntaxat contabescat, sed et morbo plerique affecti vario ex lecto surgere nequeant. Eapropter supplices accurrimus ad Thronum Vestrae S. M. nos miseri et afflictissimi Praedicantes, Rectores Scholarum et Studiosi, obnixe rogantes propter Dei misericordiam et ob vulnera Christi Salvatoris dignetur V. S. M. nostram miseriam, calamitatem aerumnosamque afflictionem clementissimo suo oculo respicere, et secundum sibi innatam totique mundo optime notam clementiam, nos miseros et undique coangustatos clementissima sua Resolutione laetificare et exhilarare, hocque toto in negotio tale adinvenire medium, quatenus nos miseri in priori V. S. M. omni felicitate et subjectione, nostrum victum et amictum sub ejus potentissimo Patrocinio quaerere invenireque valeamus. Atque sic ulteriori gratiae et favori clementissimo commendati et ad preces pro V. S. M. fundendas semper obligati paratique, optatissimam Resolutionem humiles exspectamus.

Vestrae Caesareae Regiaeque Majestatis

subjectissimi et fidelissimi subditi Augustanae et Helveticae Confessionis omnes et singuli in arresto detenti Praedicantes, Rectores Scholarum et Studiosi.

Resolutio etsi instantiam subsecuta fuerit a Rege clementissimo, communicata tamen cum captivis non est.

§ XXV. Omnes in unum contractas adversus miseros Ecclesiarum Scholarumque ministros artes et machinationes, ut eos cassibus suis et laqueis indutos* Religionem everterent (quas hic singillatim enumerare diuturni et difficilimi esset laboris), forti tamen animo tentationes hactenus superarunt omnes. Ad extremum die XXV Maii Fratres Augustanos a Reformatis separari et illos quidem ad Aulam Archiepiscopalem se vocari placuit; quo demum artificio nonnihil Persecutores efficiunt. Nam separatis ita Augustanis ab Archiepiscopo, Kolonitsio et Hofkirkero nullum non ad labefactandam eorum constantiam lapidem moventibus, optio tandem datur, vel subscribendi, sive ad abdicationem muneris spontaneam, sive ad exilium, sive ad amplectanda Pontificia sacra, libellis, vel carceres subeundi. Subscriptionem eligunt non pauci, carnis infirmitate victi; carceres reliqui numero quadraginta sex, una cum duobus Reformatis, qui eventum speculaturi se Augustanis miscuerant. Illi singuli cum mercede quinquaginta florenorum dimissi, hi in carceres abrepti: inde post horas aliquot protracti et circa tertiam ejus diei, alii navibus in Danubio, alii curribus impositi ex urbe suburbiisque in diversa Regni fortalitia vecti; novemdecim, quibus Reformatus unus accessit, Komarominum, octo Sarvarinum, octo Berentsinum; octodecim, quibus itidem Reformatus unus accessit, Leopoldopolim deportati ferro constricti omnes et foedissimis carceribus inclusi sunt. Et postremis quidem octodecim additus Lictor una cum restibus proxime patibulum in campo suspendium minitans, nihil terrore isthoc apud obfirmatos et pro Christo mortem quamvis oppetere paratos promovit.

§ XXVI. *Reformati exagitantur.* — Qui Posonii supererant Reformati, separatorum a se Fratrum aliorum quidem inconstantiam summo cum dolore, aliorum constantiam pari cum laetitia spectantes, se Deo devovebant totos, eadem gratia praeclarum agonem ad ultimum usque spiritum certaturi. Vocatis igitur ad eandem Archiepiscopi Aulam, Thomae Palfii Episcopi Nitriensis, Regiae Aulae Cancellarii, Epistola praelegitur, cujus Summa erat: Majestatis Regiae de Praedicantibus contumacibus, eo quod Posonii conventicula celebrent et forte etiam sacramenta administrent atque adversus tot Episcoporum monita praefractum obstinatumque animum prodant (egregia causa), ultimam sententiam esse, ut in varia fortalitia distributi mortificentur. Tum Archiepiscopus simulata de Kolonitsii, quem rufi militis convitio aspergere solebat, crudelitate et sanguinariis, quae continue adversus Pastores agitet, consiliis, querimonia

* ac (ed.)

eosdem demulcens, iterum iterumque subscriptionem suadet, ceu medium unicum, quo non tam suo, quam efferato Kolonitsii animo satisfieri possit. Sed obsurduerant pridem ad Sirenes hasce castissimae servorum Christi aures. Denuo igitur iisdem qui supra in Archiepiscopi aula coactis, Kolonitsius, Hofkirkerus, Lapsantzkius una cum Archiepiscopo dirissima quaeque interminati, inter alia Regiae Majestati stare sententiam immotam, atque a se nunc Ejus nomine promulgari, ne liberum Religionis Evangelicae exercitium in Regno Hungariae amplius exerceatur, asserunt. Excipientibus Pastoribus, se non intelligere, quemadmodum Rex, nondum a Sacramento juramenti, quod Regni Statibus praestiterit, solutus, sententiam ejusmodi per ministros suos promulgare voluerit? Iracundi non hic locum esse disputandi regerunt. Sine mora Mimistris quadraginta et uni, Reformatis omnibus (reliqui enim sedecim ex numero universo quinquaginta septem Posonii comparentium, partim jam in carceres detrusi erant, partim se mature ante latam sententiam, non subscriptis libellis illis, subducentes ad Ecclesias suas, defensi a terrestribus Dominis, redierant, duobus duntaxat ex omni Reformatorum choro, Pastore uno et Ludimagistro altero, a terrestri suo Domino Judicii Adsessore ad muneris sui abdicationem seductis) in vincula raptis obnunciatum: Ad Triremes ipsis eundum, ubi senes etiam addiscere Linguam Italicam debeant, futurumque sit, ut lac etiam maternum illis amarescat, Archiepiscopo ipso animam suam Diabolis discerpendam devovente, si ulli etiam Religionis mutationem promissuro posthac unquam liberatio inde obtigerit.

§ XXVII. Ex eo tempore non amplius subscriptio Libellorum, sed mutatio Religionis unice urgebatur, et ex carcere producti eodem die viginti, curribus tectis impositi prosequentibus militibus alio deportati sunt, Sarwarinum septem, Kapuvarinum totidem, Eberhardinum castellum sex, ubi catenis onerosissimis constricti, in carceresque teterrimos conjecti, omne ludibriorum et calamitatum genus inter efferatos in extremam rabiem hostes, Jesuitas cumprimis certatim affluentes et ad apostasiam captivos solicitantes, forti animo inter preces assiduas hymnosque ceu laetum Poena* tolerarunt. Reliqui viginti et unus elapsa hebdomade eodem carcere Posoniensi soluti, curribus militum catervis stipati, et vestimentis honestioribus aliisque, quae residua secum ferebant, Kolonitsii jussu spoliati, Leopoldopolim avecti atque ibi in carceres iterum obscuros profundissimosque abjecti sunt.

§ XXVIII. *Berentsini vexantur captivi.* — In dirissima diversorum locorum captivitate infandum in modum vexati cruciatique documenta

* laetam poenam (ed.)

dederunt, quid expectari a Romano clero, sicubi iis suae satis vires sint, debeat. Pauca recensere non erit abs re.

Qui Posonio Berentsinum asportati atque ibi bini atque bini sub jugo, boum instar, constricti in arcem deducti et carcere ejusdem absconditi fuerant, quatuor Reformati, Stephanus Sellyei Ecclesiae Papensis Pastor et vicinarum Superintendens, Michael Miskoltzi Ecclesiae Ref. Fülekiensis M., Stephanus Batorkeszi Ecclesiae Refor. Weszprimensis M., Petrus Tzegledi Eccl. Ref. Levensis M., Georgius Lani Scholae Karponensis August. Confessionis Rector, tam strictis compedibus vectes ferreos et quadrangulos acuminatos, transversim utrosque pedes lancinantes habentibus constricti sunt, ut neque incedere, neque ab attritu earum, ferro transversim inter utrosque pedes immisso, calceos omnemque vestem pedibus superinductam corrodente, pedes defendere possent. Carcer ipse, in quem abstrusi fuerant, tenebricosus excrementis foedissime scatens, extrema supplicia passuris destinatus, qui per angustum foramen subiri, nisi a genibus palmisque innixis non poterat; insectorum insuper tanta copia refertus erat, ut eorum morsibus aliisque incommodis infestati noctes plerasque insomnes captivi ducere coacti fuerint. Cumque Praefectus ipse Arcis Kolonitsio significaret, captivos ob debilitatem corporum tolerandis malis istis impares esse, respondit ille: Parum referre, tumulum forte in agro toto repertum iri, in quo miseriis illis confecti sepeliantur. Prohibiti insuper sub poena centum et amplius Baculorum, nec non Turcicorum verberum captivi sunt, ne de sua captivitate quicquam cuiquam communicent. Rigidissima hyeme captivi ligna in usum Praesidii allata in superioris arcis aream deportare et aquam ex profundissimo puteo exhaurire coacti sunt. Fülekienses liberationem Pastoris sui in Aula solicitare volentes, Posonium transituri incaptivantur et diu in carcere detenti sunt.

§ XXIX. *Komaromii captivorum sors.* — Komarominum adducti viginti, Reformatus unus Basilius Köpetzi et Augustani novemdecim, postquam eodem cum Turcis carcere clausi, compertoque a Reformato confessore magnanimo non parum reliquos confirmari, ita separati sunt, ut Reformatus Turcicis compedibus illigatus, a reliquorum consortio divulsus, in carcere peculiari eoque foedissimo solus delitescere quinque menses integros coactus fuerit; reliqui vero, exceptis duobus, omnes Sclavonicae Gentis, taedio squaloris carcerum vexationumque victi, subscriptionem de abdicandis sponte muneribus suis frusta obtulerunt. Praefecto enim apud Kolonitsium intercedente, ut ea conditione liberentur, responsum est: Sero nimis finito jam gratiae tempore libellos offerri. Neque alia jam conditione liberari eos posse, quam si, Religione solenniter ejurata, Pontificia Sacra amplecterentur. Sic male consulti post

quatuor fere mensium patientiam, horribili apostasia, jurantes in verba insolentissima, novae fidei novissimis Hungariae Catholicis praescriptae, carcerum molestias mortisque metum redemerunt, et impietatis suae mercedem, alii quinquaginta, alii pauciores florenos, prout dignitas vel meritum personae postulare visum est, retulerunt. Sed paulo post, visa Leopoldopoli reliquorum constantia, conscientiae furiis ita agitati sunt, ut eorum nonnulli diei nativitatis suae maledixerint. Qui vero Komaromii supererant tres confessores constantissimi, ad sordidissimos quosque labores, quibus Turcas et Zingaros captivos ibi adstringi mos est, ab ortu solis ad occasum usque, nullo aestus, frigoris, hyemis, aestatis discrimine exantlandos coacti, Deo illibatam fidem constanter servarunt.

§ XXX. *Eberhardini vexantur.* — In carcere Eberhardino Archiepiscopus jam octogenarius, propriis manibus, malleorum subsidio, ita captivos contudit, ut membra etiam nonnullorum luxata officio defungi amplius nequiverint. Eosdem convivis suis illudendos exagitandosque exposuit, tandemque in eorum conspectu ad labores sordidissimos relegavit et se aliisque praesentibus ad sanguinem usque desudare subegit.

§ XXXI. *Leopoldopoli vexantur captivi.* — Horrendum cumprimis in modum divexati sunt ii, qui Leopoldopoli in carceribus dirissimis attinebantur numero triginta novem, Augustani septemdecim et Reformati viginti duo, ex quorum censu Augustani tres et Reformatus unus (ilico tamen resipiscens) unius et alterius diei inedia, laboribus, compedibus fracti defecerunt. Reliquos Jesuita Nicolaus Kelio his verbis salutavit: Ego ratione tum officii tum specialis mandati vos visito, simulque vobis denuntio, gravissima vobis, nisi jussa feceritis, imminere. Pane nigerrimo militari et aqua, ferreis compedibus vincti, omnibusque miseriis subjecti, vitam morte tristiorem tolerabitis. Tali Evangelio convertere miseros primo impetu sategerat. Quos ubi ad obnunciationem ejusmodi imperterritos videt, sine mora compedibus senes juvenesque, firmos infirmosque, juxta constringi Turcico more curat. De innocentia sua protestantibus respondit: Equidem duplicis Rebellionis, Ecclesiasticae adversus Ecclesiam, et Politicae adversus Regem, crimine laboratis. Quod si maxime Politice rebelles non essetis, uti credo, plures vestrum de rebellione ne cogitasse quidem, tamen ob rebellionem Ecclesiasticam omne genus poenarum commeruistis. Labores plusquam serviles et nunquam subinde ne diebus quidem Dominicis interruptos, obscoenissima quaeque loca intensissimo aestu expurgandi, carceres aggeresque effodiendi, fortalitii aream, uligine madidam, lapidibus et arenis obducendi, aggeres circa muros congerendi, nives densas ventilabris avehendi, profligatissimorum denique mancipiorum occupationibus suetis defungendi,

ita exactores furibundi milites mercede ad saeviendum conducti, summo exactore in his Kelione, perpetuis verberibus, adhibitis etiam hastis, sclopetis et restibus aqua madefactis, induratis et in nodos colligatis, conculcatione per pedes, capillorum evulsione, aliisque dirissimis saevitiae modis exasperarunt, ut simile quid vix ulla historiarum monumenta adversus vilissima Mundi rejectamenta patratum commemorent.

§ XXXII. *Carceres sibi effodiunt captivi.* — Cum carcer effodiendus esset, his verbis haud postremus inter Pastores, vir praecipua authoritate spectabilis Stephanus Mauritius Harsanyi, apud Jesuitas praesentes de crudelitate et insolentia operis protestabatur: Coram Deo, Angelis et hominibus protestamur, quod crudelius longe nobiscum agatis, quam olim cum Apostolis crudelissimi persecutores egerunt. Apostoli enim fuerunt in carcere; sed carcerem sibi effodere nunquam coacti sunt. Nos Apostolorum discipuli non solum in carcere sumus, sed etiam inaudito exemplo carcerem nobis effodere cogimur. Quamobrem ut vos ceu authores crudelitatis tantae inexcusabiles reddamus, en primus ego clavum infigam. Risu profuso haec Jesuitae excipientes responderunt: Laborabitis ergo tanto alacrius, quia impulsivas tam graves habetis. Labores istos durissimos et poene intolerabiles subeuntibus, panis nigri exiguum demensum, tertio quoque die ubi optime cum iis actum est, libum quatuor librarum praebitum est: noctu vero in carcere degentibus nunquam aquae tanta copia facta, ut sitim ex diurnis laboribus contractam levare possent. Interdictum insuper omnibus, ne iis interdiu extra carcerem occupatis, vel in carcere etiam agitantibus, sive clam, sive palam vel minimus cibus potusque offerretur. Quod interdictum violantes ex commiserationis aestu quodam, tum vir caepas misero offerens, una cum accipiente, inflictis verberibus pluribus gravissimisque, tum muliercula carnis et panis nonnihil in transitu porrigens a Jesuitis deprehensa, collum manusque nunellis meretricum inclusa et publice per compita, intensissimo frigore circumducta, nefas expiarunt. Vestimenta et calceamenta semel attrita non reparabantur a quoquam, ita ut nudis pedes seminudisque reliquum corpus, in conspectu omnium mandatis laboribus defungendum fuerit. In carceribus angustissimis, pluviis nivibusque perviis, inter homines maleficos ob capitalia delicta captos, maledictis continuis sacro cultu defungentibus obstrepentes, non raro cum serpentibus et bufonibus conflictandum fuerat, a reliquis vero insectis identidem quies somnusque turbati. Etiam in carceribus verbera horrenda, ictusque inflicti non raro ob causas levissimas.

§ XXXIII. Captivus vir egregius doctissimusque Martinus Szent Peteri Minister Eccl. Ref. Hetenyiensis, ex carcere ad amicum de

calamitatibus suis nonnihil scripsisse compertus, hanc praesente et dictante Jesuita Kelione poenam subiit, ut in terram projectus a novem militibus percutientibus baculis spissis et nodosis ita caesus, et praefecti calcibus horribiliter ita impetitus conculcatusque fuerit, ut pro mortuo sublatus, ac mox respirans in novum carcerem, solus et ense stricto custoditus, sine ulla corporis sanguine foedati dilaniatique cura, conjectus fuerit.

§ XXXIV *Coguntur ad cultum Romanorum Templa &c.* — Innumerae certe concatenataeque calamitates fuerunt, quas captivi incredibili robore ex alto instructi fortissime sustinuerunt, quarumque apud posteritatem fides propemodum laborabit. Singulas vero cum prosequi non liceat, omittere tamen id unum adhuc, quod impietatis et crudelitatis numeros omnes implet, non possumus. Cum nec authoritate sua, nec suasionum illecebris ullis, nec promissorum melle, nec comminationum cruciatuumque felle, id hostes impetrare a Confessoribus constantissimis possent, ut vel sponte muneribus suis abirent, vel exilium deligerent, vel Religionem mutarent, aliam quercum excutiendam rati, captivos ad Templa aliave loca, quibus Hostia consecrata vel offerebatur a sacrificulis, vel adorandum ostentabatur, violenter pertraxerunt. Vidisses ibi contentionem furiosam impellentium cogentiumque et ex adverso certamina confessorum ad sanguinem usque reluctantium. Singulis fere diebus solis festis et jejuniorum temporibus, Kelio per armatos milites, veluti praelium inituros, captivos seu extra carceres laborantes seu in carceribus delitescentes adoriri solitus, in Templi aream compellere conatus est. Restitantes omnibus viribus ex carceribus raptatos bipennium et sclopetorum ictibus plagisque horrendis tanto quandoque impetu, ut uno impulsu ad secundam usque, quae atrii carceris erat, januam jactarentur, protrusos eo redegerunt, ut humum postrati terrae se affigerent. Mox igitur capillis erectos stantesque sclopetorumque stimulis lateri dorsoque infixis compungebant, propellebant, raptabant iterum, ita ut totum isthoc Templum versus iter tragicum non aliud, quam continua quaedam cadentium, aegre surgentium ac denuo in terram propulsorum, miserabilis jactatio ac provolutio fuerit. Demum feralium istorum raptuum pertaesi, consilio inito captivi consentiunt, se deinceps jussos non expectata amplius jactatione Templum intraturos, conciones audituros, preces pias ad Deum fusuros, ea tamen lege, ut mortem potius praesentissimam subire, quam vel minimam partem cultus illiciti obire malint. Ita atrium Templi ingressi injuriosas in se Jesuitarum conciones audiunt, et adversariis ad altare usque trahere atque ad cultum Hostiae consecratae cogere molientibus, et tantum non ejus rei causa in atrio Templi bellum cum iis gerentibus, adeo fortiter mortem etiam oppetere parati resistunt, ut violenta hostium molimina universa irrita ceciderint.

§ XXXV. *In Festo Ignatii misere vexantur.* — In Festo Ignatii, ut casus Tragicos plures, qui in numerato sunt, recensere supersedeam, summo mane captivi, ad labores sordidos expulsi, instante Missa interruptis laboribus Templum adire jubentur, obfirmant illi animum eo potissimum die, quo se ad vetitum cultum adactum iri majori contentione metuebant merito, Templumque se ingressuros simpliciter negant. Obloquitur Kelio: Itane, boni Pastores, vim metuitis, atqui cum daemonium habeatis, hoc non alio modo expelli illud debet. Accersuntur milites, qui propere alios baculis feriunt, alios sclopetis urgent, alios strictis ensibus, bipennibus alios propellunt, et instrumenta ejusmodi in dorsis obnitentium frangunt, tandemque fessi, et crudelitatis sub dio, inspectante hominum multitudine ingenti, patrati* pertaesi, absistentes ulteriori ferocia Jesuitas destituunt. Tum Kelio, in furorem conversus, duos venerandos senes corripi jubet, qui a subornatis ministris verberibus plagisque contusi et semimortui, nullis ad resistendum viribus residuis, unus ad atrium Templi, alter vero ad altare usque rapti, pedibus baculisque promiscue** multitudinis, calcandi proterendique objiciuntur, qui humi dum Missa celebrabatur jacentes, et poene exanimes, finita Missa a reliquis captivis in carcerem deportati, nunquam posthac valetudinem recuperarunt, continuisque artuum doloribus fracti, pias animas alter Neapoli, alter post eliberationem Curiae Rhetorum Deo Redemptori suo reddiderunt. Erant hi Stephanus Szilvasi Past. Eccl. Ref. Tsásváriensis et Andreas Turotzi Past. Eccl. Aug. Conf. Tülekiensis.

Praeterea ne ansa saeviendi deesset unquam, sacrificuli cum sacramento ad agros pergentes, ea plerumque loca, quibus laboribus suis insudantes captivi deprehenderentur, transibant. Atque tum iterum adversus eos cultum praetensum negantes, brutis verberibus, imo ardentibus quandoque etiam facibus saevitum, neque cessatum ante est, quam bipennes enses sclopeti confracti et captivi, ceu animalia mactationi destinata, in terram prostrati, cernuique, in sanguine suo volutati misere sunt, sacrificio incruento quod Kelioni sanguine madentes nuntiari petierunt in cruentum converso. Sic singulos, quibus ad laborandum protracti sunt, dies supremos sibi illuxisse deputabant, neque precarium inter tot mala spiritum traxerant, nisi in infirmitate illorum Divina potentia perfici et velut triumphare coram toto Mundo gestivisset.

§ XXXVI. *Kelio de Beneficiis Recognitionem extorquet.* — Quis talia fando audivit unquam? caret exemplis diritatis immanitatisque tantae omnis retro antiquitas, in qua persecutores etiam saevissimos, veri etiam Dei prorsus expertes, flagitiosae ejusmodi crudelitatis puduisset. Et puduit

* patratae (ed.) ** promiscuae (ed.).

tandem saevitiae ipsum etiam Kelionem, postquam ejus crudelitas calamitate innocentum utcunque satiata est, atque si non vindictam praesentem Dei, at infamiam certe apud homines, quibus paulatim facinora haec innotuerant, extimescere coepit. Tum ad stropham sua prudentia dignam se convertens, tot malefactis simulata quaedam beneficia miscuit. Nam et amicos quosdam captivorum aliquando admisit, et munera nonnulla illis consecrata administravit in speciem; at pessima revera fide, partem majorem militibus aliisque diripiendam relinquens, uti postea captivis compertum est. Ut igitur apud exteros fucum quendam crudelitati suae obduceret, a captivis die XV Februarii anno 1675 confessionem beneficiorum illorum propria singulorum manu signatam petiit. Suboluit satis captivis, quo tentatio illa tenderet. Neque tamen post longam gravemque cum Jesuita disceptationem, re mature deliberata, testimonium ejusmodi denegandum plerique saltem duxerunt, veriti scilicet, ne in re licita repulsam ferens saeviret atrocius, cum atrociter adeo saevierit hactenus adversus detrectantes obsequium in rebus illicitis. Apochas igitur manu propria signatas exhibent, quibus testantur, gratos se agnoscere, quod R. P. Kelio pecuniolam a suis submissam administraverit; quandoque etiam cibos a benevolis suppeditatos dispensaverit, denique adventantes propinquos subinde ad colloquia sua admiserit, circumstantiis temporis personarumque additis. Acceptis ejusmodi distinctis Apochis in sinu gaudens Jesuita, non tantum eas pro lubitu interpolavit, sed statim etiam divulgavit, simul fidem detracturus famae, quae ejus barbaram crudelitatem et servorum Christi horrendas calamitates in Mundo propalaverat: simul gratiae et commiserationis apud Regem et bonos omnes fontem vaferrima isthac techna obstructurus. Certe vix facta ipsi Apocharum ejusmodi copia est, cum ad pristinam crudelitatem reversus, atrocius quam unquam antehac, miseros affligere perrexit.

§ XXXVII. *Regno efferuntur ad Triremes.* — Necdum persecutionis adversum tot Ecclesiarum Pastores, imo in eorum personis adversus universam Ecclesiam Hungariae Evangelicam, aestus detumuit, quin imo efferbuit in dies magis. Cum enim Adversarii parum adhuc apud constantissimos Christi confessores diversis cruciatuum calamitatumque generibus se profecisse sentirent: jam eos aeternis Triremium Neapolitanarum, quarum toties terrore miseros perculerant, carceribus mancipare statuunt. Tantaque clerum Hungaricum audacia transversum abripuit, ut horrendam illam ad Triremes damnationem deportationemque non tantum Rege inscio, sed contra mandatum etiam Regium susceperint. Etenim captivorum Patroni jam a clementissimo Rege mandatum ad Kolonitsium obtinuerant, quo is captivos dimittere jussus est. Mandatum istud Thomas Palfi, Episcopus Nitriensis, Cancellarius Regni, Judicii Poso-

niensis Adsessor, Kolonitsio exhibere jussus, ita vitiavit, ut in tergo ejus adscriptis verbis Ut orare (scil. discant in Triremibus) insinuaverit, mentem Regis esse, ut ad Triremes captivi ablegentur, cum tamen omnia et singula mandati illius Regii verba nonnisi gratiam liberationemque spiraverint. Kolonitsius, qui non semel antehac Posonii Pastoribus in faciem dixerat: Vos multum Regis vestri clementiae confiditis, sed nihil vobis ea proderit. Si enim vel decies clementissima de vobis mandata exhibuerit, ego centies eadem mutabo; accepto Regio Mandato, non dimissionem, sed ablegationem ad Triremes eo contineri pertendebat.

§ XXXVIII. *Miserrime in itinere vexati.* — Cumque eo ipso tempore cohortes aliquot in Hungaria Austriaque conscriptae, in subsidium Regis Hispaniae adversus Messinenses mittendae, in procinctu itineris stetissent, occasione ea usus die XVIII Martii anno 1675 triginta sex, — duo enim ob infirmitatem ex vexationibus contractam redditi inhabiles ad iter relicti sunt — ex mediis laboribus sub vesperam abreptos et per occultum foramen quoddam Arcis Leopoldopolitanae eductos, Militiae Austriacae ductori Neapolim deportandos ibique certo pretio vendendos atque in triremium servitutem redigendos tradidit.

Ita stipati cohortibus equitum quadringentorum circiter totidemque peditum curribus impositi, per avia et anbages et oppida Hungariae Moraviam versus circumvecti, Sotiwennae tandem cum captivis quinque Berentsino allatis in amplexus mutuos lamentabiliter ruentes, tot miserias patienter toleratas gratulantes et ad constantiam invictam invicem animantes, conjunguntur. Stephanus Sellyei Superintendens cum videret Fratres Posonii antea notos sibi macie confectos et viribus exhaustos cum lacrymis exclamavit: Oh Deus! ad quae tempora nos reservasti! da tandem ut freti tuo auxilio quod reliquum est calamitatis superemus.

Reliquum iter pedites compedibus gravissimis utroque singuli pede onusti, inter milites, perpetuis verberibus ensium et sclopetorum ictibus eos sine aetatis, virium, viarum cultarum incultarumque et asperarum discrimine ullo, ad promovendum iter impellentes maledictisque continuis eos obruentes laucinantesque et obviorum quorumque horrendis ludibriis exponentes, ad oram usque Maris Adriatici emetiuntur. Tanta fuit asperitas itineris, tanta miserabile isthoc agmen cingentium et abigentium crudelitas, ut captivi hiantia nudatorum pedum vulnera circumferentes, ubique vestigia sanguine suo cruentaverint. Ut pedes exulceratos et intumescentes Tergesti curare ipsi utcunque possent, coacti sunt ipsi saxorum et cultellorum adminiculo suos invicem compedes perfringere, quod sine cruentis vulneribus et distractis carnium frustulis fieri non potuit. Depraedatio ibidem miserorum, qui non nisi laceras vestes et

forte absconditas pecuniolas, aegre hactenus a ruina defensas, habebant, adeo exquisita fuit, ut truculentissimi milites scrutandis partibus, quas natura erubescit, non pepercerint. Demum naturae et ex consuetudine Gentis ornamentis, capillis barbisque et mystacibus violenter privati, foedissimeque tonsi triste atque lacrymabile spectaculum praebuerunt, adeo deformatis illis, ut se invicem nisi ex lingua novaque velut consuetudine noscere amplius non possent. Accessit dira fames, aegre impetrantibus miseris, quantum ad trahendum precario spiritum, nedum ad iter adeo exercitum totque militum plus quam Scythica ferocitate adversus juvenes senesve, firmos et infirmos grassantium vexationibus infestum conficiendum satis esset.

§ XXXIX. Singulorum dierum stipendium tres teruncii erant, subinde etiam nihil omnino datum. Noctu pecorum instar in stabula aliaque loca sordida coactis vix quietem ullam ob cruciantia pedum totiusque corporis vulnera capessere licuit. Duo non postremi pietate et doctrina insignes, tot vexationibus illis confecti, in itinere mortui et canum instar seminudi insepultique abjecti sunt. Prior senex cum pergere amplius non posset, incudis instar horrendis verberibus caesus et contusus, moribundus a captivis duobus iter cum eo continuantibus et altera manu ferrum, altera aegrum sustinentibus, utrinque a latere suffultus et a lapsu aliquamdiu prohibitus, in praecipiti loco, neutro auxiliatore sustinere valente, in terram prolapsus exspiravit. Alter, plaustro injectus et mortuus, ex eodem sine mora abjectus est. Accesserat poene tertius vir spectatissimus et captivorum Princeps, qui asello impositus, cum ob tardiorem ejus gressum subsequi reliquos non valeret, plagis adeo praegnantibus mactatus est, ut ex confractis naribus copiosissimo sanguine profuso, toto corpore madens parum a mortuo abfuerit. Accessit ad crudelitatis cumulum, quod captivi eidem, jumentis ob defatigationem nimiam progredi non valentibus impositi, jumentorum loco caesi, et sic ad propellenda jumenta adacti sunt. Sex Fratres malis his prorsus enervati fractique in carcere Theatino relicti sunt, ex quorum numero quatuor pias in eodem loco animas exhalarunt, duo reliqui post diram famem aliaque mala tolerata, sub ipsum liberationis tempus Neapolim deportati sunt. Quis talia et plura etiam non minus atrocia fando temperet a lacrymis?

§ XL. Priusquam Triremium Praefectis manciparentur, tentationem novam ad incitas jam fere redacti subeunt. Ductor copiarum, cui a Kolonitsio commendati fuerant, significaverat, Regem Kolonitsio de captivis statuendi quidlibet plenum arbitrium concessisse, hunc vero Copiarum Colonello sub gravi omittendorum honorum fortunarumque omnium poena injunxisse, ut in ea loca eos deducat, ex quibus nullus unquam liberari, nedum in Hungariam redire possit. Haec autem mala uno

modo evitari posse, si nomina sua militiae Hispanicae dari vellent. Hoc demum modo miseros tot jam exantlatis calamitatibus penitus extingui et aeterna oblivione sepeliri vel certe majori vi ad Romanam fidem cogi posse Kolonitsius, ex cujus praescripto cuncta gerebantur, arbitratus est. Sed captivi tot malis obruti licet et majoribus mox obruendi cordate responderunt, in militiam ejusmodi utpote a munere et vocatione, quin et virium suarum facultate prorsus alienam, nec ullo modo futuram Regi suo vel utilem vel honorificam, se consentire neutiquam posse. Captivi, ajebant, vestri sumus. Statuendi de nobis quidvis plena vobis potestas est. Statuite pro lubitu. Militiae vestrae nomen dabimus nulli. Sic repugnantes excipiunt verbera correptusque Stephanus Tüleki militaribus vestibus invitus induitur, qui mox easdem exuens, ab ipso Capitaneo calcibus feritur, pedibus truditur, fustibus pulsatur, militibusque exquisitissimis modis divexandus objicitur. In stabulum vero relegati omnes tridui integri spatio cibi potusve usura omni privantur et tantum non inedia enecantur. Theatae primum Colonellus in conspectum eorum prodiens interrogat: Vultis esse Catholici? Dabitur sic optio vobis eligendi seu Ecclesiasticum, seu secularem, seu militarem. Tacentibus omnibus verberum metu pergit: Nondum meliores ergo estis? Propediem Triremes vos, quid sit Fides Catholica, docebunt. Tum Georgius Lani junior senioribus parcere volens reliquorum loco respondit et, symbolo Athanasiano allegato, quae sit Fides Catholica explicavit. Risu exceptus a Jesuita adstante, denuo interrogatus: Quid vero de Papa sentitis? respondit idem: De eo saepius mentem explicavimus nostram, nihil in praesentiarum addituri, quia ferro pedibus constrictorum linguam etiam constrictam esse oportet. Non minimum creabat dolorem captivis, quod ubique ab Italis habebantur pro Necromantis et Muhammedanis, nisi edita Fidei professione se Christianos esse docerent.

§ XLI. *Venduntur ad Triremes.* — Tandem Neapoli VIII Maii an. 1675 ex numero quadraginta et unius, residui triginta (nam duo in itinere mortui coelestem patriam cum imminentibus horribilibus triremibus commutarunt, sex ob infirmitatem Theatae relicti fuerant, tres commoditate oblata Caprocottam inter et Capuam aufugerant) semimortui, utpote quorum vix ossa cutis amplius sustinebat, appellunt, ubi sequenti die pretio quinquaginta ducatorum in singulorum capita erogato, ad triremes venduntur: mox denuo tonsi Palatia officialium Maritimorum bini atque bini catenis constricti subeunt, et libro captivorum, seu mortis potius, certis in corpore, capite potissimum, notis compuncti, neque expressa uti alias fieri solet captivitatis Triremium causa inscribuntur in variasque Triremes distribuuntur. Cumque tardius venditionis pretium solveretur,

Germanicae militiae Duces die XX Julii sanguinolentum consilium iniverant captivorum simul omnium repetendorum et sclopetis configendorum. Repetierantque et confixerant misere, nisi a Pro-Rege Neapolitano Petro Alvarez prohibiti, ne meditatum scelus exequerentur, fuissent. Horrendae sunt, quas in Triremibus per novem Menses integros, graviores etiam iis, quibus Turcae, Aetiopes, Mauri bello capti, nec non malefici notorii, legitime convicti et capite damnati, in iisdem triremibus onerari solent, fortissimo et constantissimo sustinuerunt animo, calamitates et miseriae; quibus fracti quatuor sub ipso Triremium jugo expirarunt. Dulcissimae sunt, quibus se affici senserunt in profundo miseriarum barathro, divinae consolationes, de quibus extant varia eorum scripta.

§ XLII. *Veltzius captivis patrocinatur.* — Cum fame, nuditate et omnibus premerentur calamitatibus in captivitate miseri, excitavit Deus eximium istis Abdiam, qui subinde eorum summae subveniret calamitati, Georgium Veltz cum ejusdem Fratre Philippo Veltz, qui, licet tantus esset vir, ut tota fere Neapolis ipsum admiraretur, in ejusque propter egregias animi, corporis fortunaeque assurgeret honorem, tamen abjectissimorum in conspectu Mundi captivorum, quolibet fere die tertio, argumentis consolationis instructus, catenas benigne visitare non neglexit, eorum sortem et innocentiam intrepide omnibus declarabat, de sua mensa captivis subinde victualia subministrabat, quandoque pecuniis, ne in summa inopia omnes interirent, instruebat, nudos honestiori aliquo vestimento saltem quoad indusia et subuculas contra inclementiam aëris muniebat et vestiebat, ipsos Triremium Praefectos muneribus et omni benevolentia placabat, ne in praesentes captivos tanto furore saevirent. Quoniam Belli duces Germani gloriabantur, sese de captivis Hungaris plenam disponendi potestatem habere, eos omni ratione, muneribus, conviviis, lytri promissione pro captivis solvendi placare studebat, Generalem Starenberg saepius convivio excipiebat, unice captivorum dimissionem urgens, et videbatur obtinuisse, ni confessionarius Belli Ducum Jesuita a facto officiales deterruisset. Saepius aegros et variis calamitatibus fractos invisebat, eosque bonitate causae et innocentia consolabatur dicebatque: Bono estote animo et quam mirabilis sit Deus in operibus suis considerate, etiam in hoc vestri negotio per infirma sua mirabilia operabitur, exspectate solummodo et videbitis salutem Domini. Facto igitur et opere respondebat Symbolo suo aureis literis Tabulae, quam semper in conspectu habebat, inscripto: Vita vere viva Dei et Proximi Dilectio. Qui non diligit Proximum, manet in morte: omnis qui odit Fratrem, homicida est. Non potest ejus ardens charitas, affabilitas, labor, expensa satis unquam laudari, nedum calamo expingi: pro singulis

captivis centenos obtulerat ducatos viritim Proregi, si eliberationem obtinere potuisset.

§ XLIII. *Literae Ministrorum e Triremibus ad Neapolitanos.* — Postquam afflictissimi Hungaricarum Ecclesiarum Ministri ad Triremes venditi sunt, de suo statu informare Fidei suae consortes consultum duxerunt. Ita igitur ad Reformatos in civitate Neapolitana existentes scripserunt:

Generosis, Piis et Providis Viris, Reformatam Religionem profitentibus, in civitate Neapolitana sive habitantibus sive tantum ratione Mercatus commorantibus, Dominis suis et Fautoribus, omni observantia colendis, charitatem Dei Patris et gratiam Spiritus Sancti exuberantem, cum humilium suorum officiorum pollicitatione.

Viri Praenobiles, ne qua sinistre de nobis, in has calamitates violenter et clam detrusis, judicandi occasio, quin imo ardens ad has miserias relaxandas studium subministretur, e re nostra judicavimus fore, flebilem nostram sortem vobis detegere. Anno 1674 pro quinta Martii Posonium praetextu quidem Rebellionis, sed reipsa Religionis citati sunt fere omnium Hungaricarum Ecclesiarum Reformatarum Ministri: ibidem comparentes accusantur; nulli tamen eorum convincuntur complicitatis Rebellionis, superioribus annis in Hungaria per quosdam Magnates excitatae; sed cum sola Religio citatorum obstaret, ante et post sedem judiciariam, ab Archiepiscopo et aliis Praelatis obtruduntur satis superque Literae Reversionales, quibuscum citati sive ratione exilii, sive ratione abdicationis officiorum suorum Ecclesiasticorum, tanquam Rei praetensae Rebellionis convicti, chirographo et sigillo suo proprio non consentirent, neque quod illi tota ista judicii extraordinarii forma quaerebant, ad hunc diem eorum Religionem acceptarent, dispertiti per varia fortalitia, in miseram solo pane et aqua, cum variis servilibus a natura et vocatione sua alienis laboribus, per annum circiter continuandam asseruntur captivitatem. Quorum e numero anno 1675 decima octava Martii una et quadraginta personae, ex tribus fortalitiis noctu, non per publicas portas, sed cuniculos exportantur, et medio Germanicae militiae per varia discrimina transportantur in Italiam, relictis sex in civitate Theatina propter pedes ex attritu compedum vulneratos. In via vero duobus fame et siti decedere, tribus fuga propter multas itineris difficultates sibi consulere coactis, triginta Ministri captivi, Reformati XIX, Lutherani XI, ad Galeras Neapolitanas accensentur. Ex his igitur mirum in modum afflictis XXIX adhuc superstites, Praenobiles vestras Dominationes orant et obtestantur, per miserationes Divinas, quatenus pro eorum liberatione vestram operam apud eos, quos concernit, interponere elemosynam subinde in annua captivitate, per novies repetitam vestium meliorum et sumptuum ad teruncium usque factam exspoliationem hicque per inhabilitatem

manuali opera ad instar reliquorum captivorum, vitam sustentandi, omnium rerum egenis factis, elargiri non dedignemini. Quae si praestiteritis, ut quidem a vobis praestari non dubitamus (praesertim cum ex parte Dominorum Fratrum Lutheranorum in utroque genere summo zelo laboratur), a Deo exspectabitis vestri beneficii, nostris etiam precibus subsidiariam opem conferentibus, gratiosam cum abundantia retributionem. De reliquo gratiosae Divinae protectioni vestras Praeeminentes Dominationes recommendant

Ministri Ecclesiarum Hungaricarum pro Nomine Jesu Christi in Galeris Neapolitanis captivi, numero XXIX Personae.

§ XLIV. *Literae ad Residentem Hollandorum.* — Recommendarunt miserum suum statum Hollandorum Basileae Residenti et per eum ipsis etiam Ordininibus, per sequentes Literas:

Vitam longaevam felicemque pro statu Christianae Reipublicae Hollandiae functionem, cum humilium suorum, si quae adhuc superesse possunt, officiorum pollicitatione, prompti et sinceri precantur et vovent.

Illustrissime Domine, Domine nobis gratiose! Certi et persuasi de zelo illo, quo Illust. ac Praepot. Foederati Belgii ordines feruntur in omnes, praesertim eos Christianos, qui secum in unitate Fidei conjuncti sunt, nihil veremur nostram miserabilem sortem apud Illust. Vestram Dominationem, tanquam ejusdem ordinis in zelo et Christiana charitate non postremum membrum, praesentium significatione aperire. Posteaquam Reformatae Doctrinae libertas in Hungaria semper quidem Regiis Diplomatibus confirmata, nihilominus tamen praevaricantibus quibusdam Regnicolis, primum a Dominiis Terrestribus ex suis coloniis factas verbi Ministrorum exclusiones, demum a Praelatis quibusdam Liberis et Regiis civitatibus violenter perpetratas exactiones, plus satis imminuta esset ad eandem penitus tollendam, judicium Delegatorio-Extraordinarium in Regia liberaque civitate Posoniensi a Georgio Szeleptseni Archiepiscopo Strigoniensi, anno 1674 pro V Martii administratur. — In quo judicio, sub praetextu quidem in speciem rebelliosae complicitatis per quosdam Magnates in Hungaria superioribus annis suscitatae, sed reipsa Religionis, citati Ecclesiarum fere totius Hungariae Ministri accusantur, nulli tamen eorum ullis vel testibus vel testimoniis praetensae Rebellionis convincuntur, prout haec ex Actis Posoniensibus Illust. vestrae Dom. nota esse possunt. Sed cum sola Religionis exstirpatio nostris accusatoribus pariter et judicibus cordi esset, ad taedium usque oblatae Reversionales quaedam Literae, quae libertatem Religionis solo subscribentium consensu, nullo mandato Regio ad eam tollendam inter-

cedente, penitus tollerent. Tenor enim Reversalium erat: vel debere subscribentes exilium sponte eligere, vel manere in Regno cum voluntaria abdicatione officii Ecclesiastici publice et privatim non amplius exercendi; utrumque propterea, quasi convicti fuissent intentatae Rebellionis. Quorum cum neutrum sine perturbatione conscientiae, sine exterminio liberi Religionis exercitii, sineque gravi praejudicio sui et Gentilitii nominis facere potuerunt, ex Aresto Posoniensi conjiciuntur in carceres, et distributi per varia Fortalitia, in lamentabilem inauditoque ante hoc in medio Gentis nostrae exemplo, solo pane et aqua, variis servilibus a natura et vocatione sua alienis laboribus, in effossione, vectura terrae, saxi, expurgatione quisquiliarum et locorum secretorum macerati, vexati, novies et amplius repetita vestium meliorum usque ad indusia et sumptuum omnium ad teruncium usque facta expilatione, accessuque prohibito omnium suorum, conjugum, Patrum, Matrum, proximorum per annum fere integrum continuandam asseruntur captivitatem. Cum nec hac crudelitate voti sui compotes facti essent Praelati vel in Reversalibus extorquendis, vel vero in accessu ad eorum Religionem, quod ipsi omni sua actione intendebant, tandem anno 1675 Martii XVIII Viri XLI ex iis captivis, noctu per occulta Fortalitiorum foramina educuntur et medio militiae Germanicae, terrestri itinere, pedibus compeditatis, fame, siti, verberibus, calumniis vexati, per Moraviam, Austriam, Styriam, Carniolam circumducti transportantur in Italiam, ubi, sex in civitate Theatina Provinciae Aprugii relictis, propter pedes ex attritu compedum, fere ad abscissionem ex parte unius, vulneratos, duobus vero fame, siti, verberibus ex hac vita in via Caprocottae et Aversae decedere, tribus ob varias itineris difficultates fuga sibi consulere coactis, XXX captivi, Lutherani XI, Reformati XIX ad Galeras Neapolitanas Serenissimi Regis Hispaniarum Caroli II accensentur ibique ad instar reliquorum ob facinora sua captivorum, barbis, capillis abrasis, laboribus, et nauticae etiam jam vestis assumptione vexantur. Haec ad Te, vir Illustrissime, nobis adhuc XXIX post tantas miserias superstitibus perscribere placuit, per viscera misericordiae Dei Illust. Vest. Domin. humiliter orantibus, et habitu* mutuo cum suis Principalibus consensu, apud Regiam Majestatem, Dominum nostrum clementissimum, pro nostri liberatione suam operam interponere elemosynamque, gratam Deo fragrantiam, ad miserae in his calamitatibus vitae sustentationem elargiri non dedignetur. Cujus quidem in utroque genere beneficii Deus, omnium bonorum fons copiosissimus, humilimis etiam nostris votis intercedentibus, futurus est in resurrectione justorum Remunerator. De reliquo bene et feliciter Illust. Vest. Domina-

* habito (ed.)

tionem cum emolumento Christianae Reipublicae Hollandicae valere cupiunt

Ministri Ecclesiarum Hungaricarum pro nomine Jesu Christi in Galeris Neapolitanis Captivi numero XXIX.

Inscriptio. Illustrium ac Praepotentium Foederati Belgii ordinum Delegato Extraordinario Illust. ac Excellent. Domino N. N. p. n. Basileae Residenti Domino nobis gratioso.

§ XLIV. *Litterae captivorum ad Wenetos Mercatores Ref.* — Innotuerat captivis Neapoli in miserrima sorte haerentibus esse Wenetiis pios Mercatores, qui condolentes miserorum status charitatem erga ipsos exercerent; quos sequentibus literis requisierunt:

Gratia vobis et Pax a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo multiplicetur, ut et amplius agnitione Divinae voluntatis in omni sapientia et intellectu spirituali impleamini, et in omni bono opere magis magisque fructificantes et crescentes perfecti inveniamini ad officia charitatis, pacatis juxta ac afflictis Christianis praestanda!

Cum ex Reverendi et nobis dilecti Fratris Stephani Beregszászi binis literis admoniti fuissemus de vera illa vestra Christique glutino nobis copulata charitate, quam nobis sine ullo nostro merito timor Dei, in cordibus vestris residens, indesinensque divinarum Legum nocturna diurnaque meditatio conciliavit: praeterquam quod pro vestra hac promptitudine gratias Deo nostro agimus, qui etiam nobis plerumque cum Petro forsitan dormientibus et plerumque aliud agentibus Fidelium corda ita disponit, ut non solum non erubescant nostras catenas objectamque in conspectu Mundi sortem, sed etiam pro ejusdem allevatione viriliter enitantur: de reliquo etiam firmam spem concipimus, non dicam rogandi, — sine enim gravi et notabili injuria tam voluntarii benefactores non sustinent rogari — sed id, quod tam promptum fuit in voluntate, brevi in experimento impetrandi. Ut vero opus illud bonum inchoatum mediis etiam dirigentibus perficiatur commodius in aeternamque Nominis vestri memoriam et testimonium sincerae vobis inhabitantis Fidei, aliis etiam Macedoniae et Achajae, id est, Christianorum Regnorum Fidelibus innotescat, ea inpraesentiarum suggerimus, quae certe causae nostrae, imo non nostrae, sed Dei, sed omnium Regnorum et Rerumpublicarum, justificationem et per efficacem charitatem optime semper de Ecclesia Dei merentium virorum subsidium in tempore opportuno procurare possunt. Haec autem non aliunde, quam ex istarum miseriarum, quas hactenus intra et extra Patriam ad debellandos Mundi in fidem nostram arietantes Potestates perpessi sumus, serie innotescunt, quae vobis tam ex luculenta charissimi nostri Fratris relatione et ex aliquot supplicibus nostris libellis, quam aliunde abunde constat. Et haec est illa, Viri Praeeminentes et Praepotentissimi, credite, causa, in qua Diabolus tanto furore, Antichristus tanta crudelitate, Mundus tanto stratagemate in Nobis abjectis

humuncionibus* Christum et ejus Regnum oppugnarunt, quam ut neque dehinc expugnent nobisque extorqueant, cogimur in hoc manifesto nostri discrimine, tanquam Nobis ad succurrendum impotes, post Deum unicam justi tutelarem Aram, ad Munificentiam Fidelium reliquorum, ita etiam vestram confugere, humiliter, etiam per miserationes Divinas obsecrantes, quatenus pro nostri liberatione, quibuscunque fieri potest licitis modis et mediis, laboretis; praesertim cum certo constet, Nos hic jam certa summa ad Triremes Neapolitanas venumdatos, in istius summae depositionem arbitramur Fidelium succursu opus esse. Haec cum impetrabimus a vobis, Apostolici illius veritatem ratione etiam vestri complementum sortitum experiemur, quod, quemadmodum adfuit promptum illud velle, ita et perficere, ex eo quod habetis, aderit. Sed non hoc tantum, verum multo magis illud, quod non solum cum fideli Abrahamo, Lothum de manibus Chedarlaomi eruente, divinam benedictionem ab aeterno illo Melchisedecho per nostram gratiarum actionem et pro vobis deprecationem consequemini non solum bonum nomen cum Seniore Tobia, salutis monita captivis impertiente, adipiscemini, non solum animae vestrae, in manifesta et universali reliquorum pernicie, reportabitis cum Ebedmelecho Aetiope, viro Eunucho, Jeremiam Prophetam ex lacu aqua carente et luto repleto subsidio funiculi et veterum pannorum protrahente in tutumque locum collocante; sed quod majus et excellentius in universali Justorum Resurrectione, in testimonium vivae et sincerae in hac vita vestrae Fidei, cum laetitia excipietis Judicis Christi sententiam: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi: esurivi enim et dedistis mihi manducare, sitivi et dedistis mihi bibere, hospes eram et collegistis me, nudus fui et cooperuistis me, infirmus fui et visitastis, in carcere eram et venistis ad me. Amen dico vobis, quodcunque fecistis uni Fratrum meorum minimorum, mihi fecistis. Ex catenis Neapolitanis. An. 1675.

Ministri Ecclesiarum Hungariae Reformatarum et Confess. Augustanae, pro nomine Domini sui durissimis Triremium catenis vincti, numero XXVII Personae.

Inscriptio. Illustrissimis Praepotentibus, Reverendis ac Prae-Nobilibus in Wenetiis Reformatis et Augustanae Confess. Viris, sive habitantibus, sive pro tunc commorantibus, Dominis Fautoribus et Fratribus in Christo Jesu dilectis.

---

* homuncionibus (ed.)

§ XLV. *Zaffius scripsit quaquaversum de captivis.* — Medicinam Practicam Venetiis exercebat ea aetate Nicolaus Zaffius Norinbergensis, qui, ubi captivorum et ad Triremes venumdatorum Hungaricae Ecclesiae Ministrorum miserrimam addidicit sortem, visceribus intime commotus scripsit ad Reformatas in Helvetia, Belgio Reformato et Anglia existentes Universitates et Augustanae Confess. in Germania Academias, adjunctis etiam captivorum lacrymis et sanguine exaratis literis; quibus tam Reformatae quam Augustanae Confessioni addictos commovit Potentatores, ut magno zelo ad eliberationem inique venumdatorum concurrerent Ecclesiae Ministrorum. In Belgium sequentes exaravit literas.

Viris Venerabilibus, Celeberrimis, Doctissimis, Clarissimis Ecclesiarum, Academiarum et Scholarum per universum confoederatum et Reformatum Belgium Pastoribus, Rectoribus et Professoribus, Maecenatibus licet ignotis de facie, notissimis tamen in spiritu, jugiter colendissimis, salutem a Deo animitus precatur N i c o l a u s Z a f f i u s M. P. Doctor.

C e l e b e r r i m a O r b i s L u m i n a ! Ad vos ut scriberem de rebus maximi momenti, illustris me in symbolo Apostolico Articulus C o m m u n i o n e m S a n c t o r u m insinuans' impulit et efflatum Apostolicum jubens nos f l e r e c u m f l e n t i b u s. Nimirum procul dubio miserrimus Hungaricarum Ecclesiarum et Pastorum Evangelicorum status aures vestras aliunde nec sine horrore feriit. Nos vero miseris sumus viciniores eorumque mortiferam et doloribus circumdatam vitam propius intuemur, vos e longinquo. Pastores Reformati XVIII et aliquot Confessionis Augustanae, jam reapse catenis Neapoli in Triremibus Hispanicis diris et duris vexati furiis detinentur, quorum miseria, luctus, afflictio, gemitus ad misericordiam vel Marpesiam cautem movere possent. Ultra illos alii viginti, partim Reformati et quidem majori numero, partim Confessionis Augustanae ad eadem fata tristia destinati erant. Trahebantur hi postremi miseri (ut ex Libello supplici T r i e s t o ad Nos transmisso, cujus Autographum in Helvetiam ad amicissima pectora misi, vobis vero Apographum, didiceritis) a postremis cohortibus Caesareanis ad eadem cum prioribus Fata. Volebant cohortes illae Mare Adriaticum trajicere, verum serenissima Respublica Veneta, causis sapientiae suae notis, transitum prohibuit. Hinc cohortes illae, quadringentis circiter viris constantes, dispersae atque distractae fuerunt, miseris Mystis compedibus detentis non eadem illuxit felicitas. Belli Dux tamen distractis caeteris interventu certae pecuniae, cujus summam in praesenti Libello supplici habetis, eorum edixit Redemptionem. Nos doloribus lancinantibus, frementibus visceribus, ardenti charitate, sudoribus ingentibus, noctu diuque coelum movimus ac terram et omnem lapidem, ut miseris in tempore succurreretur et statim quidem, quoniam periculum erat in mora. Invenimus Dei nutu

mercatores Teutonicos, charitate Christiana insignes viros fidos peramantes, qui difficultates omnes devorantes, summam illam effuderunt, justum tamen judicantes, ut aliunde damna illorum resarciantur, et ne illi soli tantum onus ferre cogantur, ea potissimum ratione, quod Reformatorum Pastorum numerus major sit. Pii vero et devoti et nunquam satis laudati Mercatores, qui tam prompto animo summam hanc exhibuerunt, Confessionis sunt Augustanae. Hanc itaque rem vobis, celeberrima Mundi Lumina, curae cordique esse patiamini. Agitur de Christi ovili pretioso ejusdemque sanguine redempto deque ejusdem Pastoribus. Vigilate, vigilantissimi viri, ad horrendum hoc classicum, quo ad bella Domini vocamini. Custos Israëlis, qui non dormitat, vobis ex alto benedicet. Fidi vestri Mercatores, quibus ego a pluribus annis notus sum, rem hanc revera ita sese habere testabuntur. Rem tanti momenti ubique per felicissimas vestras Provincias publicate. Etiam per universam Magnam Britanniam, ut prompta et valida undiquaque conquirantur auxilia ad tantam miserorum cladem sublevandam, proportionalia tanto malo investigentur remedia, efficiendum. Nec opus est, ut apud vos argumentis utar, videlicet apud tantos viros, jam sponte totos charitate ardentes et in benefacta sponte non euntes sed ruentes, qui in Ecclesia, in Academiis, in scholis toti estis in charitate Dei et dulcissimi Salvatoris depredicanda et toti terrarum orbi terra marique proponenda. Ii sane eritis, quos ut Jesum vestientes, nutrientes, in decretoria illa die amplectetur ut veros Discipulos. Almus ille Jesus, qui vitam pro nobis posuit, pretiosi effudit sanguinis undas. Hisce vos toto pectore veneror, fausta quaeque animitus apprecatus a Deo T. O. M. Actum Venetiis Anno 1675 IX Septembris.

§ XLVI. *Heideggeri, Waseri et Turretini Litterae ad Zaffium.* — Quem effectum Zaffii Literae in cordibus Fidelium habuerint palam est ex quorundam Responsis. Tiguro Heideggerus ita responderat privato et Waserus publico Nomine:

S. P. Vir Clarissime et Experientissime!

En responsum venerandi ordinis nostri, ex quo tum Amplissimi Magistratus Nostri, tum S. Ministerii sympathiam erga afflictissimos Ministros intimam nullo negotio colligere poteris. Dabimus fidelem operam, ut sanctissimum munificentiae opus ferveat et ad fidelem exitum reducatur. Jam scriptum est amplissimi Magistratus nomine ad Cantones Evangelicos ac imprimis etiam ad Excellentissimum Dominum Delegatum Belgicum, Basileae Residentem. Forte praepotentes Belgii ordines ob foedus arctissimum cum Hispano intercessione sua liberare possent illos, qui Neapoli jam captivi detinentur. Quicquid sit omnem lapidem movebimus, ut et illi liberentur. Tu modo consilio Tuo nos adjuvare perge, doceas quo pretio liberari possint, an XV liberati huc venturi sint omnes, et quarum Ecclesiarum Pastores fuerint? Vale, Vir

Excellentissime in Domino, Deus sit ampla merces tua. Dabantur Tiguri in Helvetia die XVII Septembris S. V. A. 1675. Cl. N. Tui Amator

Johann. Henricus Heideggerus S. S. Th. D. et Prof.

Clarissime et Experientissime Vir, Domine et Amice plurimum observande!

Literarum tuarum, caeteroquin humanissimarum, iisque adjunctae supplicationis Ministrorum, praesentissimo in periculo constitutorum, argumentum supra modum triste animo certe tristissimo percepimus. Jam ante quoque totius persecutionis, tum Universae Ecclesiae Ungaricae Evangelium complexae, tum imprimis Pastoribus Fidissimis gravissime incumbentis, narratio non semel aures nostras percusserat. Documenta sunt haec tristissima divinae indignationis adversus Ecclesiam Dei, quam nimia eheu ejus ingratitudo et beneficiorum ab illo acceptorum oblivio passim meruit et provocavit: cujus testes etiam sunt tot calamitates, quae hactenus Belgium, instar titionis ex igne ereptum, et Germaniam exercuerunt. Non deerit tamen Deus miseriis opportuno tempore, qui faciem suam solet quandoque abscondere ad tempus, ut eandem post luculentius depromat. Post Deum, cujus immensam misericordiam adoramus, Tibi quoque, Vir clarissime, accepta debetur insigni cum laude liberatio eorum, qui ad lentam mortem ducebantur et in ejusdem faucibus positi erant. Debetur quoque liberalitati pientissimorum Mercatorum, qui precibus tuis commoti lytron idoneum exposuerunt. Mutuo dat Jehovae qui pauperi, et multo magis qui in discrimine mortis constituto succurrit et largitur; qui retributionem Dei certo experietur foecundissimam. Amplissime Magistratui Nostro totum negotium fideliter exposuimus et multis precibus commendavimus. Magna sympathia commotus statuit, tum reliquis Cantonibus Evangelicis confoederatis causam obnixe commendare, tum suo tempore collectam instituere, nihil denique reliqui facere, quo et fidelissimis Mercatoribus pecuniae expensae insignis portio restitui, tum iis, qui in Triremibus jam captivi detinentur, redemptio procurari possit. Non dubitant interea Amplissimi Proceres Nostri, quin iidem Domini Mercatores ratam partem etiam a Statibus Augustanae Confessionis addictis efflagitaturi sint. Quod fideli tuo consilio apud eos facile efficere poteris. Denique insignem tuum erga nos affectum, Vir clarissime, unice exosculamur, totam causam afflictorum Fratrum charitati et pietati tuae porro commendamus et officia nostra promptissima tibi qualibet occasione uti constent sedulam navabimus operam. Vale in Domino, Vir Clarissime, et Deo fidissimis laboribus tuis proporro ex alto benedicente, plurimum salve.

Tiguri d. XVII Sept. S. V. A. D. 1675.

Clarissimi Nominis Tui observantissimi

Ecclesiae et scholae Tigurinae Pastores et

Professores eorumque Nomine Gasparus Waserus Ecclesiae Tigurinae Antistes.

Geneva Turretinus ad Zaffium has dedit Literas:

Celeberrimo ac Experientissimo Doctori, Domino Nicolao Zaffio &c. S. P.

Clarissime atque Doctissime Vir! Accepi ante octiduum humanissimas tuas, quibus studium et solicitudinem tuam pro Fratribus Hungaris captivis significas et Nos pro pio zelo tuo ad idem officium excitas. Jam antea Tiguro accepimus relationem tristissimi illius casus et vidimus literas Fratrum afflictorum, qui gravitatem et magnitudinem miseriae suae exponunt et Fratrum suorum opem implorant. Quod nos ita intime affecit, ut Amplis. Magistratus statim collectam in ipsorum gratiam fieri jusserit et licet exigui simus in millibus Judae pro virili tamen ad bonum hoc opus concurrimus tristissimamque hanc Josephi Fratris contritionem nobis curae esse palam notificamus. Collecta jam facta est feliciter per Dei gratiam et commota sunt viscera Fratrum eatenus, ut multi etiam pauperiores ex nostris sponte, etiamsi nihil ab ipsis requireretur, voluerint suam symbolam quamvis exiguam conferre ad sublevationem Fratrum laborantium. Unde in eo jam sumus, ut quaeramus viam, tuto ad ipsos pecuniam ipsam transmittendi, de quo agendum erit cum Fratribus Tigurinis. Interim, Vir Clarissime, rem gratissimam Nobis facies, si consilio tuo Nos etiam juvare velis et significare non graveris, ecquid spei subsit pro liberatione Fratrum et quanta requiratur pecuniae summa. Vale in Domino.

Franciscus Turretinus Reipublicae Genevensis Ecclesiae Minister et S.S. Theologiae in Academia Doctor.

§ XLVII. *Zaffii Literae ad captivos Ministros. — Captivorum literae ad Zaffium.* — Zaffius subinde dabat Literas etiam ad captivos consolationis plenissimas; digna sunt eae, quae pietatem, charitatem et studium erga miseros commendantes hic legantur.

Candidissima Viscera, Amici afflicti, Pacem, Redemptionem, fausta quaeque post tam densas afflictionum non ordinariarum Nubes vobis largiatur Bonorum omnium Fons et Largitor Deus!

Cum gemitu, fletu, lacrymis, doloribus lancinantibus, suspiriis ex imo pectore tractis, vestras in ipsismet Triremibus Neapolitanis ad meam tenuitatem datas legi. Dolemus omnes tantam esse Kaini in Abelem saevitiam. Jam a trimestri in hoc negotio sudo diu noctuque. Libellus supplex ad me XVI Augusti transacti huc ab afflictionis vestrae sociis XV missus fuit. Laboribus, precibus, gemitu, fletu, hortatu hic apud

fidos Mercatores Confessionis Augustanae profeci, ut pecuniam pactam a Belli Duce, in cujus erant potestate, promitterent. Nec id tantum, sed dimidia pecuniae summa jam ante sex hebdomadas Triestum missa fuit: altera pars hic in promptu stat ad Belli Ducis vel interveniendum nutum. Nihilominus tamen res in longum protrahitur ingenti nostro et piorum Mercatorum dolore. Hinc adeo moti nova eaque ardenti charitate pii Mercatores, qui prima fecerant tantae rei fundamenta, pergunt graviter in eodem coepto opere, et virum probum et ad res agendas peritum, nova pecunia instructum, ut rem denuo investiget, eo mittunt. Caeterum hoc certo scitote, nos Literas ista de re per Germaniam, Helvetiam, Galliam, Belgium, quin et Magnam Britanniam misisse, et undiquaque auxilia expectare eaque valida. Interea, Dilecti, exercete in Deo, cum Deo, patientiam, fidem, spem, constantiam. Dabit Deus his quoque finem. Deus in foveam inducit et exinde educit. Qui Danielis socios ex ardente fornace, Danielem ex fossa leonum, Jonam ex ventre ceti eripuit, vestri curam habebit. Non dormitat custos Israelis. Proxime pluribus, dante Deo, agam post Amici nostri Triesto regressum. Salvete et valete, afflicti Amici, in Domino Jesu, cujus gloriae litamus, relictis aridis cisternis. Raptissime Venetiis d. V Octobr. An. 1675.

Vestri Amantissimus

Nicolaus Zaffius M. Pr. Dr.

Aeque pretiosam fidem in Justitia Dei Nostri et Salvatoris Jesu Christi Nobiscum sortito Excellentissimo Viro D. Nicolao Zaffio Socii Afflictionum Christi in Triremibus Neapolitanis adhuc XXVI superstites, utriusque vitae felicitatem precantur.

Divus Job, ut patientiae ita etiam consolationis Divinae praeclarum exemplum, in summis angustiis etiam constitutus, in praesentia Amicorum, ex ante feliciter peractae vitae beneficiis, plena fiducia gloriatur, quando inter caetera inquit: Benedictio perituri super me veniebat, eo quod liberassem pauperem, vociferantem, cui non esset adjutor. Praeclara certe gloriandi ratio, qua* non ex alienis, sed propriis virtutibus per efficacem fidem. Si facta vestrae pietatis et per tuas Literas plenas omnis humanitatis et eruditionis, per aliorum experimentalem commendationem nobis significatae, intuemur, meliori spe freti, audebimus polliceri, quod per deprecationem multorum benedictio perieturorum super se veniet. At quorum perieturorum? Eorum certe, qui ad pridem praeconcepta mala tanquam oves mactationi destinatae ducebantur, sed consilio, prudentia et ope

* quia (ed.)

vestra, si non adhuc totaliter, saltem partialiter hactenus subtracti sunt. Sed non solum, quin et eorum, quorum anima omni die tristis est super magnitudine mali et incedit curva et infirma, et quorum oculi deficiunt, quorum facies improperiis obruitur et per vestram solicitudinem subinde in spem meliorem erigitur. Gratias ergo quas possumus agere maximas Tibi et nunc et semper agimus, simul apprecantes, quatenus Bonorum omnium Fons, pro eo charitatis officio, quod nostris Fratribus hactenus praestitisti et etiam nobis de praesenti praestas, precibus concertando, gemitu, lacrymis, compatiendo, opere juvando salutaribusque monitis ad officia Christiani hominis cohortando, benedictionem perituro rum super Te requiescere faciat. Et ut amplificetur ea Benedictio, dilata tu quoque etiam dehinc viscera charitatis erga eos, qui positi in omni mortis umbra, liberatorem Deum, intervenientibus etiam Fidelium et in precibus et in opere subsidiis, ad sui redemptionem expectant. Certa, desuda, Excellentissime, in hoc stadio et si quid etiam te movet gloriae et boni Nominis splendor, Nomen tuum commenda immortalitati, ostium enim apertum in hac re tibi esse, non vani augures auguramur. Nos divinitus confortati et amplius confortandi pollicemur, quicquid in nobis situm est, Dei gratia adsistente, Fidelium praeprimis Benefactorum necessitatibus in merendo et impetrando non defuturos. Illud vero non formidinis (Nos enim, Deo habetor gloria, sepulchri facilem esse jacturam, non solum cum Christianis, sed etiam cum Ethnicis didicimus), sed memoriae causa vestrae Excellentiae significamus, quod nobis hic in portu ordinario nec ea sepultura uti licet, qua utuntur ipsi Turcae, Mauri et Aethiopes, sed usque in dies excrescit saevitia Adversariorum, ut jam nec humanae naturae in nobis memores terram humandis corporibus nostris concedant, prout hoc proxime superioribus diebus in uno Pio, Doctissimo, ex continuis laboribus et crudelissimis verberibus decedere coacto, Juvene viro factum esse oculares testes non solum nos, sed alii plurimi Neapoli sumus. Postquam enim ad triduum mortuum cadaver in superficie terrae projectum jacuisset, tandem per duos Turcas duobus frustis lapidum illigatum in mare abjicitur, paulo post exorta tempestate a fluctibus in littus propellitur, ubi a canibus et volatilibus, inspectantibus Christianis, absumitur. De reliquo Deus Pacis Te et Tuos quam diutissime protegat bono pacatae et afflictae Christianitatis. Salutamus in Visceribus Jesu Christi omnes Fideles in Venetiis et quidem cum incremento Fidei et Charitatis nonnullorum in necessitatibus sanctorum dehinc per communicationem magis perceptibili. Ex catenis Neapolitanis XIX Octobr. 1675.

Aliae ad eundem Zaffium eorundem Literae:

Excellentissimo, Clarissimo, Experientissimo Viro Domino Nicolao Zaffio Gratia, Pax et Misericordia multiplicetur!

Ingens illud charitatis Tuae indesinens pro afflictis Christianis interque eos etiam pro nobis studium, cum in referendo omnes nostras vires exsuperet, nihilominus in gratiarum actione omnem facultatem nostrae tenuitatis iterum et quoad vixerimus, eo directuri sumus, ut indesinenter pro Te apud Gratiae Thronum in precibus et suspiriis compareamus et Tui Nominis memoriam grato corde, ore et opere semper veneremur, siquidem non subsistis, nec relanguescis, sed, ut decet Athletam Christianum, ad metam vocationis Tuae contendis, sine dubio incessanter memor istius Salomonaei: Erue eos, qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris, vires non suppetunt? qui inspector est cordis ipse intelligit, et servatorem animae nihil fallit reddetque homini juxta opera sua. In hoc et nos interdiu et noctu, per vota, gemitus, lacrymas et obsecrationes enitimur, ut Deus, qui coepit in vobis tantum bonum opus, etiam perficiat, ad laudem gloriosae suae gratiae suaeque Ecclesiae consolationem. Illud vero, quod de certa redemptionis nostrae summa cohortationibus Reverendi Fratris ad Vestras Pietates perscribenda exigitur, Nos in medio afflictionum constitutos latet. Haec enim egregii et de nobis optime hactenus meriti et in dies ardenti zelo et affectu bene merentis viri, Georgii Veltz, discretioni et solicitudini relicta sunt. Qui sine intermissione pro nobis assistendo spem facit propediem secuturae liberationis, Deo adjuvante et Fidelibus per communicationem nostrae tribulationis collaborantibus et etiam de caetero coadjuvantibus. Fratres nostri charissimi ex magna afflictione Remigationis Siciliensis, fame, siti, laboribus, cruentis verberibus et morbis exinde causatis consumpti quatuor, septimo octobris redierunt, relictis adhuc tribus in praefatae afflictionis discrimine, in tantum consumpti redierunt, ut e vestigio in domum Hospitalem deportari debuerint, non curata tamen ipsorum debilitate, inusitatis laboribus in arida iterum onerantur. Deus tamen illorum misertus ad hanc vitam ipsos quasi postliminio revocatos nostrae societati adhuc debiles conjunxit. De caetero Te V. E. cum Tuis charissimis et omnibus apud Venetos Fidelibus praesidio Virtutis Divinae custodiendos per fidem, in salutem suo tempore paratam revelari, recommendant. E catenis Neapol. XXVIII Octobr. 1675.

Vestrae Excellentiss. Dominationis

Humiles Admiratores et Clientes, Ministri Ecclesiarum Hungar. in Triremibus Neapolitanis pro nomine Domini sui captivi XXVI Personae.

§ XLVIII. Consolatus est suis Responsoriis captivos Zaffius.

Dilectissimi in Christo Fratres, Amici Fidissimi, Pacem, Consolationem, Patientiam, Constantiam vobis adaugeat

Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est Deus omnis Consolationis!

Hoc ipso momento, dum rursus de vobis scriberem ad amicos et nobis junctos Gallos, Helvetas, Germanos et Belgas, adferuntur mihi novi vestri gemitus, qui sane, sicut ab initio, cor meum lancinant et viscera lacerant. Credite certe, candidissima viscera, me nec die nec nocte cessare. Classicum cano per universam nostram Europam. Scriptum est jam saepius serio in Angliam, Galliam, Germaniam, Belgium. Ex Helvetia optimum accepi responsum. Pecuniae undique corraduntur pro redemptione vestra. Spes confisa Deo, nunquam confusa recedit. Ignoscite quaeso brevitati, quia plures adorno literas pro vobis. Proxime Deo dante pluribus agam. Valete in Domino, qui vos fortificet candidissima viscera. Sic optat animitus

Vobis addictissimus

Venetiis 2 Novembris Nicolaus Zaffius M. Pr. Dr.

Anno quo suspiramus

O sI CaptIVos reDIMeret a ferIs IstIs Pater FILIVs et spIrItVs s.! יהוה נסי Jehova vexillum meum!

Candidissima Viscera salvete a salutis fonte Jesu!

Vestras, quas XXVIII transacti Octobris in Triremibus scripsistis et inclusas ad candidissimos Pastores Tigurinos, hoc ipso momento accepi et hac ipsa die illuc locorum transmittam. Omnes etiam vestros libellos supplices illuc misi et fervidissime commendavi. Res ipsa jam per universam Galliam, Belgium, Germaniam, Magnam Brittanniam percrebuit, ubique pro liberatione vestra laboratur. Ego sane, quantum mea fert tenuitas, nec diu nec noctu cesso, classicum ubique cano et cives Sionis ad sacrum hoc bellum voco. Si tantum possem quantum volo, feliciter cuncta fluerent. Interea Deus omnis consolationis vos erigat, spem, patientiam, constantiam vestram augeat. Deus in foveam inducit et inde educit, mortificat et vivificat. Triestinos in dies expectamus. Bini qui aufugerunt Tiguri fuerunt, vestimentis et nummis instructi, inde Wiennam, Domino Zollicofero referente, pervenerunt. Dominus Tsuzius in Turcarum ditionem se contulit. Ignoscite brevitati, quia hac ipsa hora rursus de vobis scribam. Valete in Domino nostro Jesu Christo, a quo fausta omnia vobis apprecor et persisto

Vobis addictissimus Nicolaus Zaffius M. Pr. Dr.

Venetiis anno, Quo

DIXIt IehoVa CaptIVos Pastores Meos LIberabo.

Idem ad Eosdem.

Viris Venerandis, Doctissimis, Clarissimis, Amicis integerrimis, pro nomine Jesu Christi captivis in Trire-

mibus Neapolitanis Pacem, Liberationem et Consolationem a Deo omnis Consolationis fonte apprecatur Nicolaus Zaffius M. Pr. Dr.

Candidissima Viscera!

Humanissimae vestrae, diligentia D. Veltzii, viri prorsus animo Heroico praediti et aeterna laude digni, tuto pervenere. Generosus vir, dum strenue mecum redemptionis vestrae sphaeram movet, nomen suum commendat immortalitati et Historicorum, qui novum Martyrologium adornabunt et persecutionis vobis illatae historiam pertexent, applausus merebitur. Vestros omnes gemitus, lacrymas, afflictiones et suspiria continentes, quibus singulis vicibus mea conjungo, retentis pro me Apographis, ut magis ad misericordiam legentium corda flectantur, in Helvetiam misi, rogitans ut inde aliorsum transmittantur. Saxum hoc volvo diu et noctu, nec laboribus ullis parco, ut ex ardenti fornace Babylonica eripiamini potenti Jehovae dextera, quae portas ferreas frangere valet. Classicum ubique cano, ut gentes nostras ad bella Domini excitem omnes. In nomine Domini vexillum attollemus. Responsum, ad me ex Helvetia datum et quidem consolationis plenum, vos vidisse vehementer gaudeo. Gens in charitatis opera ruens vestri curam habebit maximam. Post Comitia Badensia, quae jam peracta sunt, collectam in vestri gratiam fore instituendam monebat me nuper celeberrimus Doctor Heideggerus, quod jam accidisse spero. In multis Germaniae locis pecunia jam stat in promptu, alibi corraditur. Amici etiam ex Gallia spem faciunt. De Belgis plurima nobis pollicebamur, quantumvis ferali bello vexatis. Quid velint nunc vel possint, nos latet, siquidem novo flagello a Domino visitati sunt, per ingentem oceani inundationem, quae regionibus istis maxima damna intulit. Orandus Deus ne nos in furore suo arguat. Delegatus Britannicus habet hic secum Pastorem, qui idioma Hebraicum a me discit, quem saepe rogavi, ut serio in Angliam de vobis scriberet, quod se facturum promisit. Europaearum regionum nulla posset validius causam vestram agere et redemptionem vestram promovere, quippe caeteris ferali bello implicatis alma pace fruitur. De libris a vobis petitis ero solicitus cum mercatoribus, hic rem vestram agentibus. De Triestinis nihil habeo, quod praecedentibus meis, quas ante octiduum ad D. Veltzium dedi, amplius addam. Poterit ille rem omnem narrare, nam totam illorum Historiam ὡς ἐν τύπῳ illi recensui. Nam inde fuerant Bucarim abducti mandato quodam Camerae Gretzensis, quod astu Jesuitarum, qui sine dubio subolfecerunt, quosdam illorum liberationem moliri, extortum arbitramur. His non obstantibus Zollicoferus scribit Wienna d. XII hujus, Personam rerum agendarum peritam jam Bucarim missam esse ad illos huc deducendos, siquidem Belli Dux, qui nobis illorum redemptionem promisit, strenue causam illorum egit, itaque

brevi illorum liberationem speramus. Hisce valete in Domino, qui vos fortificet spiritu suo et vires sufficiat ad jugum hoc ferendum, donec potenti illius dextera frangatur, quod videbitis vaticinari in praesenti Millesimo Musam meam. Venetiis d. XXX Novembr. An. 1675.

§ XLIX. *Caroli II Angl. Regis Mandatum de ministris Hungaricis Neapoli captivis.* — Quem effectum solicitationes Zaffianae et aliorum Fidelium ac lacrymae captivorum in Magna Britannia produxerunt, testatur Mandatum Caroli Secundi Angliae Regis, quo de collectione summae in rationem ministrorum Hungaricorum jam Neapoli ad Triremes venumdatorum praecipit ac modum gratiose praescribit, tenore sequenti:

Carolus Secundus Dei Gratia Rex Angliae, Scotiae, Franciae et Hiberniae, Defensor Fidei &c. Universis et Singulis Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, Decanis, eorum officialibus, Parochis, Vicariis, Curatis et omnibus aliis Spiritualibus Personis, ut etiam omnibus curatoribus Pacis, Comitibus, Vice Comitibus, Statoribus, Praepositis, Aedituis, Capellanis, Praefectis Pagorum, Collectoribus Elemosynarum, et eorum Inspectoribus, nec non omnibus officialibus Civitatum, Municipiorum et oppidorum, ut et omnibus filiis nostris officiariis, Ministris et subditis, quicumque sint illi tam liberi, quam servi, ad quos praesens haec nostra Salutatio pervenerit.

Quum nobis certo ad intelligentiam datum fuisset per humilem supplicationem triginta afflictorum Evangelico Protestantium Ministrorum Hungarorum in Triremibus Neapolitanis exponentes, quod per crudelem captivitatem et servitutem saltem in causa Religionis a solo suo natali pulsi et in tam afflictum et miserabilem statum sunt redacti, ut sine charitativa benevolentia bene affectorum Christianorum non possint ullo modo subsistere. Illi igitur nos humilime orarunt, quatenus clementer placeret nobis in considerationem accipere eorum afflictam et miserabilem conditionem, itaque concedere gratiosas nostras literas patentes sub magno nostro Sigillo Angliae, cum facultate et auctoritate Eleemosynam et charitativam benevolentiam quaerendi et recipiendi ab omnibus nostris dilectis subditis, in comitatibus et locis per has nostras literas patentes postea nominandis, nihil dubitantes, sed cum eorum dura et afflicta conditio cognita fuerit dilectis nostris praedictis subditis, illi velint benigne contribuere in eorum consolationem.

Quamobrem nos ex Regia nostra bonitate et compassione horum misere afflictorum Ministrorum humilibus petitis annuimus et recommendamus eos intimis et charitativis cogitationibus et considerationibus nostrorum commemoratorum dilectorum subditorum, ut respiciant tanquam

in convenientia objecta, pro sua liberalitate et charitativa benevolentia. Cognoscite igitur, quod nos ex speciali gratia, Regio favore et compassione, dedimus et concessimus et per praesentes Literas Patentes, sub nostro Magno Sigillo Regni Angliae damus et concedimus dictis afflictis Ministris et eorum deputato et deputatis, Perceptori et Perceptoribus, authorisatis et deputatis in hoc respectu, prout statim in praesentibus ordinatur, plenam potestatem, facultatem et authoritatem quaerendi, cogendi, colligendi et accipiendi Eleemosynam et charitativam benevolentiam, ex nostris dilectis subditis, non solum domesticis, sed etiam servis, extraneis et aliis. In nostris comitatibus Oxoniensi, Cantabrigiensi, Middelessex, Essex, Hertford, Surrex, Sussex et Kent. In nostra Universitate et Civitate Oxoniensi et Cantabrigiensi, in nostra Insula Ely, in nostra Urbe Londinensi et Westmonasteriensi, cum suburbiis, liberis Sessionibus et limitibus dictae Urbis. In nostra civitate Rochestriensi. In nostra civitate Canterbury et comitatu ejusdem, in nostro municipio Soutwark et liberis sessionibus ejusdem, et in omnibus municipiis, oppidis privilegiatis, locis, Parochiis, Capitulis, pagis, villis, vicis, et in omnibus locis, quicunque sunt in dictis comitatibus et non alibi, pro sustentatione et consolatione dictorum misere afflictorum Ministrorum.

Quamobrem nos flagitamus et mandamus unicuique vestrum, quod quo tempore et temporibus, deputatus et deputati, perceptor et perceptores eorum venient et requirent aliquam vestrarum Ecclesiarum, capitulorum, congregationum, aut aliorum locorum, aut sive hae praesentes aut harum indubitatae copiae pervenerint ad vos, aut aliquorum vestrorum manus, licere et recipere Eleemosynam et charitativam benevolentiam, a dictis fidelibus subditis, vos placide permittite et patimini facere, sine ullis impedimentis et contradictionibus, iisque in hoc auxilio et assistentiae sitis. Et vos dicti Parochi, Vicarii, Curiati, quodam die Dominico intra unum mensem proxime sequentem, postquam praesentes nostrae literae patentes producentur et eorum fideles copiae vobis porrigentur aut vos aeditui dicti et capellani circumspecte, consulto et affectuose publicate et declarate tenorem harum literarum nostrarum patentium nostris dilectis subditis, eosque serio exhortamini, movete et exsuscitate ad praestandam liberalem contributionem in hoc respectu et vos dicti Aeditui, Capellani, Collectores Eleemosynarum et eorum Inspectores, sitis insimul aequi, diligentes et soliciti ad colligendam Eleemosynam a nostris dilectis subditis et ad summae pecuniariae, quae ita circumspecte colligitur, virtute harum consignationum (aut rescriptum), sive subscriptionem super has nostras literas patentes aut dictas earum copias aut ad latus harum patentium vel copiarum in verbis productis et non in figuris, simul etiam cum

nominibus Comitatuum, Civitatum, Oppidorum, Parochiarum et Capitulorum respective, in quibus, et tempus, in quo talis summa collecta sit. Quod rescriptum sive consignatio subscribatur per ministros et vos ipsos et ita referatur in Libros rationum, pro dictis Parochiis et Capitulis respective. Et vos etiam ita tradetis dictam pecuniam cum omnibus dictis copiis, Ministris respective, Parochis, Vicariis et Curatis, ut quam primum colligetur, qui super hoc ordinati et authorisati sunt exposcere et flagitare, illam recipiant et promoveant tam bonum opus.

Nos insuper recommendamus nostris dictis Ministris curam hujus, ut sic dicta charitas procedat afflictis Ministris sine sumptu aut onere, aut ad minimum tam parvo sumptu, quam potest fieri, et eorum chirographum et chirographa erunt vobis sufficiens absolutio a tali opere, qui dicti Ministri insuper jubeantur et requirantur, de Receptione dictarum pecuniarum, statim solvere easdem et tradere omnes dictas copias et perscriptae Personae et Personis postea nominatis et ordinatis Thesaurariis respective pro praefatis Comitatibus. Hoc est, nos insuper nominamus, constituimus et ordinamus nostrum fidelissimum et dilectissimum Dr. Clarke, Praesidem Collegii Magdalenae et vice-Cancellarium nostrae universitatis Oxoniensis, Thesaurarium pro dicto comitatu Oxoniensi et universitate Oxoniensi, Dominum Thomam Page vice-Cancellarium Cantabrigiensem, Thesaurarium pro dicto comitatu Cantabrigiensi, Dominum Thomam Exton Thesaurarium dictorum Comitatuum Middelessex, Essex Hersford, Surrex, Sussex et Kent.

Et Thesaurarii respective dabunt chirographum et chirographa pro omnibus talibus pecuniis, prout colligetur virtute horum, quod erit sufficiens absolutio dictis respective Ministris pro iisdem. Et nos insuper volumus et requirimus praefatos Thesaurarios, de omni et qualibet summa et summis pecuniae collectae et solutae iisdem resolvant et expleant talem respective summam collectam ad manum nostri Fidelissini et Dilectissimi, Reverendissimi in Christo Patris, Domini Henrici Episcopi Londinensis, quem nos super hoc authorisamus et requirimus, ut accipiat et recipiat et det Chirographa de his et disponat de hoc misere afflictis supra memoratis Ministris. Ad extremum nostra voluntas et placitum est, ne ulla Persona aut Personae quaecunque colligat et recipiat dictam pecuniam, aut a dictis Aedituis, Capellanis, Eleemosynariis et eorum Inspectoribus, aut aliquo eorum; sed eorum respective Ministri aut tales, qui ordinabuntur per deputationem in scripto, sub manibus et sigillis respective Thesaurariorum supra nominatorum pro uno quoque respective Comitatu. Neque tamen ulla lege, statuto, facto, ordinatione aut provisione, hucusque fiat contrarium ullo modo, in quorum testimonium nos has literas patentes fieri curavimus pro spatio unius integri anni currentis inde a data harum, neque valeat ulterius. Testimonium nostrum in

Westmonasterio S. die Februarii vigesimo, nono Anno Regni nostri, Deus serva Regem. Scriptum Londini per Wilhelmum Jodbid habitantem in Parva Britannia.

1676. Testata est Anglia ardentem erga Fidei consortes et miseros captivos zelum etiam post eliberationem.

§ L. *Literae captivorum ad Germaniae Universitates.* — Literas lamentatorias simul et supplicatorias e Triremibus, Augustanae Confessioni addicti miseri captivi ad inclutas in Germania Academias eidem Confessioni addictas tempestive expedierant, quibus orabant, ut Principibus eorum cordi esset et redemptio e miseria, et reditus in Patriam a Clementissimo Hungariae Rege exoraretur, sequentis tenoris:

Patres et Fratres in Christo venerandi, omnes et singuli Amici nobis honorandi!

Gratiam Dei Patris, Pacem in Christo Jesu, nec non in cruce patientiam, et in vera Fide constantiam, omnibus vobis, Nos miseri propter nomen Christi captivi, a Deo omnipotente et ejusdem Filio Unigenito Salvatore nostro ex sincero corde et affectu precantes nostras ad Deum supplices Preces offerimus.

Inaudita, sed tamen non inaudita vobis, enarraremus, si modo omnia et singula enarrari possent, quae hactenus nos omnium miserrimi Christi captivi, Ecclesiarum in Hungaria olim Ministri Scholarumque Rectores, utriusque Augustanae et Helveticae confessionis, praetextu quidem foedae Rebellionis. revera tamen solius duntaxat Religionis causa perpessi sumus, uti nuper in Patria nostra dulcissima, ita nunc in remotissimis oris atque Provinciis Hispaniarum patimur et perferimus, sub crudelibus proh dolor! triremibus gementes, suspirantes et tantum non exspirantes. Et narraremus ea quidem omnia lubentes, nisi tempore commoditateque huic rei sufficientibus excluderemur (sunt enim innumera et inenarrabilia) vobisque jam aliquantisper aliunde jam talia innotuisse certiores essemus. Quare hoc labore inter improbos Triremium constituti labores supersedemus.

Illud saltem dicemus, quam miserabiliter, postquam in ante dictis carceribus, ferro grandium compedum vincti, inter continuos labores eosque durissimos et (quod verecundia dicere vetat) sordidissimos, in expurgandis latrinis, exportandis, munitionibus extruendis, novis carceribus effodiendis, idque genus aliis sine omni tempestatum, aestus aut frigoris discrimine, frequentissimis plagis et verberibus, fame et inedia pene consumpti, decem Menses a Majo anni 1674 usque ad Aprilem anni praesentis 1675 consumpsissemus (quod pluribus anno superiore ad sacr. Caesar. Majestatem directo expositum), tandem ex dulcissima nostra Patria, clam per occulta foramina, nocte ruente in vinculis ablati, equiturnque cohortibus cincti, per Moraviae et Austriae fines usque Schotwiennam ducebamur, ubi mox copiis subsidiariis a sua Majestate Caesarea in

Hispaniam missis juncti, inque medium duarum cohortium Pedestris Militiae rapti, ferro in pedum cruribus relicto sic constricti pedestri itinere per Styriam, Carinthiam et Carniolam, Tergestum usque abducebamur, ibique omnibus exuti et spoliati rebus tres dies a Dominica Palmarum usque ad sequentem Mercurii diem continua fame, ne buccella quidem panis nobis porrecta, affligebamur. Tum barbis, quas longas aluimus et capillis nostri capitis ornamentis penitus abrasis, postridie navibus imponebamur, undique per Mare Adriaticum ad Portum Piscariae in Regnum Neapolitanum avehebamur. Abhinc vicissim pedestri itinere ferro adhuc onusti inter verbera et famem instar pecorum acti pulsique Capracottam pervenimus. Hac via partim ob famem intolerabilem, partim ob verbera multa, denique ob nimium foetorem ex horrendis pedium tumoribus ortum (plerosque enim nostrum discalceatos toto hoc itinere incedere oportuit, ipsis sanguinis guttis per salebrosa illarum Regionum loca passim destillantibus) octo ex nobis viri praecipui has miserias morte ipsa superarunt, inter quos erat Michael Gosch, Pastor Eccl. A. C. Kalnoviensis, Michael Miskoltzi Fülekiensis, Joannes Harsanyi, Pastores H. Confessionis. Eadem die, qua Capracottam venimus, quidam Gregorius Eliae Pastor A. C. hunc in modum e vivis sublatus est. Portabatur, quippe jam semimortuus, dorso asini, captivis duobus (urgente ad id milite nos mortificandi ergo) utrinque a latere eum subinde fulcientibus et a lapsu prohibentibus, mox praecipiti quodam loco, neutro auxiliatorum suorum opem ferre valente; altera enim manu ferrum suum, altera aegrum semimortuum tenere eos oportuit, in terram prolabitur et subito moritur. Qui humi prostratus, exutis quas adhuc habebat laceris vestibus, seminudus adeoque insepultus media in via canibus forte esca futurus, relinquebatur.

Ubi hoc ad Capracottam accidisset, compedibus equidem die sequente solvebamur, sed rursus, postquam septima die Mensis Maji Neapolim appulissemus, forma priori omnibus quae adhuc forte supererant nobis denuo penitus nudabamur, jamque grandibus Triremium catenis constricti omnis consilii et auxilii egentes inter suspiria et gemitus semimortui adhuc spiramus. Sic miserabilem in modum Hispanorum mancipia facti, longe infra mancipiorum omniumque sceleratorum genus collocati, quotidie durissimis laboribus, quorum praemia frequentiores ictus sunt, et quod pati difficilius inauditis calumniis et in Deum nostrum injuriosis convitiis a populo isto proscindimur, ita quidem ut vivere jam nos taedeat, existimantes melius semel mori, quam hacce tam lenta confectos morte diu torqueri, crescentibus in singulos dies malorum procellis.

Aderant hic nuper Turcarum nonnulli mercatores, qui audito de nobis miseris rumore, moti quadam erga nos misericordia, nobis alimenta quaedam, pisa, lentes, caepas et alia subministrarunt, Christianis talia prorsus negligentibus.

Erant autem nostrum ab initio cum huc duceremur XLI praeter illos, quos alibi captivos detineri audimus; postquam vero ex nobis aliqui mortuî, tres autem profugi facti fuerint, utpote Georgius Lani Rector Karponensis, Tobias Masnitius Diaconus Illaviensis et Johannes Simonides Rector Briznensis, quorum duos posteriores iterum captos esse ferunt, numerus Captivorum Hungarorum hic Neapoli in Triremibus existentium ad XXX se extendit, ex quibus XI Augustanae (quorum praecipui sunt: M. Thomas Steller Con-Rector Divo Martinensis, Daniel Mazarius Tamasiensis, Samuel Nikletius Uj Banyensis, Balthasar Nikletius Strihoviensis, Nicolaus Leporini Poltariensis, Andreas Turotzi Fülekiensis, Pastores), XIX Helveticae (quorum praecipui: Stephanus Sellyei Papensis et vicinarum Superintendens, Stephanus Bátorkeszi Veszprimiensis, Franciscus Otrokotsi Rimaszetsiensis, Pastores) Confessioni sunt addicti.

Hi omnes tantis expositi aerumnis et calamitatibus confugiunt ad media licita, magnos nempe, quos multum valere apud clementissimum nostrum Regem scimus, viros Principes, orantes eosdem, ut suas nobis afflictis gratiosas porrigant dextras pro nostra liberatione maturanda et miserae, quae adhuc ex parte superest, vitae post tantas calamitates conservatione impetranda. Quia enim mortem quaerentes mors fugit, et abbreviare miserias nostras contra Dei voluntatem anticipatione termini nefarium judicamus; ideo aliorum hic ope indigentes ad eos post Deum confugere habemus necesse.

Direximus autem ad Reges Potentissimos, Electores Serenissimos, Duces et Principes Celsissimos, S. R. I. Dominos, Dominos gratiosissimos A. C. supplices nostras voces, orantes eosdem demisissime, ut etiam illi, qua valent apud Imperatoriam Majestatem Regem nostrum gratiosissimum gratia, suas ad nos sublevandos et liberandos extendant dextras. Id autem quicquid hujus negotii est expediendum, ad vestras maxime Rev. Excellentias cum praesentibus dirigere placuit, vel eo ex consilio, ut vos, Patres nostri et Fratres in Christo dilectissimi, nostras supplices preces iisdem recommendetis, atque ita votis vestris ad facilius nostrae instantiae humilime relinquendum locum eos invitetis et excitetis, simulque apud alios magnos et bonos vestram operam interponatis. Quod Amplissimos Almarum Universitatum ordines, pro illo, quo ex nobis nonnullos sibi olim praesentes complexi erant favore, imprimis autem ex illo ardentissimo sincerae Religionis secundum invariatam A. C. zelo, ob quem unicum nos istas perferimus adversitates, accensos facturos uti nulli dubitamus; ita quicquid alibi nostri causa fecerint, id pondus suum habiturum certe nobis persuademus.

Quod reliquum est nos uti ipsos Almarum purioris Doctrinae Nutritios, Reges Potentissimos, Serenissimos Electores et Principes Celsissimos,

Duces, Patres Patriae, cum universis Aularum Inclutarum Administratoribus et Consiliariis, ita etiam celeberrimas Matres Literarum cum suis Proceribus Magnificis, Doctoribus, Professoribus et civibus Academicis, Deo largissimo Benefactorum remuneratori humilimis precibus nostris praesentare et commendare incesssanter ne quicquam intermittemus.

Devotissimi et afflictissimi Captivi Christi, Ecclesiarum olim Ministri et Scholarum Rectores in Hungaria, nunc sub jugo Triremium Hispanicarum Neapoli gementes Jobeumque illud ingeminantes: Miseremini nostri, miseremini saltem vos amici nostri, quia manus Dei tetigit nos. Valete. Perscriptum Neapoli VIII Kal. Septembr. 1675.

§ LI. *Elect. Saxoniae Lit. ad Caes.* — Movebant Reges, Principes et Respublicae Fidei consortes eum lapidem, quo in libertatem e miseria vindicare possent Mortis catalogo Neapoli inscriptos Hungaricarum Ecclesiarum Ministros. Rex Sueciae per Legatum suum Oxenstirna apud Caesarem intercedebat, fecerunt etiam Brandeburgicus et Luneburgicus, Principes [1]) innocentes Triremibus addictos, quo Regiae clementiae infamia inureretur. Idem etiam fecit Elector Saxoniae per sequentes Literas ad Caesarem missas.

Nisi aliunde variis argumentis nobis abunde constaret Majestatis vestrae incomparabilis gratia toto orbe famigerata, qua mota consueverit placidas praebere aures miseris ad sublimem Majestatis vestrae Thronum geniculantibus et innocentibus oblatam tutelam succurrere, hisce clementiae et benignitatis vestrae praesentandis supersederem. Jam dudum, clementissime Caesar et Domine, tam intra quam extra sacri Romani Imperii limites innotuit infandus circa Religionem zelus quorundam Episcoporum Hungaricorum, qui unius et alterius Majestatis potentia suffulti eo rem deduxere, ut Ministri Ecclesiarum atque Scholarum Evangelicarum in Hungaria non tantum praebendis, patria et possessionibus suis exclusi et privati sint, verum etiam adjectis violentis subscriptionibus de Reversalibus, non secus ac si capitaliter essent rei, squalidis carceribus occlusi, et tandem ob constantem in avita Religione persistentiam compedibus obserati, et per varias remotasque Regiones, pecudum more violenter et plus quam barbarice acti, Neapolim deducti et ad Triremes mancipiorum instar, nulla habita etiam senum et decrepitorum ratione relegati et deducti ad nefandam servitutem, egestatem et miseriam, quae ad sympathiam et misericordiam movere omnes et singulos tam intra quam extra Germaniam Fidei socios.

Non haesitando itaque rem atrociter actam jam coelum penetrasse

[1]) Wagner in histor. Leopold M. Lib. IV pag. 340

sese coram Domino, omnis misericordiae fonte, praesentaturam; nec dubitando insuper nefandam ejusmodi rem, quippe quae universum Christianum orbem, apud Muhametanos quoque reliquos Barbaros et infideles nationes calumniose traducit, Majestatis vestrae prorsus inscia, ejusque voluntate et mandato non intercedente evenisse, imo cum abominando Caesaris et Regii fastigii abusu, utpote quo Thronus Majestatis vestrae et Serenissima Domus Archiducalis innocentissimarum lacrymarum myriadibus conspergitur, et cujus nomine multa suspiriorum millia ad Deum justissimum Judicem mittuntur. Videntur etiam hi miseri captivi (solo divino excepto) auxilio destituti.

Itaque juramenti praestiti consideratione, Christianae conscientiae stimulo, Majorum nostrorum exemplo impellimur ad demonstrandam Majestati vestrae innocentiam, moerorem et calamitatem miserorum horum et ab omnibus desertorum, Ecclesiarum et scholarum Protestantium Ministrorum, nec non ad supplicandam debita obedientia Majestatem vestram, ut clementissime et gratiosissime rem tanti momenti ponderando, clementem et gratiosum ordinem de praefatis miseris captivis e Triremibus Hispanorum in Mari Siculo sulcantibus redimendis, a compedibus solvendis, literis transitoriis adornandis et pristinae libertati restituendis expediat, et sic Majestati vestrae Deus ex alto benedicat. Datum Dresdae Anno 1675 die X Decembr.

§ LII. Supplicem adornaverant libellum etiam captivi ad Pro-Regem Neapolitanum, in quo invictis demonstrabant argumentis contra omnia divina et humana jura sese ita immerito vexari et cum sceleratissimis reputari. Religio eorum causa, non Rebellio; si enim quicquam poena dignum commisissent, erant in Hungaria ensis, gladius, rota, cruces. Neque est credibile ullatenus Reges Hungariae, inaudito antehac exemplo, suum jus velle Hispanis aut Italis concedere, vel justitiae executionem ab illis petere? Pro-Rex respondebat captivos sine omni spe redemptionis ad Triremes esse venditos. Decedente officio Pro Rege Petro Alwarez, successit illi Don Ferdinandus Gioachimus Foxardus Marchesius de los Veltz, non intermittit Georgius Veltz, singularis captivorum Patronus, etiam apud eum adjuncto sibi consule Anglico Neapolitano Littelton indefesse intercedere promittendo in singula captivorum capita centum ducatos, aut si singulos demittere nollet, saltem pro senioribus et viribus fractis tantundem viritim dependendos; sed magno quoque conatu apud hominem Religiosorum mancipium efficiebat nihil; objiciebat captivos non esse Romano Catholicos.

§ LIII. *Hollandica Classis Neapolim appellit. — Literae captivorum ad V. Admiralem Hollandiae.* — Interea dum hic in sacro hoc studio noctu diuque desudaret nihilque intentatum relinqueret piissimus vir Georgius Veltz, Wenetiis quoque omnem pro iis eliberandis moveret lapidem

Nicolaus Zaffius, percrebrescit Hollandicae Classis in Italiam in Hispanorum auxilium expectatio; quae felicibus auspiciis Portum Neapolitanum sub Vice Admirali Johanne de Haan die XII mensis Decembris anno 1675 intravit. Admiralis per concionatorem suum Aegidium Vireth captivos requirit et omnia officia captivis offert, utque felicius eorum causam urgere posset, per literas decem illis Quaestiones proponit, responsione se informari cupiens. Quae ita se habent:

Johannes de Haen Vice Admiralis Hollandiae et Westfrisiae, hoc tempore cum parte Classis ordinum Generalium confoederatarum Belgicae Provinciarum praesens in Statione ante urbem Neapolim, Clarissimis, Doctissimis et Rev. Pastoribus Ecclesiarum Reformatarum pro causa Christi captivis, temporalem ac aeternam salutem precatur per Dominum nostrum Jesum Christum!

Quoniam ipsi Christiana commiseratione cordi est procurare omnia possibilia ad libertatem vestram ex hac servitute, rogat ut scriptis his quaestionibus vestrae Dominationes respondere calamo, sed breviter et clare, sine abbreviationibus dignemini.

1. Qua de causa convocati estis ante captivitatem vestram?
2. An conventus iste fuit jussu Caesaris, an alterius, et si alterius, cujus?
3. Quando hoc accidit?
4. Cujus criminis vos accusati, sive qua de re in carcerem ducti estis?
5. Quomodo ex prima captivitate venistis in hanc calamitatem in Galerias?
6. An ad hanc poenam condemnati estis a Caesare? Sive hoc accidit alio casu?
7. An venditi estis pretio ad hanc servitutem et, si ita, quanto pretio quisque venditus est?
8. Quod unicuique est nomen, et cujus civitatis aut vici fuit Pastor?
9. An Fratres vestri, qui adhuc sunt in Hungaria, nullam de vobis habent curam, aut aliquid faciunt ad libertatem vestram?
10. Quod medium judicatis esse proximum ad recuperandam libertatem et pristinae dignitatis restitutionem?

Rogantur Reverendi, Doctissimi ac Fidelissimi Pastores ac Ministri Domini Nostri Jesu Christi, his quaestionibus quam breviter respondeant, ut habeamus firmius fundamentum ad exequendum propositum nostrum et procurandam vestram libertatem, quam brevi tempore Deo duce et auspice Christo speramus. Interim Deus misericordiae ac Pater omnis consolationis corroboret corda vestra in Fide ac Patientia et det Vobis omnibus ac Nobis ad salutem aeternam necessaria, quod per Dominum nostrum Jesum Christum precatur

Reverendarum Clariss. ac Doctiss. Dom. Vestrarum servus ac confrater in Christo Aegidius Vireth in Navi Hollanda, Nomine

ac jussu Praestantiss. Viri Johannis de Haen Vice Admiralis Hollandiae et Westfrisiae &c in Navi Hollandica in Statione ante Urbem Neapolim XIV Decembris 1675.

Ad decem illa Puncta per sequentes responderunt Literas.

Spectabili ac Magnificentissimo Domino, Domino Johanni de Haen Vice Admirali Hollandiae et Westfrisiae &c cum parte Classis in Portu Neapolitano praesenti, virtute Duce felicem ad summos honores cursum susceptaeque expeditionis desideratum exitum, Ministri Ecclesiarum Hungaricarum pro testimonio Jesu sub jugo Triremium Neapolitanarum gementes Christiana charitate precantur et vovent!

Spectabilis ac Magnifice Domine, Domine nobis gratiose! Immensam Dei misericordiam etiam in his miseriis gratulabunda humilitate adoramus, quod causas afflictissimae sortis, hactenus cum multis molestiis exantlatae, et de praesenti cum pluribus fari nedum pati inpossibilibus exantlandae, apud eos, quorum pectus, sensus et gustus Christianae pietatis, non in opinione, sed in rei veritate imbuit, declarare datur. Sic enim etiam causae justissimae nostrae, imo non nostrae, sed Dei, sed omnium Regnorum et Christianarum Rerum-publicarum, quae sola sui explanatione, vel a Scytha et Barbaro, innocentiae testimonium acquireret facilius et justificationem et subsidium, impetrabimus. Cum vero te eum esse sciamus, qui Christianae Fidei non solum professionem, sed etiam defensionem suscipere poteris, ignosces nobis, si justissimis tuis quaesitis propter malorum nobis incumbentium ubertatem, paulo uberius quam postularas, respondeamus.

Responsio ad Primum.

Postquam Reformatae Religionis exercitium semper quidem Regiis Diplomatibus confirmatum, Regnique statutis stabilitum, nihilominus semper impune praevaricantibus quibusdam Regnicolis, primum per Dominorum quorundam Terrestrium violentas ex suis territoriis Verbi Ministrorum Exclusiones, demum superioribus quinque praesertim annis per armatam potestatem Cleri Papistici in Regiis Liberisque Civitatibus plus satis imminutum fuisset, ad idem penitus tollendum, si non expresso saltem implicito consensu, occasione Rebellionis per quosdam Magnates Papistas suscitatae, facultas conceditur Archiepiscopo et aliis. Unde fit, ut cum aliquot extraordinariis judiciis, multos Nobilium praetextu, sed non documento ullo complicitatis rebelliosae, si non ad amplexum Romanae Fidei, saltem ad ejusdem per sacerdotes suos in suis territoriis et Dominiis non impediendam propagationem pertraxissent. Ulteusir

provehuntur et a secularibus ad Ecclesiarum Ministros delabuntur et primum, quosdam ex certis provinciis Ecclesiarum Ministros, numero XL anno 1673 mense Septembri Mandato Archiepiscopi evocant, contra quos comparentes Actionem criminalem erigunt, his potissimum membris constantem. 1). Quod jam pridem judicialiter convictis adhaesissent Rebellibus. 2). Quod etiam modernis Rebellibus congratularentur, eosque commeatu, vectura et aliis necessariis juvissent. 3). Quod contra Papistas ex cathedris declamassent, eos Idololatras, Apostatas appellitando, sanctorum imagines conculcando, et etiam conventus synodales habuissent. Et hoc modo Actione erecta comparentes non cessant Assessores, partim per suos internuncios minis, promissis hortari, ut antequam sententia pronunciaretur accomodarent se ad haec tria Puncta.

I. Ut Ministerium suum Ecclesiasticum et Scholasticum per chirographum suum penitus abdicarent adeo ut ejus nullam omnino partem vel publice vel privatim demum exercerent.

II. Ut si nollent Ministerium abdicare, in voluntarium exilium abirent.

III. Ut (quod ipsis gratius esset) Romanam Fidem amplecterentur. Hos quidem ad tunc pendente adhuc lite, eo perduxerunt, ut ad statim specificatorum Punctorum secundum nonnulli accederent, exilium voluntarium eligendo. Ad primum vero et tertium nullus tum propendebat, contra propriam conscientiam et gentilitii nominis dehonestamentum, chirographo et sigillo proprio conformatis Reversalibus Ministerium suum abdicans, vel Romanam Fidem amplectens. Ad ulteriora igitur procedunt, videlicet pro quinta Mensis Martii anni 1674 universalem instituunt ex toto Regno convocationem Ministrorum et scholarium tam docentium, quam discentium. Et comparentes quidem (nam plurimi Imperio Turcico subjecti ad ista judicia prohibiti sunt venire) statim monent, ne sustineant contra se erigi Actionem, vel erectam ne permittant procedere ad sententiae pronunciationem acceptando tria ista Puncta, vel in abdicatione Ministerii, vel in exilio, vel in amplexu Fidei Romanae; sed Nos, nullius objecti criminis conscii, videntes hic unicum Religionis nostrae periculum moliri, nullum illorum punctorum acceptavimus, nec ante sententiae pronunciationem, nec post, volentes potius extrema quaeque perferre, quam in talia, Deo, conscientia, omnibus Regnicolis, imo ipsis judicibus nostris testimonium perhibentibus de nostra semper illibata in hac causa innocentia consentire. In summa: In causa Rebellionis evocati sumus, sed cum eam in nobis non invenerunt, in Religione labefactari voluimus, ea potissimum intentione, ut si quando vel in Patria nostra, vel apud Christianos Principes de hactenus impune practicata violentia ratio ipsis reddenda esset, haberent se excusatos, quod nihil nobis in negotio Religionis ademerunt, sed nos ipsi cum aliis Regnicolis libertatem nostram abjecimus.

Ad Secundum.

Conventus iste fuit Mandato Archiepiscopi Strigoniensis Georgii Szeleptsenyi, pro tunc per Regnum Hungariae defuncto ordinario Regni Palatino locum tenentis, ad Instantiam Fisci Regii.

Ad Tertium.

Hoc contigit anno 1674 mensis Martii 5 et seqq. diebus.

Ad Quartum.

Argumentum accusationis, quod praetensum est per Fiscum Regium (et ipso interdum deficiente, per Judices ipsos Archiepiscopum, Kolonitsium Episcopum Neostadiensem, Cancellarium Thomam Pálfi Episcopum Nitriensem &c) contra nos, sed in nullius sive in specie sive in communi caput, vel testibus vel testimoniis edoctum fuit: Quod Rebellibus jam judicialiter convictis adhaesissemus, quodque modernis etiam consilio, ope, favore, vectura, commeatu adstipulati fuissemus: Quod demum contra statum Romanum ex cathedris conciones habuissemus, eos idololatras appellando, sanctorum imagines confringendo, conventus Synodales celebrando.

In specificatorum horum Punctorum cum ne minimo quidem nos convincere possent, subsidium quaerunt erectae suae fictionis in Reversionalium Literarum ad subscriptionem ante et post sedem judiciariam, ad pudorem et fastidium usque facta oblatione. Quas literas volunt ut nos subscribamus, proprioque sigillo confirmemus, vel abdicando nostrum officium Ecclesiasticum et scholare, vel voluntarium exilium eligendo, vel Romanam Fidem amplectendo. Has Reversionales cum ante in sede judiciaria recusassemus, procedunt ad sententiam mortis contra nos comparentes indiscriminatim ferendam. Sententia hac ad nullas omnino testificationes lata, conquiescunt intra aliquot dies, sed impatientes ulterioris more*, iterum urgent Reversionales additis etiam promissis 50 florenorum. Et hoc tam ipse Archiepiscopus quam alii strenue agunt, ad usque donec tandem desperantes de extorsione Reversalium, nos distribuerent in varios carceres Fortalitiorum Regni Hungariae, hoc consilio procul dubio, ut onere ex famis, sitis, nuditatis, laborum plus quam servilium aestate juxta ac hyeme, calumniarum, verberis, coactionis in rebus Fidei, novies foedae et violenter iteratae exspoliationis in sumptibus, et vestibus melioribus, accessus prohibiti omnium cognatorum, Patrum, consortium, fracti ad istorum vota accederemus. In hac maxima rerum difficultate cum protestaremur coram Adversariis, non jam Rebellionem, quam in nobis, Deo, conscientia recta et omnibus Regnicolis, imo et ipsis Judicibus attestantibus nullam invenerunt; dicebant esse causam tantorum malorum nostram inobedientiam, quod nimirum Archiepis-

* morae (ed.)

coporum et Episcoporum voluntati nollemus Nos quoad Reversionales accommodare.

Ad Quintum.

Propter non datas Reversionales ad tria specificata Puncta, nos venisse in has, inaudito antehac exemplo, miserias manifestum est; tum ex continuis adversariorum minis, qui semper territabant nos miseriis ex transportatione in Galeras nobis impendentibus; tum ex actis Kolonitsii, qui postquam in fine Anni 1674 captivos visitasset, Komaromini et Leopoldopoli, is jam pridem emortuas Reversionales resuscitasset, offerendo etiam ad tunc easdem ad subscribendum cum promisso 50 florenorum. Quas ut antecedenter ita ad tunc freti causae bonitate ubi repulissemus, Kolonits indignabundus discedit et inquit: Novi quid sim vobis facturus. Ex hoc tempore undique rumores sparguntur, quod propediem nisi nobis subscribendo consuleremus, certo certius ad pridem haec praeconcepta mala deportaremur. Quod etiam experimento didicimus. Anno enim 1675 die XVIII mensis Martii sub ipsam vesperam ex laboribus in medio gelu et nive, iniquorum exactorum violentia ad stuporem et commiserationem ferventibus per occultum quoddam foramen Arcis Leopoldopolitanae abripimur, educimur et curribus impositi, stipati equitum et peditum caterva, per Moraviam et Austriam circumducti ad Sotviennam conjungimur, quinque Fratribus ex arce Berents intempesta etiam nocte deportatis. Quibus conjuncti jam omni diurno destituti per excelsos et gelu niveque concretos montes in compedibus Turcicis cogimur iter facere, urgentibus a tergo militibus ad nostri custodiam destinatis, cum hoc modo coeptum iter plane impossibile esset exequi apud Forum Maris, solvimur a compedibus alternos pedes, et ita deinceps terrestri et navali, nostris sumptibus procurata itineratione reliquum iter continuamus, donec Diesdam seu Tergestum per multa discrimina famis, sitis, verberum et calumniarum, vulnerationis ad putredinem et abscissionem pedum nonnullorum ex attritu compedum pervenimus; ubi statim post annuam captivitatem, residuis vestibus melioribus et sumptibus exuimur, ad ignominiam Gentis nostrae ornamentis naturalibus, barbis nempe privamur, et sequenti die multis dolis et cruentis verberibus ad militiae assumptionem in fidelitatem Regis Hispaniarum cogimur; hoc addito: Satius esse assumere militiam, quam vendi in Galeras.

Exinde navibus Adriatici Maris imponimur, ad fundumque ejusdem detrudimur, unde nec ad auram capiendam egredi impune permittimur. Exacta navigatione ad Piscariam exponimur, ibi vulneratos et infirmos Nos ipsi semimortui ex portu in carcerem civitatis deportamus. Quos praefatos debiles numero sex tandem debent relinquere in Civitate Theatina, cum nec pedibus nec jumentis propter loca inaccessa ipsi

tabo fluentes, reliquum iter conficere possent. Nos vero in rerum omnium maxima inopia militumque fidelitate versus Neapolim pergimus, antequam vero eodem perveniremus, tres fratres fuga a nobis separantur, duo in Domino propter Dominum moriuntur in via Capricottae et Aversae. Abacti nos veluti pecora Neapolim usque, inde ab octava Maji ad Triremes accensemur et iisdem miseriis subjecti intertenemur, quibus obnoxii sunt per omnia Aetiopes, Mauri, Turcae et reliqui propter sua scelera judicialiter convicti et condemnati captivi.

Ad Sextum.

Quantum ad condemnationem, nos nemo ad hanc poenam condemnavit, sed per gradus eo devenimus adversariorum insaturabili odio; solicite enim evitassent istam condemnationis sententiam, quam contra nos tulerunt, si nos ad eorum vota accessissemus.

Fecerunt quidem aliquam sententiam mortis, sed eo fine ut nos eo facilius ad tria supra specificata Puncta inducere possent, et hoc eventus ipse docuit, quando interjectis diebus aliquot ipsam mortis sententiam revocarunt, nemine rogante, tantummodo Reversionales subscribantur. Non subscriptis Reversionalibus etiam cum mortis sententiam sustulissent, rapimur in diversorum Fortalitiorum carceres ut ipsi dicebant in perpetuum, in quibus supra humanam crudelitatem vexati, cum adhuc superessemus nec votis eorum consentiremur, abripimur ad has miserias, an scitu et consensu Caesaris nos latet: hoc tamen ex fide dignis hominibus audivimus, quod mandato Praesidis Camerae Hungaricae Leopoldi à Kolonits Episcopi Neostadiensis. Juridice tamen nunquam hanc poenam contra nos quisquam decrevit.

Ad Septimum.

De venditione vere audita non incertum hominum sermonem referimus, quod in singula capita XXXVIII Personarum, exceptis solum iis, qui fuga sese eripuerunt, quinquagenis seu quinquaginta ducatis venditi essemus.

Ad Octavum.

Nomina Reformatorum Ecclesiae et Scholae Ministrorum, qui se Posonii Iudicibus in ultima citatione stiterunt, sunt ista:

1. Stephanus Sellyei, P. E. Papensis.
2. Stephanus Bátorkeszi Weszpremiensis.
3. Michael Szathmari Tevelyiens.
4. Joannes Korodi Tsegleiensis.
5. Valentinus Kotsi Papens. Rector.
6. Joannes Ujvári Mezö örsiensis.
7. Joannes Szétsei Ságiensis.
8. Georgius Nemeti Szeretseniensis.
9. Daniel Farhasdi Szómörtsiens.
10. Benedictus Patonai Radvaniensis.

11. Georgius Alistali Szönyiensis.
12. Stephanus Komáromi Atsiensis.
13. Joannes Saltai Igmandiens.
14. Georgius Körmendi Banaiensis.
15. Stephanus Marosi Kis Bériens.
16. Joannes Virág Aszariensis.
17. Stephanus Szilvási Tsászariens.
18. Joannes Szomodi Szendiensis.
19. Andreas Földvári Hethellyiens.
20. Martinus Sz. Peteri Heteniensis.
21. Petrus Tzeglédi Levensis.
22. Georgius Körmendi Barsiensis.
23. Andreas Szódoi Sároiensis.
24. Michaël Miskoltzi Fülekiensis.
25. Jacobus Tsuzi Losontziensis.
26. Stephanus Kaposi Rima-Szombathiens.
27. Stephanus Harsányi R. Szombath.
28. Mathias öri Szetsödiensis.
29. Basilius Köpetsi Szkárosiens.
30. Stephanus Kalloi Valiensis.
31. Joannes Gömöri Panitiensis.
32. Georgius Szendici Balogiensis.
33. Andreas Sz. Királyi Sipikiens.
34. Stephanus Sz. Péteri Janosiensis.
35. Stephanus Ledmetzi Serkiensis.
36. Stephanus Tökölyi Doborzaiensis.
37. Stephanus Sz. Péteri Simonyiens.
38. Stephanus Beregszászi Hamvaiensis.
39. Joannes Sallai Runyaiens.
40. Joannes Jablontzai Bejeiensis.
41. Martinus Szendici Harmatzi.
42. Franciscus Otrokotsi Rima Szétsiens.
43. Joannes Rima Szombati Csotoien.
44. Joannes Beregszászi Szabotsiensis.
45. Samuel Tatai Tornaalyiensis.
46. Michael Huszti Keszeiensis.
47. Paulus Gümöri Abafalviens.
48. Petrus Kälnoi Putnakiensis.
49. Stephanus Füleki Napragyiensis.
50. Michael Krasznai Kelemeriens.
51. Michael Szalotzi Zubogyiens.
52. Petrus Simonyi Simonyiens. R.

53. Thomas Veresmarti Serkeiens. Rect.
54. Samuel Lisznyai Felediens. R.
55. Stephanus Nemeti Nyárádiens.
56. Joánnes Földvari.
57. Stephanus Szathamári Tapotzaföiensis.

Praeter hos fuerunt Ministri Augustanae Confessionis longe majori numero.

Ad nonum.

Fratres nostri hactenus in Aula Caesaris ut audivimus satis laborarunt, sed quo minus nihil obtinuerunt, et neque de praesenti obtineant, exinde est, quod sua Majestas per eos deberet gratiosi quid nobis conferre, qui nostrarum tantarum afflictionum fabri fuerunt, qui tantum abest ut aliquid boni nobiscum faciant, ut eos, qui nostri causam agerent, omnibus modis deterreant, incaptivent, ut hoc evidenti exemplo sic esse recognoscimus. Tülekienses (ii sunt fortes Praesidiarii Milites suae Majestatis contra Turcas) apud suam Majestatem pro pastore suo Viro Clarissimo Michaele Miskoltzi jam fatis functo in Civitate Theatina propter immedicabile vulnus pedum ex attritu compedum instare volentes, Posonium transituri incarcerantur et non nisi mutata religione ab Archiepiscopo dimittuntur.

Ad Decimum.

Quod vero quaeritur: Quodnam medium nossemus ad recuperandam libertatem nostram? Quamvis eam non solum natura rationalis, sed etiam bruta appetant, tamen cum nos et in Patria et hic omnibus licitis mediis procurandae nostrae libertatis destituti fuerimus et simus in tantum. ut hoc etiam de praesenti ignoremus, cujus simus captivi. Hic igitur Fidelium subsidio nos indigere sincere fatemur, ut quicquid illi sua gratia et authoritate movere, consilio providere possunt, id apud eos potissimum expromere debent, quorum potestati traditi sumus et hic asservamur. Ad pristinae vero dignitatis restitutionem, alio post libertatem non arbitramur opus esse, nisi ut eadem gratiosa protectione Regia, qua ante captivitatem semper fideles fruebamur, ita etiam post captivitatis nostrae vincula nostra innocentia semper protegamur.

Haec sunt, Illustrissime ac Magnificentissime Domine, quae ad Tua justissima quaesita, a te invitati, in rei veritate secundum conscientiae nostrae integritatem respondenda duximus. Ex quibus nostra innocentia facili negotio, adversariorum vero adversus Ecclesiam implacabile odium perniciossissimique conatus colligi possunt. Quamobrem Te, in quem etiam post Deum oculi nostri respiciunt, quanta fieri potest animi demissione per miserationes divinas oramus, obsecramus et obtestamur, quatenus pro nostri ex hac servitutis domo liberatione apud eos, quorum hic potestati traditi sumus, suam operam interponere dignetur. Quis enim

novit; an non ex multis causis adventus vestri in has oras, inpervestigabili Dei sapientiae notis, etiam haec unica sit, quod Illustr. vestrae Dominationes eodem munere defungi debeant, quo Esthera Regina, quam in manifesta Judaeorum perditione pariformiter affatus est Mardocheus. In nobis quicquid erit virium ut pro incolumitate Christianae Reipublicae Hollandicae, ita etiam pro temporali et aeterna felicitate Illust. Tuae Dominationis manebimus semper obligati ad ardentiores preces coram gratiae Throno fundendas. Hisce tutelari Divinae Providentiae Illust. Vest. Dominationem, cum sibi charissimis, nocturnis diurnisque votis recommendant.

Suprascripti afflictissimi Ecclesiarum Jesu Christi Ministri.

§ LIV. *Belgae laborant in eliberatione captivorum — Captivorum literae ad Pastores Holl. in Classe.* — Hac informatione instructus Hollandiae V. Admiralis, adjunctis sibi aliquot Militae Ducibus, adit ProRegem ac pro captivorum eliberatione intercedit. Bona verba dantur Illustri Viro intercessori; unde Aegidius Vireth concionator Classis Hollandicae rediit ad captivos ac retulit cum gaudio et voto, quod ProRex Marchesius de los Veltz intra triduum catenas eorum soluturum promiserit. Paucis Neapoli exactis diebus in Siciliam pars ea classis Belgicae propter instans cum Gallis prelium transfretavit. Interea Illustrium ac Praepotentium Foederati Belgii ordinum Mandatum pervenit ad Excellentissimum Admiralem supremum Michaelem Adrianum Ruiterum, quo causa captivorum enixissime incomparabili Hollandiae Pericli commendabatur. Captivi quoque libello supplici Admirales utrosque in Sicilia tunc existentes requisierunt et concionatorem Aegidium Vireth sequentibus literis:

Viro Reverendo Clarissimo Aegidio Vireth, aliisque Fidissimis Pastoribus cum classe Hollandica in Sicilia praesentibus cum temporalium et aeternorum bonorum prospero successu, felicem Novi anni ingressum, felicissimum exitum, officiaque sua humilima Ministri Ecclesiarum Hungariae in Triremibus Neapolitanis pro testimonio veritatis captivi afflictissimi ex animo precantur.

Viri Reverendi ac Clarissimi! Nos adhuc in inveteratis Triremium vexationibus suspiramus, orandus Deus ne nos in furore suo corripiat ad mortemque hoc afflictionum genere persequatur. Post Deum, cujus immensam misericordiam super omnia opera suspicimus, multum situm esse confidimus in Illustrissimorum Supremi et viceAdmiralium apud eos, quorum potestati traditi sumus, seria pro nostri liberatione fienda instantia, apud quos nihil dubitamus, quin pro ea ardenti charitate, qua

in omnes maxime afflictos domesticos Fidei ducimini, pro nobis plerumque insciis et plerumque non solicitantibus viri Clar. et Rev. compareatis, praesertim cum Illust. Heroes vestri subinde bellicis consiliis et molestiis implicati, hac in parte aliorum exhortationes sibi cordi esse patiuntur. Studete ergo, viri clariss. ut et precibus assiduis apud Deum ita etiam proficuis exhortationibus et intercessionibus apud homines tam afflictim periturorum causam promovere* a Deo tanti beneficii remunerationem expectaturi. Si qua etiam commode fieri potest, nostros adhuc Fratres in ipsa remigatione Siciliensi cum Triremibus Neapolitanis praesentes alloquio et literis consolari et confortare non dedignemini. In his tamen omnibus nec numerum, nec mensuram Vest. Adm. Dominationibus praescribimus, cum persuasissimi simus de promptitudine suae charitatis, ultra etiam petita extendi satis solicita. Nostros Supplices Libellos ad utrosque Illustrissimos viros Admirales praeparatos pervenisse hactenus omnino vellemus, eorum tamen commodissimam expeditionem circumpecti et de nobis optime meriti viri judicio commisimus, de quibus si quid certi Vestrae Adm. Rev. Dominationes habeant, nos admonere non gravatim suscipiant. Omnia hic ad nostri afflictionem augendam piorumque dolorem uberius excitandum cum procrastinatione aguntur.

Ex Theatino carcere duo iterum Viri, Venerandi Fratres nostri, relictis ibidem duobus in agone mortis constitutis, XVIII Decembris adducti sunt. Nondum ad Triremes dati, detinentur in quodam carcere nominato S. Jacobi. Cum hisce se et sua Dei gratiae, Fidelium precibus et subsidiis recommendant

Reverendorum Virorum in Jesu Christi Fratres supra scripti Ecclesiarum Ministri in Portu Neapolitano Triremium catenis vincti, numero XIII. Datae ad Neapolim XXX Decembris Anno 1675.

Inscriptio: Reverendo Clarissimo Domino Aegidio Vireth V. D. Ministro in Classibus Hollandorum, Domino nobis plurimum honorando et Fratri in Christo dilectissimo, in Sicilia tradantur.

§ LV. Ex Libellis ergo supplicibus admonitus de ancipiti procrastinatione et crudeli innocentium vexatione Ruiterus gravissime intimeque affectus literas commiseratione et pietate plenissimas exarat ad ProRegem Neapolitanum, quibus adjungit declarationem captivorum innocentiae a Residente Wiennensi Gerardo Hamel van Brunincx Wienna in Siciliam transmissam. Quam recommendat Consuli Hollandico Cornelio Vandeln et nobilissimo viro Georgio Veltz, qui Provincia ipsis commissa sedulo defunguntur: ex Germanico in Italicum ipse Georgius Veltz opinione citius transfudit Proregique exhibuerunt. ProRex decla-

* Add. velitio (ed.).

rationem Curiae Regiae Senatoribus ad revidendum tradit. Senatores in judicio, adsistentibus Nobilissimis Viris Georgio Veltz atque consule Hollandico, declarationem innocentiae examinant satis diligenter et tandem re comperta de plano et simpliciter anno 1676 die XXII Januarii pronunciant judicialiter, captivos praesentes innocentes esse, atque sine ulteriori detentionis mora dimitti debere. Quam primum facta pronunciatio innocentiae captivorum statim Consul Hollandicus gratulabundus ad Triremes et captivis sine mora e Triremibus solvendis denunciat gratiam liberae dimissionis jam esse paratam. Quem cum eodem laetissimo eliberationis Evangelio sequitur Procurator Italus Juris Doctor in causa captivorum praesentium a Georgio Veltz condus.* Ad pleniorem laetioris nuncii confirmationem accedit etiam Illust. Georgius Veltz cum Fratre Philippo Veltz et gratulatur profusissime de gratia divinitus obtenta. Hoc ipsum faciunt etiam Adversarii hactenus severi exactores. Pro libertatione impetranda etiam Marchesius de Villa Francha ProRex Siciliae, permotus ab Excellenti Ruitero, tanto affectu ad ProRegem Neapolitanum scripsit, acsi pro fratribus sanguine sibi junctis intercederet.

§ LVI. *Liberantur.* — At vero hanc gratiae divulgationem secuta est tristis mutatio et ulterior captivorum detentio. Postquam enim audissent Adversarii classem Hollandicam de reditu cogitare, priori nuncio contrarium multis strophis spargunt ac etiam mox ad priores afflictiones, molestias, Triremium labores, convicia et verbera reducuntur. Cum jam omnia conclamata essent, nec spes ulla libertatis affulgeret, interea singulari Dei providentia Illust. ac Praepotentium Belgii ordinum Mandatum venit ad supremum Admiralem Ruiterum, quo expeditio in Mari Mediterraneo prorogabatur. Conversis itaque velis Neapolim cum tota sua classe ingreditur et miseris captivis spem de sua liberatione jam fere sublatam resuscitat, eosque in portum melioris spei traducit. Nam XI Februarii anno 1676 e Triremibus educti et Pastoribus Classis Hollandicae, Theodoro Westhovio et Aegidio Vireth, qui cum praecipuis Militiae Ducibus et Nautis ad eos excipiendos a Johanne de Haen V. Admirali erant missi, repraesentantur; a quibus in navigia recepti, eunt prae gaudio tanquam somniantes et lingua sua magnalia Dei cantando celebrant. Resonanti voce et jubilo, donec ad Classem Hollandicam pervenerunt, Psalmos Davidis XLVI, CXXIV, CXXV cecinerunt. Deducti in navem ViceAdmiralis excipiuntur ab eodem ineffabili gaudio et charitate, illacrymabatur praeterita mala praesentibus bonis conferens, modo amplexabatur, modo tantus vir exosculabatur nudos et squaloribus horridos Christi servos, ignarus quomodo ingentem gaudii sui materiem explicet. Refecti coena

* conductus (ed).

ibidem gratias Deo pro liberatione egerunt conjunctis votis, orationi Psalmum CXVI praecinentes, eademque nocte in navi ista permanserunt. Sequenti die ad supremum Admiralem Michaelem Adrianum Ruiterum deducuntur omnes, quos tanta charitatis contestatione excepit, quanta ab homine potest Christiano, in praesentiaque omnium confitebatur, se per totam suam vitam multas ab hostibus reportasse victorias, hanc tamen, qua innocentes Christi servos a jugo intollerabili liberasset, omnibus anteferre. Similiter reliqui congratulabantur militiae Duces. Duo quoque illi Stephanus Harsanyi et Petrus Tzegledi in carcere S. Jacobi detenti Ruitero dono offeruntur, quos currui impositos pensili Cornelius Vandeln deletis nominibus eorum e catalogo mortis ad Classem Hollandicam deduxit. Excepit Admiralis cum animi laetitia, cumque pro improvisa libertate procurata gratias agere vellet, recusavit Excellens Heros. Nos (inquit) Dei solum instrumenta fuimus, Deo igitur liberationis Auctori gratias agatis. Tandem abjectis monstrosis Triremium habitibus, opera Georgii Veltz ex mandato et sumptibus Ruiteri honeste vestiuntur. Numerus ita gloriose eliberatorum fuit XXVI Personarum; ex numero enim XLI non amplius supererant.

§ LVII. *Vexationes aliorum.* — Atque haec series est afflictionum, hic eventus confessorum sanctissimorum Posonio Berentsinum, Komarominum, Eberhardinum, Leopoldopolim ac tandem Neapolim ad infames Triremes deportatorum. Neque vero mitioribus fatis reliqui viginti, tredecim scilicet Reformati et Augustani septem, in carceribus Sárvár, Kapuvar, Tergesti Istriae et Buccaris Dalmatiae nefanda et plus quam scythica crudelitate pressi, et nonnulli etiam sive morte tragica corporali, sive etiam spirituali per triste naufragium fidei oppressi urgebantur. Carcere Posoniensi extracti, postquam imperatam a Kolonitsio subscriptionem abnuerunt constringendi statim restibus, ipsomet Kolonitsio numerata pecunia eas comparante educti, et pars Sarvarinum pars Kapuvarinum rapti, ibidemque Turcicis compedibus constricti in carceres stercoreos, soricibus, ranis, bufonibus, serpentibus scatentes detrusi, fame, siti, frigore, laboribus durissimis, indignissimis, sordidissimis, contumeliisque nefariis ita discruciati sunt, ut et superiorum et horum confessorum afflictiones ab uno eodemque Phalaride dictatas esse, liquido cognosci potuerit. Inde die 1 Julii 1675 producti Triremiumque dummodo emptores inveniri potuissent (nam et Veneti et novus ProRex Neapolitanus, cui praedecessoris emptio displicuit, compellati diserte negarunt, se tot jam miseriis confectos et forte innocentes mercari velle) servituti destinati, postquam quatuor mille, adeoque pro singulis ducentos florenos respuissent, ductore Gabriele Kövér Kolonitsiani furoris satellite, campanarum quo-i cunque ven issent pulsu, ceu daemoniaci prout eos proclamabant except

ludibrioque habiti, Tergestum in littore Maris Adriatici situm adducti atque ibi primo haris et stabulis inclusi sunt. Ibi propter unius fugam caeteris insciis arreptam innumeris plagis excarnificantur, barbisque et mystacibus, quin et pilis omnibus violenter non sine menti laesione evulsis privantur cuncti et fugitivus ex fuga reductus, cum exquisitis quaestionibus et tormentis subditus, ut reliquos fugae conscios fuisse confiteretur, induci non potuisset, ipsorum fratrum captivorum verberibus ita objicitur, ut carnificum instar fratrem suum passionum hactenus consortem percutere multarum atrociumque plagarum renuentibus inflictarum metu coacti fuerint.

§ LVIII. Non satis erat harpyis istis miseros turpiter spoliare omnibus et seminudos, unico longiori indusio e tela crassissima praeparato tectos, relinquere. Etiam alios eorum causa expilandi libido eos incessit. Pactum enim cum captivis iniverant, quo quinque illorum mille et centum, quindecim vero mille quingentorum Imperialium lytro soluto se liberaturos receperant. Mittitur captivorum unus Viennam, comitibus nonnullis, qui pro liberandis juxta pactum captivis quinque, lytron mille et centum Imperialium ab amicis impetrat solvitque. Neque tamen nisi unus ille, qui missus ab amicis, ut non Tergestum sed Hungariam reverteretur, monitus, non tam volentibus hostibus quam consulentibus amicis, liberatur. Reliqui etiam soluto pretio in carcere plorant. Missus etiam captivorum alius est Venetias, qui opera viri piissimi ac de captivis meritissimi Nicolai Zaffii dimidiam lytri partem acquirit, eamque spe certa residuae partis mox ab amicis impetrandae Duci offert. Ipse quidem missus at solus liberatur, reliqui vero in carcere, perinde ac si nihil omnino solutum esset, attinentur diriusque exercentur.

§ LIX. Tergesto mense octobri anni ejusdem militibus Croatis cincti per praerupta saxa, nudis pedibus, diu noctuque inter continua a tergo et lateribus verbera et ictus, non tam erecti ambulantes, quam humi prostrati manibus pedibusque reptantes, Buccarim Dalmatiae Castellum, ad mare Adriaticum situm, inde jugo Triremium Melitensium mox subjiciendi avehuntur, ibique Andreae Godermanno homini truculentissimo omnium mancipati, in carcerem sordidissimum, utpote qui non tam carcer erat, quam contigui carceris cloaca, stercoribus humanis, inde a quinquaginta annis nunquam expurgatis, ex quibus etiam panem injectum et foetore eorum jam infectum tollere et comedere coacti sunt, referta compinguntur. Tam foedae custodiae traditi, sine mora tredecim numellis ferreis, quibus ob latitudinem mentum sursum sublatum inclinare prohibebantur per catenas durissimas, quibus vel onerati currus in praecipitio sustentari poterant, ordine constricti et miseris modis colligati, reliqui vero cippis ligneis et manicis ferreis supini coarctati, et per triginta novem dies integros in miserabili hoc statu detenti sunt.

Atque ita concatenati horribile spectaculum, nonnunquam extra carcerem educti ludibrioque protervorum quorumcunque expositi sunt. Occasionem sic captantibus nonnullis, Monachis imprimis, apostasiam ob mala tum praesentia tum imminentia suadendi. Neque omnino irritae suasiones ceciderant. Nam decem numero, septem Augustani et tres Reformati persuasi totque inauditis calamitatibus fracti, die XXII Dec. nomina libellis dederunt, et liberatione nihilominus procrastinata, sequentis insuper anni, mensis Februarii die XIX tristissimum Fidei naufragium passi, vinculis equidem corporis sese exsolverunt, at gravioribus longe animae intricarunt.

§ LX. Ex superstitum constantissimorum numero duo septimo Decembris, hora octava eadem, consumato militiae et patientiae suae cursu, pie in Domino obdormiverunt, et a captivis reliquis, effosso propriis eorum manibus in littore maris sepulchro et decantato ad tumulum Psalmi LXXXVIII threno, humati sunt. Die XIII Februarii anno 1676 superstites sex denuo in prius illud sordidissimum et obscurissimum ergastulum, ex quo ob praesentissimae mortis periculum (longioribus scilicet eos miseriis macerare placuit) aliquandiu relaxati fuerant, detrusi sunt, tanta cum saevitia, ut captivorum superstitum unus, morti proximus, solis suspiriis, cum ne verbum quidem amplius proloqui posset, ex imo pectore gemebundam animam trahens, violentis lictorum manibus correptus, per distortos gradus, saxa et ligna, angustumque carceris foramen ita raptatus fuerit, ut ex nudo moriturientis corpore cutis et carnis frusta, copioso cum sanguine detrita, lapidibus haeserint. Qui paulo post in carcere foedissimo pie defunctus, omni sepultura caruit. Reliquis quinque in cloaca illa denuo uti prius compeditis et cum intollerabili foetore, insectis, fame, siti certantibus, obnunciatur rigide, fore ut in sterquiliniis istis misere ita concatenati computrescant, nisi tandem religionem suam ejurent. Respondentibus confessoribus se pro Christo libenter subituros quicquid impositum fuerit, panis hactenus usitatus commutatur in panem ex milio et furfure coctum, eumque modicum, quem a puerulis, per angustum carceris foramen injectum, pedibus manibusque proreptantes, denuo ex stercoribus aliisque immunditiis tollere necessum habuerunt. Additum parumper aquae, sed turbidae, quandoque etiam nihil, ita ut panem durissimum, quo comedi posset, urina sua macerare coacti fuerint. In statu isthoc continuisque tenebris manserunt dies octoginta, ita interea toto corpore corrupti, ut jam vix loqui vel loquentes invicem intelligere potuerint, sanguis et aqua continuo ex ore eorum nihil etiam comedentium vel bibentium, quodque amplius claudere non poterant, copiose profluxerit, gingivae et fauces putredinem totae contraxerint, dentes non sentientibus cum sputo exciderint, denique os maxillare, et linguae vitiosis humoribus tantum non consumptae fuerint.

Protestantibus contra inauditam tyrannidem captivis, quantum fari poterant, de sua innocentia et Christi causa VicePraefectus Stanko respondit: Jacetis equidem in umbra mortis doleoque ego vicem vestram· Sed vel invitus haec facio, quia sub poena capitis ut facerem a Godermanno mihi injunctum est; huic vero sub eadem capitis poena mandatum a Kolonitsio est, ut his potissimum modis vos excruciet.

§ LXI. *Morti vicinis libertas annunciatur.* — Dum vero in medio omnis immunditiei profunde demersi misereque concatenati, in sanguine suo, sputo et fimo volutabantur, non amplius se in hanc vel illam partem inclinare vel capita extollere valentes, atque ita mortis hora non procul abesse visa est, nuncium liberationis intercessione Illust. Legati Belgici impetratae allatum est, quod tantum non agonizantibus parum profuturum credebatur. Ex carcere nihilominus compedibus et numellis soluti, a sanguine inquinamentisque purgati, a militibus, cum ob infirmitatem incedere non possent, in honestius domicilium deportantur, lectisque puris linteaminibus stratis impositi, hospitatori suo cadavera potius quam homines die XI Maii an. 1676 traduntur. Cumque post quindecim dierum inediam cibi offerrentur, ob exulceratas fauces vesci iis, nisi ingestis leniter, non poterant; jusculi vel vini guttis injectis ita fauces urentibus, ut aegerrime cibum potumque admiserint. Exquisitissima acerbissimaque medicina illis a Medicis Pontificiis Johanne Nonno Anconitano et Francisco Rinaldi, qui propria etiam manu jure jurando interposito testati sunt, ita labefactatos, viribus destitutos, ob salsos acresque humores in foetidissimo carcere ex capite descendentes caloremque internum conficientes, in ore, palato, lingua, faucibus exulceratos, liberatos se invenisse, ut morituros potius quam convalituros crediderint: adhibita quatuor per Dei gratiam stigmata sua circumtulerunt, quintus vero die XXIV Maii Venetiis ob deploratam valetudinem mortalitatis legem implevit.

§ LXII. *Disperguntur.* — Ex Triremium transtris et carcerum squallore eliberati Illust. ac Praep. Belgii Ordinum interpositione aliorumque piorum industria afflictissimi Hungaricarum Ecclesiarum Ministri abiverunt in Germaniam, Helvetiam, Angliam et Belgium, donec libertas redeundi in patriam concessa et publicata est. Tigurum in Helvetia cum intrare vellent ex iis viginti sex, Senatus Tigurinus in occursum veluti verorum Christi confessorum cum gaudio et lacrymis exivit, salutavit vero eos nomine Senatus et Civitatis Johannes Henricus Heideggerus Professor Theologiae Tigurinus, vir longe celeberrimus, qui duos ex iisdem Stephanum Mauritium Harsanyi et Michaelem Krasznai per biennium fere apud se hospitio exceptos intertenuit, qui interea historiam

totam afflictionum suarum descriptam Heideggero commendarunt, tandem cum caeteris in Patriam ad suas Ecclesias et familias redierunt et pie in Domino obdormierunt[1]).

§ LXIII. *Ministros comparere in judicio Posoniensi Poloni prohibent.* — Haec fuerunt fata eorum, qui in Judicio Posoniensi comparuerunt; at vero plurimi comparere prohibiti et ab officialibus suae Majestatis, imperio Turcico subjecti omnes, et tredecim Scepusii oppidorum Ministri Coronae Polonicae subjecti, quibus Marschallus Poloniae sequentes exaraverat literas.

Stanislaus Heraclius Sacri Romani Imperii Princeps, Lubomierski, Comes in Visintz et Jaroslau, Marschallus Regni Poloniae, Capitaneus Scepusiensis &c. Significamus Literis nostris praesentibus universis et singulis quorum interest, cum sit expresse totius Reipublicae Poloniae mens et voluntas antiquam suam Jurisdictionem in Scepusio XIII oppidorum praecipue sub tempore hoc regnandi de integro manutenere et tueri, proinde nos authoritate hac qua fungimur ea debito officii nostri Marschallatus, vobis circumspectis Comiti, Judicibus, Juratis, Praedicantibus eorumque Vicariis, subditis nostris totique communitati XIII oppidorum Scepusiensium mandamus, quatenus Reipublicae jurisdictionem parere et subjacere praesumatis aut audeatis, vos nulli Jurisdictioni Foroque incompetenti extra solummodo nostram, ad nullasque, si quae eveniant, citationes et extraneorum invalida, incompetentia Mandata et Evocationes, respondeatis vel compareatis, neque quispiam eorum respondeat et compareat, idque sub poena colli et confiscationis omnium bonorum, si secus feceritis, dummodo alii cum Praedicantes tum caeteri alienigenae omnes sub nomine subditorum Nostrorum in XIII oppidis Scepusiensibus non delitescant. Datum in congregatione Vassintziaviae die X Febr. A. 1674.

Stanislaus Lubomierski.

§ LXIV. Percrebuerat mature satis in universo orbe Christiano inaudita omnique diritate immanior tyrannis, atque architectis suis non apud Evangelicos duntaxat, verum ipsos etiam melioris notae Pontificios incredibilem conciliavit infamiam. Hanc vero infamiae notam ut abstergerent simulque cornicum oculos configerent tanti facinoris auctores, Tyrnaviae curant imprimi librum cum inscriptione ejusmodi: Succinctus et verax Judicialis Extractus, quo clarissime demonstratur Pastores Hungariae Acatholicos non ob Religionem, sed ob Rebellionem depositos, Regnoque ejectos, singulosque eos judicialiter convictos justeque damnatos esse, delegato Regio Judicio Posoniensi accensus, et per ejusdem secretarium, qui ratione officii rebus omnibus interfuit, omniaque

[1]) Heideggerus in vita sua scribit.

calamo fideliter tradidit, consignatus. Erat in Judicio Posoniensi secretarius Johannes Lapsantzki, qui forte etiam foetui alieno obstetricatus erat, auctorem tamen alium fuisse verisimile est. Larvam mox scripto detraxit captivorum unus, qui ad Triremes ductus fuga saluti suae consuluit, edito scripto sub inscriptione: Funda Davidis contra Goliathum, quo triginta crassissimorum mendaciorum personatum illum scriptorem reum peregit solidissime. Paulo post edita est Apologia Ministrorum Evangelicorum Hungariae ad innocentiam suam orbi Christiano declarandam, a quo perduellionis crimine contra Regiam Majestatem iniquissime accusati et condemnati, non modo toto Regno proscripti sunt, sed exemplo a pietate et mansuetudine Christiana prorsus alieno, magnam partem ad Triremes Hispanicas damnati.

Operae autem pretium fuerit argumenta Lapsantzkii, quibus Pastores legitime convictos damnatosque esse probare sustinuit, ad incudem revocare eademque opera Pastorum innocentiam ad liquidum perducere.

Primum ejus argumentum est: Pastores fuisse rebelles sumpta occasione rebellandi exinde, quod stipendia a Rakotzio in ejus ditione Ministris Reformatis subtracta fuerint, cumque Zrinius composuit eorum cum genero litem, Pastorum nonnemo dixit: Hodie Rakotzius latus suum vicies mille acinacibus cinxit. Responderunt ea aetate fuse Pastores ad hoc argumentum 1). Quod Pastores injuria affectos jure suo controversiam movisse non Regi, contra quem fiat rebellio, sed Rakotzio raptori. 2). Turbas movisse nullas Ministros Patronis Evangelicis eorum jura defendentibus. 3). Nihil illis commercii intercessit cum Zrinio et Nadasdio acerrimis Evangelicorum persecutoribus. 4). Pastorum illum nonneminem fuisse neminem, si enim quisquam fuisset, nomini minime pepercissent. 5). Etsi fuissent pauci illi in Ditionibus Rakotzianis, qui ante citationem jam ecclesiis erant expulsi, neque eorum quisquam Posonii comparuit unquam, non pertinuisset ad omnes. 6). Si fuissent rebelles, cur e Reversalibus ea verba ob rebelliosam complicitatem reliquissent, dummodo subsignassent? Desperatae causae indicia haec sunt.

§ LXV. Secundum argumentum desumit ex literis Stephani Witnyedi ad Ambrosium Ketzer et Nicolaum Bethlen exaratas*, a ministro rebellis cujusdam Pastoris Hungarici filio, pretio mille Imperialium conducto ex Transylvania reductis, quarum tenor fuerit, Pastores in utraque Hungaria ad ciendam rebellionem auditorum animos rite

* exaratis (ed).

praeparasse? R. 1). Nicolaus Bethlen in Transylvania Sedis Siculicalis Udvarhelyensis Supremus Capitaneus tum superstes eas penitius excussit et supposititias esse irrefragabilibus argumentis publico scripto asseruit. 2). Posonii quoque Procurator Pastorum invicte supposititias demonstravit. 3). Fuerint Withnyedit tamen ille α) unus tantum fuisset testis ex cujus ore veritas non stat. β) Nullus Pastorum Posonii comparentium ibi nomine suo expressus. γ) Jam mortuus erat ille et si Missiles subscriptione carentes aliquid probarent.

Tertio. Fuerunt illi incendiarii, caedium patratores, stercora sua Pontificiorum infantibns devoranda dederunt, sacerdotes Turcis vendiderunt, Fortalitia illis prodere conati sunt &c? R. Diabolica haec sunt mendacia ad innocentium famam proscindendam inventa. Cicero observat: Aliud est maledicere, aliud accusare. Maledictio nihil habet propositi praeter contumeliam. Accusatio vero crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet. Accusatores nullos notarunt, nec objectum crimen argumento vel teste probarunt ullo. Si accusasse sufficiat, quis innocens erit?

Quarto. Fugerunt Pastores alii in Transylvaniam, alii in Turciam? Non sceleris conscientia si qui fugerunt, sed persecutorum immanitate coacti id fecerunt, ante omnem adhuc citationem et contra omnia jura sedibus suis exturbati, bonis privati, solum vertere coacti, majorem apud ethnicos quam apud professos Christianos humanitatem experti. 2). Exemplo Davidis Saulem fugientis, Apostolorum et aliorum persecutores evitantium Christianorum exemplo fecerunt. 3). Nihil inde ad eos qui comparuerunt educi potest. 4). Turca, Generales quidam etiam Imperatoris ut Spankau Cassoviensis et Marschallus Poloniae eos qui sub eorum erant potestate comparere prohibuerunt.

Quinto. Qui Libellos Reversionales subscripserunt, ultro Rebellionis crimen confessi sunt? Metu subactos* qui sua nomina libellis subsignarunt bonae causae praejudicium quidem crearunt, at eosdem reos fuisse rebellionis, neutiquam consequitur. Neque enim aliis argumentis vel testimoniis rebellionis rei peracti sunt, quam quibus eos etiam, qui ad finem constantes permanserunt, ejusdem criminis convincere hostes tentaverant. Cum vero invalida prorsus haec fuisse hactenus ostensum sit, invalida quoque ea fuisse conficitur merito. Non igitur rebelles fuerunt. Reversionalistae illi et Libellatici, sed meticulosi, externo hominum persecutorum, non interno conscientiae ob crimen objectum accusantis terrore perculsi, tam leves plerique, ut necdum auditis contra se accusationibus ex praescripto Cleri quidvis

* subacti (ed.).

subscripserint, imprimis cum subscribentibus etiam merces praesentaneae pecuniae paratae fuerint. Accedit, quod venenatae formulae Libelli, quam Extractus Tyrnaviensis indeque alii recitant, neminem comparentium subscripsisse. Omnes equidem Libellatici quodammodo adversariis criminandi ansam dederunt. Et formulae Libellorum in prima citatione oblatorum duriores sane fuerunt. At in posteriori citatione formulae inserta plerumque a subscribentibus sunt verba: Quamvis non simus rebelliosae complicitatis nobis conscii. Qua denique conscientia saltem Reformatis Libellatici illi objiciuntur: in tanto enim Libellaticorum 236 numero, qui allegantur, non ultra duos Reformatos reperire est, qui munus suum se abdicaturos subscripserant. Constantioribus, quin etiam Augustanis inconstantes praejudicare non potuerunt; si qui enim inconstantium adversus constantes testimonium perhibuissent, in judicio allegatum iisdemque haud dubie objectum fuisset.

Sexto. Decem et septem Praedicantes convenerant cum Purpuratis Turcicis, quod in tempore cum auxiliis praesto essent? Mendacium est ex orco prognatum. 2). Posonii in Judicio objectum non est. 3). Debebat Personas nomine tenus designare, ut nocentes poenam meritam subiissent, innocentes vero ne vexarentur. At vero cum Posonii Pastores comparuissent, multorum nomina ignorabantur et postquam ipsimet indicarunt ita proclamari potuerunt. Non ergo ob crimen Rebellionis, sed odio Religionis fidelissimi Christi Jesu servi praescripta mala omnia ab adversariis pertulerunt.

Qui hanc inauditam Ministrorum Christi vexationem uberius videre perlegereque desiderat, is sibi acquirat unde verbotenus fere et nos desumpsimus 1). Joh. Henrici Heideggeri Historiam Papatus Ed. Amst. 1684. 2). Historiam Reformationis ubi Lib. III § V. constituit Historia, seu Narratio brevis de oppressa libertate Ecclesiarum Hungaricarum, quam 1674 Posonii in Hungaria inchoatam, sed per spolia in captivitate Leopoldopolitana interruptam Neapoli anno 1675 in Triremibus resumpsit, dein post felicem liberationem ex viva et fideli Reverendorum Fratrum Hungarorum Tiguri exulum relatione, secundum diligentem locorum captivitatis observationem et collationem auxit, et a Reverendo Stephano Harsanyi aliisque venerandis Fratribus lectam et revisam hoc ordine digessit N. N. anno reparatae salutis 1676 Mensis Novembris die XXV. Sub isto nomine latuit tunc Valentinus Tsergö Kotsi Professor Papensis, omnium afflictionum, miseriarum et possessionum pro gloria Dei socius. Edit. Ultrajecti an. 1728. 3). Historiam Diplomaticam de statu Religionis in Hungaria. Ed. an. 1710. 4). Fuit ad manus: Processus Judiciorum Delegatorio

Extraordinariorum contra Pastores et Rectores Helveticae et Augustanae Confessionis habiti in Libera Regiaque civitate Posoniensi Anno 1674 die V Martii, ulteriusque continuati summaria Declaratio MSScta. His addi possunt 1). Apologia Ministrorum, Judicio Tribunalis Posoniensis opposita per Nicolaum Bethlen an. 1677, qui etiam per Literas Witnyedianas infamabatur. 2). Declaratio, seu clara et conspicua Deductio veritatis et innocentiae Ministrorum Evangelicorum Hung. ad Triremes Hispanicas damnatorum, concinnata et Aulae Wiennensi Leopoldinae exhibita per Illust. ac Praep. Foederati Belgii ordinum Viennae Residentem Gerardum Hamel v. Bruinincx. 3). Georgius Lani scripsit miraculosae suae liberationis historiam Latine et Germanice. 4). Huc faciunt Literae Captivorum ea aetate editae. 5). Legi etiam potest Wagner in Hist. Leopoldi Magni Lib. IIII. pag. 335—343.

CAPUT QUINTUM.

De statu Protestantium in Hungaria ad Leopoldi Imperatoris et Regis mortem.

§ 1. *Transylvaniae Princeps de exulibus Hungaris solicitus.* — In Hungaria, tam in statu Politico, quam Ecclesiastico, quum omnia hoc tompore internis odiis factionibusque ferverent ac tumultu ita miscerentur, ut securitatem Protestantes sibi promittere non possent, plurimi ex ingenua Nobilitate et Regni Proceribus ad Transylvaniae Principem recursum habuerunt. Qui intime afflictionibus eorum commotus, causam eorum ut Christianum decuit Principem suscepit, et quod in potestate erat magna animi alacritate praestitit. Apud Regem Hungarorum per Literas et Legatos pro afflictis intercessit; egenos et omnibus vitae necessariis exutos hospitio excepit, sumptu liberaliter juvit omniaque Principis pii ac Christiani officia executus est. Cum tandem animadverteret Princeps, ejus Senatores et Proceres ex Hungaria exilii incommoda apud Transylvanos tolerantes, securitatem a suo Rege, per infensos hostes praeoccupato, hac via procurari non posse, consilium inierunt Reges, Electores et Principes in Imperio Germanico per literas aut internuncios esse requirendos, qui sua mediatione interposita Hungaros cum suo Rege in concordiam reducerent, et almam pacem ac tranquillitatem in Hungaria procurarent. Placebat quibusdam Nuncios mittere, aliis per literas requirere tutius et compendiosius visum.

§ II. *Literae exarantur ad exteros Principes.* — Literae igitur sunt hunc in modum exaratae: Principibus Catholicis nomine Principis Transylvaniae scriptum est ex rationibus Politicis, ostensumve ex iis Hungariae turbis, ni commode et tempestive componantur, vicinae perniciem enasci Germaniae, quod etiam evenit anno 1683, Turca Wiennam obsidente et circumvicinas late populante regiones. Requisiti etiam Principes Protestantes nomine Principis, quibus rationibus Politicis additae etiam sunt Ecclesiasticae et Religiosae, ut moti iis pacem exoperarentur. Superintendens Reformatus jussu Magnatum literas dedit ad Aulicos Reformatorum Principum concionatores et Academiarum Professores. Superintendens Augustanae Confessionis suae Fidei Ministris commendavit pari modo totum negotium. Nicolaus Bethlen, in exteris bene notus oris, ad Joachimum Camerarium Palatini Electoris Consiliarium aliosque suos fautores scripsit causamque commendavit, omnes unum in hunc finem collimabant, ut per opportunam eorum mediationem Hungaris cum suo Rege pax conciliaretur et etiam Europae tranquillitas imperturbata maneret. Literae sic confectae dirigebantur Berolinum omnes ad Electorem Brandeburgensem Fredericum Wilhelmum, magni tunc nominis inter omnes Europaeos Principes Reformatum; cui tanquam summo in hoc negotio Patrono Jacobo Harsanyi ejus Consiliario, velut solicitatori recommendatae. Jacobus hic Harsányi erat in juventute Praeceptor Apafii jam Principis, quem tandem Princeps Georgius Rakotzi suis sumptibus Constantinopoli institui jusserat in interpretem Turcicum: lapsu temporis factus est Professor Varadiensis, pertaesus Patriae turbas in Germaniam digressus. Elector Brandeburg. Consiliariis annumeravit magnoque sumptu penes se aluit, per quem communicationes in Orientem exercebat. Literas exteris praeparatas Andreas Fleischerus comes Nationis Saxonicae, Viro honesto et rerum gerendarum perito, qui tabellarii officio fungeretur, commendavit, qui Cibimo Kövarinum ad Michaelem Teleki Magnatem progressus, ut ejus nutu per Poloniam indeque Berolinum iter ingrederetur, aliquamdiu ibi retentum tandem tabellarium in Transylvaniam redire jussit, causa soli sibi nota[1]). Atque ita omnis haec solicitudo in fumum abivit, non sine ingenti Hungarorum et Christianae Reipublicae damno.

§ III. At vero etsi literae Transylvanorum ad Principes exteros non pervenerint, fama tamen miseriarum et tumultus Hungarorum omnes Europae angulos compleverat. Rex igitur Daniae et Elector Brandeburgiae Principem Apafium per suos Legatos requirunt anno 1678, mediationemque suam inter Hungaros et Regem afferunt. Quae oblatio tanto magis erat amplectenda, quod esset alter Reformatus, Lutheranus alter, potens uterque,

[1]) In vita Comitis Nicol. Bethlen Lib. II. Cap. VI circa initium MSSC.

quos praeter Rationem Politicam movebat etiam sincerus erga Religionem affectus. At vero seu malitia, seu imprudentia eorum factum est, qui consilio Principem regebant, tantorum Principum mediationem ultro oblatam anteaque solicite quaesitam nunc sponte vel neglexit vel etiam non probavit Apafius, sicque miseriae miseriis superadditae crux duplicata est in Hungaria [1]).

Exules in Patria Hungari, cum viderent in civili statu et ecclesiastico omnia misceri, inque perniciem eorum itura, neque ad clementiam Regis propter Episcoporum obnitentiam accessum dari, ferro se adversus impetitores defendere decreverunt. Quoniam vero Praefectus Militiae Caesareae Spork et alter Kobbius immani cruciatu sine discrimine tollebant, quos sors iniqua illis objecerat, malecontentorum Generalis Paulus Vesselinius talione utendum ratus falce in partes dividi jusserat, quicunque ex hostibus in manus devenerant [2]). Quo facto territi et admoniti Kobbius et alter humanius agebant suaseruntque Vesselinio consuetudinem aliarum gentium in bello observandam, servandos in vita, quos calamitas belli utrinque captivos faceret [3]).

§ IV. *Comes Emericus Tököli factus Dux malecontentorum.* — Successit in officium Ducis malecontentorum Comes Emericus Tököli de Kesmárck, qui aliquot preliis superior factus anno 1678 totam fere Hungariam sibi subjecerat. Saepe saepius de pace inter partes tractabatur; at quoniam civilis et ecclesiastica libertas restituta, ut debuisset, non fuit, pax coalescere nequivit, nec effusioni sanguinis terminus poni. Neque possibile erat; Clerus enim Hungariae pacis ineundae vias occluserat omnes. Georgius Szeleptsenius Archiepiscopus Strigoniensis, auctor vexationis Ministrorum Evangelii et damnationis ad Triremes Hispanicas, Regi Leopoldo ad continuandam belli aleam obtulerat centies mille florenos, eundemque reliquorum bonorum suorum quinque adhuc millionibus paratae pecuniae constantium ex asse haeredem declaravit [4]). Georgius pariter Szetsenius, prioris successor, semel atque iterum ter centena florenorum Rhenensium millia Leopoldo Regi obtulit [5]). Neque Regni eversionem considerabant Episcopi, sed dominatum et praeeminentiam tuebantur in Ecclesiis.

§ V. *Diaeta Soproniensis an.* 1681. — *Memoriale Evangelicorum.* — *Misera sors Protestantium in Hungaria.* — Diaeta tandem anno 1681 Sopronii celebrata est ad componendos dissentientium animos et pacem postliminio reducendam. Graves erant Protestantium querelae adversus sese opprimentes, quibus medelam in publica Regni Diaeta adhiberi

[1]) Nic. Bethlen in Vita Sua Lib. II. Cap. X. circa initium.
[2]) Caroli Memorabilia Eccl. Tom. II. pag. 68.
[3]) Idem ll. cc. pag. 173.
[4]) Caroli Memorabilia Tom. II. pag. 202. 250.
[5]) Belius in Notitia Hungariae pag. 525. —

volebant. Ex consensu igitur Palatini et Commissariorum Regiorum sequens Memoriale Regi suo obtulerunt.

Augustissime Imperator ac Rex Domine, Domine nobis clementissime!

Sacratissimam Caesaream ac Regiam Majestatem vestram benigne adhuc recordari non ambigimus, quaenam gravamina Majestati vestrae sacratissimae Status Evangelicus, multis injuriis in libero Religionis Evangelicae exercitio, publicis Regni constitutionibus ac sacratissimae Majestatis vestrae benigno Diplomate fundato fatigatus, cum supplici Memoriali adhuc in anno 1662 Posonii demisse per suos deputatos exhibuerit, humillime tunc quoque supplicando, quatenus Majestas vestra sacratissima tam praeterita ac in specie eorum repraesentata Religionis gravamina, authoritate sua Regia clementissime et omni meliori modo cum satisfactione injuriatorum complanare, quam vero illos, qui, posthabitis publicis Regni constitutionibus ac praelibato Majestatis vestrae sacratissimae sacro Diplomate, pro lubitu in Evangelicos grassari, liberum eorum exercitium interturbare ac variis artibus opprimere nil pensi duxerunt, coercere dignata fuisset.

Verum cum illae res tunc non solum in priori turbato statu remansissent, sed et illi, sicut et eorum exemplo postmodum complures alii turbatores Religionis, latiorem et fere universalem miseros Evangelicos persequendi sibi licentiam arrogassent, eo devenit afflicti Evangelici status calamitas, ut prioris felicitatis ac firmatae per Constitutiones Regni et Regium Diploma exercitii Religionis indemnitatis vix quaedam eaque saltem deformia rudera jam superesse videantur.

Templa enim, Parochiae, Gymnasia, Scholae, Xenodochia proventusque eo pertinentes, paucissimis exceptis, omnia minis, terriculamentis, armorum strepitu aliisque exquisitis sub coloribus imo inauditis institutis Processibus, in quorum pacifico usu Evangelici et legaliter et diplomatice erant, via facti occupata, nonnulla ex illis funditus eversa, materialibus in stabula ac alios profanos usus conversis: mortui in coemeteriis non nisi gravi taxa exacta sepeliri permissi. Ministri Evangelici, prout et Scholarum Rectores, sub variis praetextibus, omnibus substantiis per nonnullos Praelatos, Magnates, Capitulares, Plebanos, Jesuitas, confiniorum officiales et alterius cujusvis conditionis homines, prout et extraneam militiam emuncti, post e Parochiis pulsi, capti, compedibus stricti, extra Regnum avecti, nonnulli parietibus et humo catenis onerati ex ferro, in formam crucis alligati et affixi, alii ad instar Turcicorum captivorum percussi, alii nonnisi lytro mediante dimissi; posthac reliqui una cum aliquibus Rectoribus Scholarum, Studiosis et reliquis mendicantibus ad insolitum Jus et quidem sub praetextu Rebellionis citati; nonnulli in exilium acti; alii ad Triremes et mare missi, ubi plurimi mortui; unus etiam

praevia trinaria carnificis tortura vivus combustus; reliqui vero ab officiis suis, extortis ab iisdem Reversalibus remoti, ita ut plurima templa sine ministris, populus absque ullo cultus divini exercitio ad instar pecudum vivere coacti fuerint, non pauci infantum absque lavacro sacri Baptismatis diem suum clauserint claudantque. Nobiles ita et misera plebs variis excogitatis sub praetextibus incaptivabantur; capti in compedibus ad sacra deducebantur; nonnullis per vim ori hostia introducebatur; ex bonis suis uno porrecto bacello ejiciebantur, et plerubique integrae possessiones cum interfectione cujusdam Nobilis expilabantur. Alii a Ministris Evangelicis copulati vel aliter ministerio eorumdem usi ad sacratissimam sedem citabantur; alii vero propterea mulctabantur et saepe religionem vi mutare cogebantur. Ad solvendum Parochis Catholicis militari etiam executione mediante compellebantur, alii etiam Nobiles, dum in privatis aedibus ordinarias et domesticas suas ad Deum fundebant preces vel sacros decantabant Psalmos etiam, per extraneae Militiae officiales ritu malefactorum arrestabantur, et non nisi data fidejussionis cautela vel extorsione lytri dimittebantur.

In quibusdam confiniis, quamvis speciales a Majestate vestra sacratissima de libero Religionis exercitio obtentae fuissent Protectionales, per officiales tamen hujusmodi locorum Ministri Evangelici eum in finem introduci non permittebantur.

Nobiles in Comitatibus nonnullis Evangelici ex judicatus officio omnes ejecti, unde nec ad generalia Regni Comitia ablegati de medio Evangelicorum modo solito deputari quiverunt. In nonnullis civitatibus ac oppidis Regiis et Privilegiatis, Magistratus locorum, alibi totaliter, alibi vero nonnullis exceptis ejecti eoque intuitu electiones Senatus ac aliorum officiorum, contra mentem Privilegiorum interturbatae, dum non antiquo more, libera electione per cives, sed per camerarum Hungaricarum Commissarios ac in confiniis per eorundem officiales peragebantur. In aliquibus civitatibus ac oppidis Privilegiatis et Regiis, Evangelici in suis publicis institutis consultationibus exclusi, imo tametsi Vestra Majestas sacratissima benignas suas Regales non modo ad senatum, sed ad totam communitaten clementissime direxerit, attamen saltem Catholici convocati et ad comitia Regni, exclusis Evangelicis, contra morem solitum tantum ex Catholicis Ablegati missi.

Evangelici utut indigenae in numerum civium minime vel difficulter recipiuntur, bona emere prohibentur. Nonnullarum civitatum Magistratus Evangelici ad instantiam Fisci Majestatis vestrae Regii ex eo, quod Catholicos ad officia civilia non adhibuerint, licet personas civiles Catholicas ad id idoneas non habuerint, gravissime sunt mulctati.

Aliarum civitatum Templa cum Parochiis et domibus civilibus in praejudicium etiam Juris Patronatus et proprietatis, Patribus Jesuitis sunt tradita, qui eadem occupando se in iisdem stationibus firmarunt,

contradictionibus civium interpositis vel suppressis vel ad cassationem contradictionis cameraliter coactis.

Mechanici ad insolitas cerimonias adacti nonnullorum Mechanicorum Privilegia vetusta ablata et dilacerata, nova ipsis in oppressione Evangelicorum per vim imposita, unde nonnisi mutata religione in consortium recepti. In multis locis copulae, baptismata aut introductiones non peractae, donec similiter religio mutata aut spes mutationis facta.

Pia Legata Evangelicorum pro conservatione liberi exercitii ejusdem religionis destinata, per larvatos Processus ac subsecutam vim abstracta, contra mentem testatorum in alios usus conversa aliaque quam plurima acta, quae in specie hic exprimere eo respectu intermittere voluimus, ne Majestati vestrae sacratissimae primo statim intuitu necessaria et prolixiori deductione in immensum excrescentes paginae fastidium parere possint: parati primo quoque tempore, summa necessitate etiam ita adurgente, generalitatem nostrûm specialius ac fusius humilime repraesentare.

Quare repetitis quoque praememoratis nostris prioribus gravaminibus, iisdem adjunctis eorum supplicibus Memorialibus ad Majestatis vestrae sacratissimae augustissimum Thronum demississime denuo confugimus, per viscera misericordiae divinae orantes, dignetur clementissime huic nostrae calamitati condignam medelam, authoritate Regia, stante adhuc hac Diaeta, vi gratiosissimi sui Diplomatis adhibere, laesos et damnificatos in integrum restitui facere, ac turbatoribus liberi exercitii religionis juxta demerita punitis, afflictum statum Evangelicum in pristinam ac firmam securitatem, in qua diplomatice et legaliter erant, collocare.

Quam Majestatis vestrae sacratissimae clementiam non solum ardentissimis pro incolumitate vestrae Majestatis sacratissimae et augustissimae Domus Austriacae perennitate, ad Deum fusis precibus, verum etiam perpetua fidelitatis subjectione humilima demereri omni studio contendemus, benignissimam quantocyus a Majestate vestra sacratissima praestolaturi resolutionem; tanquam

Ejusdem Majestatis Vestrae Sacratissimae humilimi perpetuoque fideles subditi Status et Ordines Regni Hungariae Evangelici [1]).

Quae generaliter erant in Memoriali expressa, ea specialibus exemplis erant omnia demonstrata. Memorabile est responsum, quod Aulae Caesareae Cancellarius ab Hocher ablegatis Evangelicis Hungaricis die XXIV Junii occasione hujus Memorialis dedit his verbis: Injuriae illae in Memoriali expressae si per decem saltem dies ab Evangelicis toleratae fuissent, admirari quis deberet patientiam, nedum

[1]) In Actis Comitiorum Sopronensium in Appendice Hist. Diplom. pag. 158.

cum per decem annos exantlatae calamitates fuerint[1]).

§ VI. Catholici oppressionem Protestantium et afflictiones in Memoriali expressas objectasque non negabant nec poterant quidem, quum undique exempla et documenta circumstarent, verum ita explicabant sua facta et diluebant crimina objecta: Templa cum adimerentur Catholicos rem suam recuperasse, jussuque Regio repetiisse aedes, quas ipsi conculcatis Regno coaevis sacris, sacerdotibus per infanda tormenta excarnificatis, contemeratis sacrosanctis mysteriis, summa petulantia, nullo jure armati, Muhamedanorum ope occupassent; Ministros proscriptos partimque deportatos, at judicialiter ob crimina convictos. Illa temporum calamitate optimatum plerosque a Majorum pietate abstractos, errore damnato jam resipuisse, neque agrestium hominum pervicacia Templorum sanctitatem ultra profanari passuros[2]). Haec et similia cum in Memoriali suo aut Replica ad Memoriale Evangelicorum magna animorum contentione reponerent palamque adderent, quae olim ab Evangelicis passi nunc paria fecisse, animos dissidentium exasperabant magis quam sedabant, nec ullam spem rationabiliter ineundae pacis hic superesse satis ostendebant.

§ VII. Protestantes occasione Memorialis aut Responsionis Catholicorum ad eorum objecta, alterum adornant Memoriale ad Regem suum, quod secunda Augusti Neostadii Imperatori in haec verba repraesentant:

Sacratissima Caesarea Regiaque Mejestas, Domine, Domine nobis naturaliter clementissime!

Fidelitatis perpetuoque fidelium servitiorum nostrorum in gratiam Majestatis vestrae sacratissimae humillimam subjectionem.

Sex jam septimanae excurrunt, quod Majestati vestrae sacratissimae demissum lamentabilem nostrum supplicem libellum, gravaminum scilicet Evangelicae Religionis perpessarum et exantlatarum turbationum et persecutionum molem in generalitate repraesentantem, demisse exhibuerimus, ac medio ejusdem complanationem eorum stante adhuc hac Diaeta, authoritate Regia diplomatice fiendam, prout et de futuro securitatem humillima submissione imploraverimus. Sperantes quod, sicuti Majestas vestra sacratissima universos suos fideles Status, particulariter, tam paterna admonitione orali, quam in scriptis contenta benigna intimatione clementer adhortari dignata est, quatenus tractatus Diaetales ita admaturare nitantur, ne per hos tempus inaniter protrahatur ac optatus iisdem imponendus finis per longiorem moram retardetur; ita nos quoque quantocyus clementissimam Majestatis vestrae sacratissimae resolutionem simus recepturi.

Sed cum in dies videremus rem differri, voluimus iterum altero

---

[1]) ll. cc. pag. 159.

[2]) Wagner in Historia Leopoldi Lib. VIII pag. 566.

nostro demisso Memoriali (cujus copiam Excellent. Dominis Majestatis sacratissimae commissariis repraesentavimus) pro obtinenda eadem benigna resolutione clementiae Majestatis vestrae sacratissimae pulsare ostium.

Quia vero ea fuisset benigna voluntas Majestatis vestrae sacratissimae, ut gravamina nostra fidelibus suis in statu Catholico existentibus communicentur innotuissetque nobis eundem statum Catholicum in contexenda Replica sua occupatum esse, noluimus eidem Majestati vestrae sacratissimae conscripti ejusdem nostri supplicis Libelli exhibitione tantisper importuni esse. Nunc itaque recepta antelati Status Catholici Replica, justus dolor contineri non potuit, quin tantas persecutiones et oppressiones passi ac nihilominus tot perpetratorum malorum illatarumque injuriarum accusati, innocentiae integritatem simul et causae nostrae aequitatem (ne per silentium praemissorum in nos conjectorum criminum rei videamur) coram Majestate vestra sacratissima ac toto orbe Christiano (ad quem etiam status Catholicus in sua Replica provocarat) humillime demonstraremus.

Ac imprimis maximo nostri praejudicio id accidit, quod licet Majestas vestra sacratissima titulo Status Evangelici juxta tenorem etiam Positivarum Legum nos clementer dignaretur, status tamen Catholicus eundem Titulum in derogamen et contemptum nostri denegaret.

Non absimiliter et hoc ubi statim ad initium praemissae Replicae expresse poneret, se non sine justo dolore sentire, quod nos alias pars et commembrum aflicti hujus Regni, inter tot nutantis et extremorum discriminum mole gravatae Patriae pericula, semotis animorum dissensionibus de ineundis potius reducendae optatissimae pacis et Regni contra ingruentem totius Christiani nominis hostem muniendi remediis, tum per se necessariam, tum vero clementissimo Majestatis vestrae sacratissimae ardore concupitam operam protinus non admoveremus; imo et praeteritorum annorum temporibus communi bono non solum obicem et neglectum posuissemus, quin et multas calamitates addidissemus, et nunc etiam easdem reassumere vellemus, ac per hoc retardationis Boni publici incusaremur.

Clementissime Imperator! An nos afflicti, extreme injuriati atque ruinati fideles Majestatis vestrae sacratissimae subditi, ex eo quod confugiendo ad Majestatem vestram sacratissimam, tanquam summum in terris asylum et justitiarium nostrum, Status religionisque nostrae in integrum restitutionem et redintegrationem imploremus, uniceque post Deum, a Majestate vestra sacratissima hoc remedium humillime praestolemur, retardatores et turbatores publicorum Tractatuum dici mereamur? altissimo ejusdem Majestatis vestrae sacratissimae submittimus judicio.

Cum nos in concinnando Memoriali nostro, vestrae Majestati sacra-

tissimae humillime jam exhibito, vix trium horarum spatii tempus aliis publicis negotiis destinatum insumpsissemus, ac etiam nihil novi intentemus, verum complanationem talem demisse expetamus, quam ad asserendam Majestatis vestrae sacratissimae authoritatem et tranquilliorem permansionem Regni, bonumque pacis vergere, Pacificatio Lincensis, Diplomate Majestatis vestrae sacratissimae Regio confirmata, ac idem quoque Diploma conditione VI nec non Art. VI anni 1647 per expressissima verba: Recordari Status et ordines Regni, quantae fuerint inter Regnicolas ratione occupatorum Templorum dissensiones, quae ut praecaveantur, discordiarumque civilium fomes extinguatur, ac Regnicolae pace et concordia mutua potius fruantur &c. testatum redderet.

Praemissa tamen summe praejudiciosa et injuriosa, quantum miramur, tantum exhorrescimus ad id, quod occupationes Templorum et alios similes illegales actus Status Catholicus se bono jure fecisse allegaret, inque favorem et fulcimentum sui diversas (novellis tamen constitutionibus subsecutisque expost Regis Diplomatibus cassatas, antiquatas et abrogatas) Leges induceret. Quae quia tenderent in manifestam sacrorum vestrae Majestatis sacratissimae ac gloriosorum ejusdem Praedecessorum Diplomatum Legumque Patriarum labefactationem: pugnarent praeterea cum jure Gentium: inferrent convulsionem omnium pactorum, essentque in libro, cui titulus: De Pace Sacri Romani Imperii licita, demonstrata, solide jam discussa: ideo prolixiori refutatione hoc in passu Majestati vestrae sacratissimae onerosi esse noluimus.

Id tamen silentio praeterire non possumus, quod Religionem Evangelicam, excitatis intestinis seditionibus, armorum duntaxat potestate, neque efficacis verbi Divini praedicatione, verum cruento gladio, etiam a naturalibus Christiani nominis hostibus accersito, originem et propagationem sumpsisse Status Catholicus summe praejudiciose asserat, cum tamen contrarium testentur praeteritorum temporum historiae.

Constaret siquidem proxime elapso seculo Religionem Evangelicam sola verbi Dei praedicatione, nullis armis aut aliis quibusvis violentis mediis propagatam extitisse, sed maxime sub initio hujus seculi, dum variis excogitatis viis atque modis, communis libertas Patriae (uti patet etiam ex Pacificatione Viennensi) per nonnullos Catholicos patriae cives laesa fuisset, prodiisse quoque materiam turbatae Religionis Evangelicae. Unde apparet propagationem ejusdem non posse armis et quidem Turcicis adscribi, adeoque ante eadem tempora praedecessoribus nostris tam secularibus, quam etiam pluribus ecclesiasticis personis, per praedicationem verbi Divini fidem Evangelicam sponte et libere amplectentibus, Templa prae manibus ipsorum tanquam legitimorum possessorum et haeredum remansisse, expost vero turbatione in iisdem ac motuum

illorum seditione intervenientibus, virtute Diplomatum Regiorum, conditorumque superinde articulorum in dominio eorum confirmationem obtinuisse. Quibus ex rationibus rueret annexa etiam inductio ex Regula Juris: Quod in proprio nemo esset violentus.

Porro in evidentem Majestatis vestrae sacratissimae ejusdemque piae reminiscentiae Praedecessorum authoritatis laesionem pergit affirmare Status Catholicus„ leges et diplomata nobis deservientia vi et armis extorta fuisse, cum nec tempore felicis inaugurationis vestrae Majestatis sacratissimae, sed nec in anno 1659 tempore nimirum insertionis sacri Diplomatis actis publicis factae, ullum tunc constet fuisse bellum.

Contrarium etiam testantur sacra Diplomata gloriosorum olim Matthiae II et Ferdinandi III, Majestatis vestrae sacratissimae Progenitoris felicissimae recordationis, tum non aliquo metu perculsas easdem Majestates, verum pro pio paternoque affectu ad humillimas fidelium suorum supplicationes pacem conclusam fuisse, imo ipsemet etiam Status Catholicus iisdem vigorem attribuit, dum in aliis causis politicis omnes suas reflexiones unice ad conditiones toties memoratorum diplomatum et articulorum habent: Quod vel recentissime in supplicatione candidandi obtentique Domini Comitis Palatini per omnes status et ordines Regni usurpatum extitisset.

Contradictio quoque Cleri nihil suffragatur Statui Catholico; namque eandem tam articulus 5 anni 1647 sancto itidem verbo Regio confirmatus in Paragrapho: Contradictionibus Dominorum Cleri et aliorum quorumvis Secularium Catholicorum non obstantibus, imo iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus &c. quam reliqui status et ordines Regni, accedente autoritate et consensu Regio, cassarunt et annihilarunt.

Arguimur insuper Evangelici, quasi contraveniendo Pacificationi Viennensi certa Templa Statui Catholico non restituerimus, ac proinde violatis conditionibus, beneficio Diplomatis uti non possimus.

Ast, clementissime Imperator, dato nunquam tamen admisso, quod vigore Pacificationis Viennensis aliqua Templa Statui Catholico, ut praetenderet (quod tamen ex suprascriptis rationibus secus se habere demonstratum), vi adempta, in rationem eorumdem per nos vel praedecessores nostros restitui debuissent; tamen per praetensam omissam restitutionem non Diplomatis vigor amissus, sed Catholici talia Templa (ni alia infra declaranda impedimenta obstitissent) pro se rehabenda subsequenti Diaeta urgere potuissent. Neque sufficeret casu in praemisso Statui Catholico nude haec asserere, verum etiam comprobare. Et siquidem in articulo primo an. 1608 ante coronationem edito nulla restitutionis Templorum mentio haberetur, quin potius in annis 1647 et 1649 vigore eo tum conditarum legum, Diplomatis Regii, templis universis, attunc

per Evangelicos adhuc possessis, penes eos relictis, alia insuper nonaginta Templa fuere restituta, quomodo non restitutionis culpa nobis adscribi potest? Cumque insuper virtute ejusdem Diplomatis Regii et art. 6 anni 1647 ulterior templorum occupatio absolute vetita fuisset, ideo ratio, ex praecitato articulo Pacificationis Viennensis desumpta, Statui Catholico deservire neutiquam potest.

Quantum ad argumentationem allegatam, novimus equidem pro moderno rerum statu in Regno Hungariae, Catholicae Religionis qualis sit facies. Si tamen, Augustissime Imperator, accurata disquisitio institueretur, Status Catholicus quibus viis ac mediis hanc augmentationem fuerit consecutus, facile demonstrari posset. Sed quia exempla odiosa forent (cum et alias modus agendi Dominorum Catholicorum hoc in passu Majestati vestrae sacratissimae in priori demisso Memoriali nostro humillime sit repraesentatus) ab eorum enumeratione sponte supersedemus. Illud tamen subticere non possumus, quod etiam de praesenti praeter plebem, Nobilitas, civitatum et oppidorum incolae, sicut et confiniarii longe plures in hoc Regno reperiantur penes fidelitatem Majestatis vestrae sacratissimae pro Patria excubantes, ac Christiani nominis hosti sese opponentes Evangelici, ut si ratio sit ineunda a pluralitate et praedictum hostem reprimentibus viribus, eatenus quoque appareret copiosior Evangelicorum numerus.

Deinde quod Templa in fundis Dominorum terrestrium aedificata non competere rusticis subditis praetenderetur, apparet Statum Catholicum vel oblivione vel data opera praeteriisse Tractatus illius Tyrnaviensis anni 1646 continentias, ubi omnes hujusmodi simili in materia obortae quaestiones ipso Diaetae anni 1647 tempore, informatione Status Catholici copiosis rationibus suae Majestati sacratissimae repraesentata, diligentissime excussae, examinatae, tandem diversis hactenus impedimentis et interpretationibus non obstantibus sacro Diplomati Lincensi insertae, annihilatae et abolitae essent, id quod etiam ex Diplomate Matthiae II eorum Archiducis, post vero Regis Hungariae et Majestatis vestrae sacrat. Praedecessorum felicis reminiscentiae interpretatio in Archivo Regni sub N°. 8 et Lit. H existente clarum evaderet. Taliterque Templorum occupatio, generaliter ad omnes Dominos terrestres et consequenter Fiscum quoque Regium extensa lege vetaretur neque per eosdem sub titulo liberi exercitii religionis ipsorum, Evangelicorum, Templa, Parochias, Scholas et id genus alia, subsecutis etiam Regiis Diplomatibus occupare integrum fuisset; unde idem Status Catholicus conclusionem hanc ‚quod Evangelicis licuit, licitum fuisset etiam Catholicis' invalide inferret, tum ex rationibus praemissis, tum ex eo quod diversa sit ratio Templorum, quae praecesserunt sacra Regum Diplomata et modernorum diplomatice jam circumscriptorum.

Condescendit expost Status Catholicus praeter occupationem Templorum ad alios actus per ipsummet in nos Evangelicos exercitos inque Memoriali nostro vestrae Majestati sacratissimae humillime repraesentato uberius declaratos, eosdem partim negando, partim vero justo quasi juris titulo factos affirmando, taliter Ministrorum Evangelicorum persecutiones per delegata judicia sub praetextu Rebellionis aggravationes, ejectiones et postmodum ad triremes relegationes, imo unius etiam combustionem defendere satagendo. Verum, clementissime Imperator, quod omnia illa, quae Vestrae Majestati sacratissimae in generalitate medio supplicis libelli demissa animi subjectione per nos repraesentata sunt, firmissima nitantur veritate, quodve Evangelici Ministri, praetextu quidem Rebellionis ad insolitum jus citati, ab omni tamen labe foedae rebellionis puri et immunes praemissas diras persecutiones perpessi, nedum morte, verum nec illis, quas Status Catholicus mitiores dicit, poenis digni extiterint. Quod denique idem Minister Evangelicus citra omne objectum quidem minus tamen comprobatum incendiarii delictum fuerit combustus, parati sumus coram Regni Statibus stante hac Diaeta comprobare.

Ulterius non sine gravi animi sensu cordisque dolore intelligimus Statum Catholicum asserere, se multo graviora, enormiora et crudeliora a nobis in puncto Religionis pertulisse.

Cum luce meridiana clarius appareat, nobis omnia Templa, Scholas, Parochias et alia, in priori nostro demisso Memoriali vestrae sacratissimae Majestati humillime praesentato declarata, tam a proximo decennio, quam ante adempta, Ministros exturbatos nosque exercitio Religionis nostrae exutos fuisse, quomodo quidpiam simile Catholico Statui per nos evenisset, ne cogitari quidem, tanto minus dici potest, sed ut quo ad alia nobis incognita, imo neque unquam cogitata ac non nisi ex moderata eorundem replica intellecta.

Status Catholici objecta, nostra innocentia, alias per se clara, eo evidentior reddatur, non refugimus, ut quicunque nostrum Statui Catholico contra Diplomata Regia et manifestissimas Legis injurias intulissent, authoritate regia puniantur.

Miramur autem Statum Catholicum eo deflexisse, ut aliena (si quae essent) facinora nobis Majestatis Vestrae sacratissimae fidelibus imputare nihil pensi ducat. Cum tamen nos diversos in Nobilitatem excessus, expilationes Pagorum, Arcis, Oppidorum, Castellorum, ad innocentissimos Evangelicos pertinentium, aliaque enormia facta Patrum, Matthiae Hirkó, Casparis et Nicolai Paulinorum aliorumque Ecclesiasticorum passu in isto designata, toti Statui Catholico adscribere noluerimus.

Quibus modo praevio in ordine replicae seu Memorialis Status Catholici Vestrae Majestati sacratissimae exhibiti humillime et breviter repraesen-

tatis, quod in Tractatum quempiam cum Dominis Catholicis condescendere, certasque e medio nostri ex intimatione Excellentissimorum Dominorum, tam Majestatis Vestrae sacratissimae Commissariorum, quam vero Domini Comitis Palatini, nomine Majestatis Vestrae sacratissimae facta, personas eum in finem denominare nequeamus, sequentes nos excusarent rationes ac imprimis terrent nos acta anni 1647; eo tum enim vigore sacri Diplomatis Regii 400 plus minus Templa Evangelicis restituenda fuissent, verum praedecessores nostri ad similem Tractatum condescendendo, dum ab eodem postmodum se eatenus inconsiderate fecisse sero animadvertentes resilire voluissent, recedere non permissi, eo res devenit, ut ex tot Templis nonaginta solum restitui promissa sint, et neque ea statim complete restituta et assignata fuere.

Constat etiam, quod cum per Dominos Commissarios Statui Catholico intimatum fuisset, ut ad praeinsinuatum Tractatum certos e medio sui denominarent, extunc clerus hujusmodi denominationi (antequam etiam nobis Evangelicis fuisset intimatum) consentire noluit, imo eidem tentandoque ulterius Tractatui contradixit. Quia vero clerus inde ab initio semper (prout etiam ex Replica Status Catholici appareret) praetensas suas contradictiones contra nos jusque nostrum etiam Diplomaticum obvertisset obverteretque, ideo nullus optatus finis hujus Tractatus, nulla stabilitas aut securitas, verum pretiosi temporis inanis jactura speranda foret.

Demum quia natura Tractatus seu amicabilis compositionis secum ferret, quod in similibus a summo jure recedi debeat, Jus autem nostrum esset sacratissimum Vestrae Majestatis sacratissimae Diploma, a quo recedere et in aliquem praejudiciosum Tractatum nosmet immittere non esset integrum.

Quare repraesentatis praemissis rationibus, quarum intuitu in aliquem Tractatum nosmet ut praemissum immittere non possumus, gravaminibus etiam Status Catholici et in favorem ejusdem adductis argumentis, jam pridem in prioribus Diaetis sat luculenter dilutis, imo etiam diplomatice sublatis, ad August. Vestrae Majestatis sacrat. pedes supplices provoluti, eandem denuo per viscera Misericordiae Dei oramus, dignetur ex authoritate sua Regia, in quam spem nostram post Deum unice conjecimus, nostra gravamina ad mentem Diplomatis Majestatis vestrae sacrat. cum satisfactione injuriatorum benignissime complanari, ac in praemissis contravenientibus punitis, nos in integrum restitui facere, inque firmam et stabilem securitatem stante adhuc praesenti Diaeta benigne ac clementer collocare.

Quam Majestatis Vestrae clementiam aeterna fidelitate nostra pro felici et augustissimo vestrae Majestatis sacrat. Imperio jugiter Deum exorantes demereri contendemus, benignam praestolantes Resolutionem.

Majestatis vestrae sacratissimae

humillimi perpetuoque fideles subditi
Status et ordines Regni Hungariae Evangelici [1]).

Memoriale istud repraesentaverat Stephanus Ketskés, senator et liberae Regiaeque Civitatis S. Georgii nunc Ablegatus, cui brevissime tenorem Memorialis ad Imperatoriam Majestatem peroranti clementissime reposuit: Se propositionem fidelis Status sui Evangelici benigne intellexisse. Caeterum Tractationem illam pro facilitando solummodo negotio institutam fuisse, quae quia non successit, suam Majestatem Memoriale Evangelicorum mature ruminare, proque contento Evangelicorum laborare velle, Resolutionem vero ad Commissarios transmittendam, clementer autem confidere Comitia haec felicem exitum habitura [2]). Benigne quoque cum tertium Memoriale exhiberetur, verba faciente Jacobo Torkos, responderat in hunc modum: Instantiam fidelis Status Evangelici intellexi. Equidem ideo veni ut inclytum et afflictissimum hoc Regnum Hungariae in pristinam securitatem et tranquillitatem collocari possit, nec dubito rem ad eum finem perventuram; confido autem Statum etiam Evangelicum collaboraturum, ut scopus hic attingi possit. Quantum ad Memoriale perlegam resolutionemque dabo, omnino acturus, quod justum et aequum erit. De reliquo gratia mea Caesarea et Regia vobis bene propensus maneo [3]).

Commissarii pariter omnes Caesarei ac Ministri humanissime respondebant afflictionem Evangelicorum condolentes; at ubi ventum est ad causae meritum in eorum consolationem, post infinitas quoque expensas inutiliter profusas effectum est fere nihil.

§ VIII. *Literae Residentis Hollandici.* — Aderat in Comitiis Sopronii jussu Ordinum confoederati Belgii etiam eorundem Ablegatus Extraordinarius, qui dissidentium Hungarorum animos sedare connitebatur et Protestantes in concordiam cum Catholicis reducere, salva eorum religione et ejus libero exercitio. Sequentes igitur ad Evangelicos expediit Literas:

Illustrissimi, Spectabiles ac Magnifici, Generosi et Egregii, Prudentes item ac circumspecti Universi Inclyti Regni Hungariae Status et ordines Evangelici!

Quantum intersit Reipublicae Christianae, quantum Augustissimae Domui, quantum reliquis Regibus, fere omnibus Principibus, Statibus in

[1]) In Appendice Hist. Diplom. inter acta Comitiorum pag. 166.
[2]) Il. cc. pag. 170.
[3]) Ibidem pag. 172.

Europa, quantum maxime Hungariae Regno, Patriae Vestrae Magnatibus Ecclesiasticis, Comitatibus, Civitatibus, ac Regnicolis omnibus et singulis manifestius est, quam quod demonstratione egeat nihilque magis, quam clara lux face, vos concordiam exercere.

Hoc itaque cum non ignorent praetitulatae Dominationes vestrae nec non etiam quantum afflictiones et miseriae Praedicantium vestrorum ac interruptus cursus liberi exercitii religionis Evangelicae, Dominis meis clementissimis mihique eorum Ministro, cordi fuerint et sint, quantoque studio et zelo hac in parte a me laboratum sit apud sacratissimam suam Majestatem, Regem vestrum Optimum Maximum, a cujus singulari bonitate, justitia et clementia impetratum fuit gratiosum illud Decretum, cujus vi et vigore plurimi afflicti et miseri Praedicantes (quorum afflictiones et miseriae vobis cordi erant, et quotidianas lacrymas, suspiria precesque ad Deum omnipotentem et misericordem, et vestrum Christum Jesum extorquebant, et quorum absentia vos omnes sicut oves sine pastore inimicis vestris expositi oberrabatis) vinculis, carceribus et triremibus contra omnium expectationem et fidem liberati ac absoluti fuerunt, ac simul saeva persecutionis tempestas, ab isto tempore, minori rabie saeviit et hactenus quievit. O utinam ut pacis restituendae Prognosticon!

Denique cum eaedem Vestrae Dominationes probe sciant Dominos meos clementissimos meque ex eorum mandato non derelinquere vestram causam, sed eam Regum longe optimo, aequo, justo ac clementi studio eodem ac zelo commendare, nec desituros usque dum vel minima spei supererit scintilla.

Patiamini proinde ut vos libere alloquar, moneam, suadeam, atque aequo animo attendite ad ea, quae vobis alloquendo vos, adhortando, monendo, suadendo, ponderanda tamen a vobis atque examinanda relinquo.

Pax et quies in Regno Hungariae, Dominis meis clementissimis cordi est, sed simul plena Templorum bonorumque ablatorum restitutio, Deum testor! Nolite itaque aegre ferre, si sententias vestras aliquando incurram vel impingam.

In omnibus negotiis facilime ad optatum finem pervenitur, ubi illa absque odio, ira vel alia aliqua passione, quae judicium turbant, tractantur. Modestia, aequanimitas, moderatio, ubi in animo imperium obtinent, nullum tam arduum, tam perplexum est negotium, quod tractando, vertendo, explicando, resumendo relaxandoque non facile expediatur. Deus Optimus Maximus animo placidos, pacificos, modestos, in charitatem inque mitiora proclives juvat, amat, causasque illorum promovet vertitque saepius contra spem metumque in melius; hae virtutes Christianum decent, maxime cum Evangelii magnam faciunt partem Evangelici.

Seponant ergo injurias praefatae Dominationes Vestrae, quas pertulerunt. Condonent praeterita, quae reparari non possunt, remittant offensas etiam cum tolerabili damno, pacem quantum in vobis est, charissimi religionis consortes, quaerite cum omnibus Regni membris, mitigate gravamina vestra ex aequo, ex bono, ex lege charitatis, ablegate rigorem juris, qui cum aequitatis et charitatis ratione non semper subsistit. Pacem, quietem et concordiam ante omnia respicite, quaerite, reducite, propter vos ipsos, uxores, liberos, propter Patriam, concives, regnicolas, propter laborantes Status, Reges, Principes, fidei in orbe christiano consortes, propter Dominos meos clementissimos, vestros apud suam Majestatem supplices intercessores, propter Augustissimam Domum, quae per tot annos multo sanguine, auro argentoque vos et christianismum contra inimicos defendit, propter Regem vestrum bonum, optimum, aequum, justum, clementem, qui subditos suos vosque omnes ut viscera sua amat, qui pacem vobis dare, gratiam suam dispartiri, misericordiam etiam male meritis elargiri desiderat.

Hujus optimi Regis vota pro pace, quiete et securitate Regni juvate, promovete, hac ratione fidem vestram, quam semper habuistis prae caeteris et conservastis, constanter Domino vestro Clementissimo contra aliorum fraudes probate: hoc modo confundite inimicos vestros, qui inscio Rege Hungariam intoleranda et non excusanda temeritate opprimendi ac obruendi Evangelicam religionem ejusque liberum exercitium turbarunt et turbant. Hujus optimi Regis clementiae confidite, ab hoc omnia sperate potius, quam ut desperata pace vestra culpa fiat, ut praesens Diaeta vestro impulsu abrumperetur.

Haec clementia vos appellat, vel ad se vocat, omnia promittit, haec Diaetam convocavit, Palatinum dedit, plura dabit, omnesque non dubito cum gaudio domum dimittet.

Haec considerate, ponderate, examinate, placide, modeste, moderate, aequanimiter, in gratiam ejus, qui vos ut fratres in Christo Jesu colit, qui vobis bene et optime vult, precaturque toto animo et corde, ut Deus Optimus Maximus in Christo Jesu, vobis Ecclesiae suae in Hungaria membris benedicat omni benedictione in terris et in coelis.

Dominorum Ordinum Generalium in Foederato Belgio ad suam Majestatem Caesaream Ablegatus Extraordinarius

Georgius Hamel Bruninex[1]).

§ IX. Dederat istas Ablegatus Hollandiae Literas die XVIII Augusti anno 1681, cui responderunt XXX Augusti Status et ordines Evangelici tenore sequenti:

Excellentissime Domine, nobis observandissime, colendissime!

[1]) Vide Literas Procerum Europae Parte II pag. 949

Acceptatis, eo quo decuit honore, nuper literis vestrae Excellentiae ad nos directis, tum commendato in iis benigno affectu Dominorum Principalium suorum, Praepotentum in Foederato Belgio Generalium Ordinum, benevoloque ejusdemmet Vestrae Excellentiae favore, causam nostram coram sacratissima Caesarea Regiaque Majestate, Domino, Domino nostro clementissimo promovendi, tum etiam zelosam adhortationem ad injurias seponendas, praeterita condonanda, pacem quaerendam, gravamina mitiganda, quietemque et concordiam respiciendam et reducendam, aliaque ibidem fusius expressa ex iisdem uberius intelleximus.

Quod Praepotentum Generalium Ordinum Foederati Belgii in calamitate miserorum Ecclesiarum nostrarum Ministrorum ac Scholarum Rectorum christianam compassionem ac eliberationem a triremibus attinet, pro eadem apud sacratissimam suam Majestatem Dominum, Dominum nostrum clementissimum, efficaci interpositione demissas, agimus gratias perpetuae gratae mentis recordatione ad posteros quoque transmissuri.

Caeterum, Excellentissime Domine, summas summeque injuriosas, quas evolutis temporibus passi fuimus patimurque adhuc innocentissimae nostrae religionis Evangelicae turbationes, et eatenus complurium turbatorum sibi arrogatam et hucusque continuatam universalem fere miseros Evangelicos in hac Patria persequendi licentiam, qua videlicet mediante, paucissimis exceptis, omnia Templa, Parochiae, Gymnasia, scholae, xenodochia, proventusque eo pertinentes (in quorum pacifico usu ab ipsis institutae Reformationis Evangelicae temporibus, dum Praedecessores nostri tam seculares quam plures etiam Ecclesiasticae Personae per praedicationem verbi Divini Religionem Evangelicam sponte et libere amplexi fuissent, ac Templa et reliqua enumerata prae manibus ipsorum tanquam legitimorum possessorum et haeredum remansissent consequenterque legaliter et diplomatice numero nos potiores Evangelici incolae hujus Regni perstiteramus) via facti occupata sunt, nonnullis ejusmodi occupatorum Templorum funditus eversis, ac eorum materialibus in stabula et profanos usus conversis, quaque mediante Ministri Evangelici et Scholarum Rectores sub variis praetextibus, omnibus facultatibus emuncti, e Parochiis pulsi, capti ac plurima cruciatuum genera subire coacti. Nobiles item ad incompetens forum citati, arrestati, bonis privati, miseraque plebs variis damnificationibus et miseriis afflicta et oppressa est. Hujusmodi injurias caeteraque adversus Evangelicam religionem nostram et ejus in hoc Regno asseclas commissa contra tenorem sacrorum Regiorum Diplomatum contraque publicas iteratas Regni constitutiones ac desuper initas pacificationes audacissime patrata, suae sacratissimae Majestati ceu Domino et legitimo Regi nostro in praeexhibitis Memorialibus nostris, uberius quidem, sed tantum generaliter, maxima animorum nostrorum demissione, uti jam praesentavimus, atque justam hanc publicam

publicarum injuriarum et oppressionum nostrarum causam, coram sua Majestate sacratissima, tanquam supremo in terris orbis christiani justitiario nostroque clementissimo Rege ac aequissimo judice, humilime exposuimus, secundum praelibati benigni sui Diplomatis continentias complanandam et determinandam; sic nequaquam volumus, nec unquam in animum induximus, haec ipsa religionis* nostrae ejusque consortibus illata adversa per nos ipsos aut quoscunque alios aliter ulcisci.

Verum ad Augustissimos suae Majestatis sacratissimae pedes supplices nos devolvendo et eandem per viscera misericordiae Divinae demisse orando, quatenus ex authoritate Regia, in quam spem nostram totam unice post Deum conjecimus, illamque pro inexpugnabili refugii nostri asylo habemus, gravamina nostra, praevio modo cum satisfactione injuriatorum benignissime complanari, ac contravenientibus punitis nos in integrum restitui facere, atque in firmam et stabilem securitatem stante adhuc Diaeta collocare dignetur.

Atque ista via recta per toties memorata Diplomata Regia, veluti fundamentales Regni hujus Leges nobis praemonstrata, quaerimus omnino, Excellentissime Domine, pacem desideramusque quietem reduci et communem concordiam: nobis siquidem nihil unquam desiderabilius est et fuit, quam habere et posse semper colere pacem in afflictissima totque adversitatibus vexata et jam in extremo fere discrimine fluctuante hac Patria.

At hac autem via ad alium quempiam tractatum, cum parte a qua taliter offensi sumus, in eundem deflectere, videtur nobis nec tutum, nec conducibile nec demum stabile, prouti id nobis experientia manifestum reddidit. Namque deflexione tali ab hac regia via non possumus infelici quorundam Praedecessorum nostrorum exemplo edocti (quod ipsum nunc nos terret maximopere) aliquam nobis polliceri spei nostrae adimpletionem. Cum etiam in publicis Regni comitiis anni 1647 vigore sacri Diplomatis Regii 400 plus minus Templa Evangelicis in hoc Regno fuissent restituenda; ejus temporis Praedecessores nostri ad similem tractatum condescendendo, dum postea sero advertentes eatenus inconsiderate se fecisse, abindeque resilire voluissent, recedere non permissi; verum eo res devenit, ut ex occupatis tot Templis Evangelicorum XC solum sint restitui promissa, nec ea tunc statim restituta et assignata; imo jam nunc etiam eadem cum aliis ferme omnibus ab Evangelicis rursum reoccupata existunt.

Vult praeterea contradictione sua obviare clerus, quominus talis accordae tractatus nobiscum institui queat, qui citius etiam suam contradictionem admaturavit, quam nobis Evangelicis tractandum esse intimatum

* religioni (ed.).

fuisset. Et sicut idem ab initio semper praetensas suas contradictiones, contra nos jusque etiam nostrum Diplomaticum obvertit, ita et nunc obverteret. Ac proinde noster cum offensoribus nostris eo modo ineundus tractatus conclusorumque et accordatorum stabilitas et securitas nequaquam speranda foret.

Praemissas rationes praeponderat etiam id, quod quia secum ferret amicabilis compositionis natura, debere in similibus Tractatibus a summo jure recedere, nostrum vero jus sint ipsa toties memorata sacra Diplomata sacratissimorum olim Principum et Regum modernique pientissimi Regis ac Dominorum nostrorum Regia, absit a nobis ab his vel latum unguem recedere et per praejudiciosum aliquem tractatum iisdem quicquam cum summa conscientiarum nostrarum laesione detrahere, cum perpetua nominum nostrorum ob rem non dextere gestam infamia successorumque nostrorum prostitutae libertatis macula.

Habentes itaque etiam coram Tribunali Divino per nos in futuro seculo reddendarum rationum curam praemissae justae, directae et legitimae semitae, velimus nolimus est nobis insistendum necessario. In qua nullius penitus pervicaciae delectatione exstimulati, sed imperterrita gratiae Regiae fiducia animati procedentes, cum profunda demissione pulsamus fores Regiae clementiae, nec a constanti demissae supplicationis et per eam obtinendae justitiae diplomaticae proposito nos dimoveri patiemur.

Justum, Excellentissime Domine, et licitum per leges petimus, petimusque juste et sine injuria, petimus autem a justissimo orbis Christiani justarum causarum judice; petimus uti Pacis assequendae cupidissimi, petimus bonum, publicae tranquillitati et totius Regni quieti deserviens, et confidimus justissimum eum judicem, circa postulata nostra, ad intimationem olim Gloriosissimorum Matthiae II Augustissimorum, Avi et dulcissimi Progenitoris suae Majestatis sacratissimae, hanc eandem justitiam nobis injuriatis clementissime elargiturum et administraturum.

Quoad offensiones personales nobis multifarie illatas ab Excellentia vestra aut aliis, quibuscunque cordatis, magnis viris, nolumus tales reputari, qui non facile condonare cuperemus easdem, nec unquam hactenus perpessarum injuriarum tam memores fuissemus, quin charitate quoscunque superare niteremur, dummodo nobis et nostratibus Templa, Parochiae, Scholae, Gymnasia, Xenodochia caeteraque occupata et erepta, quae ex toties allegatis principiis occupare minime ulterius licuit, restituantur, Ministri confessionis nostrae ad priora Parochiarum, Scholarum et Gymnasiorum loca, abolitis hinc inde extortis ab iisdem praejudiciosis Reversalibus, admittantur, verbo in eam liberi exercitii Religionis nostrae statum, quo antecedentibus et notanter ipso anno 1647 constituti fuissemus, asseramur articulis etiam ejusdem anni hoc in passu firmati.

Qua justa et constanti nostra petitione Divinam humanamque Majestates nequaquam offendimus, cum majestaticae ipsorum autoritati nihil quippe et ne in minimo quidem derogatorium, cum omni animorum nostrorum subjectione simpliciter expetamus, nec in charitatem erga proximum quicquam delinquamus, nostra, non aliena repetentes, nec alienationi animorum et dissensioni obnoxia, imo ad unionem et fraternam dilectionem coalescendam deservientia effectuari desideramus, modeste ac placide agentes, ac quo demissius et suavius fieri potest, justam nostram instantiam coram Caesarea Regiaque Majestate, coram Excellentissimis Dominis Aulae Caesareae Ministris, coram summis hujus Regni columnis, tanquam oculis orbis christiani caeterisque Dominis Statibus et Ordinibus, fratribus, proximis et commembris nostris, hicce constitutis, attendentes hoc et non aliud esse officii etiam et fidelitatis nostrae, qua erga suam Majestatem sacratissimam uti Dominum et Regem nostrum nosmet in perpetuum devovimus.

Et haec sunt quae Excellentiae vestrae condecenti honore ac debita officiorum nostrorum commendatione rescribenda habuimus, permansuri semper

Ejusdem Excellentiae Vestrae

Amici et servitores paratissimi

Statuum et ordinum inclyti Regni Hungariae Evangelicorum ad praesentem Diaetam ablegati Nuncii[1]).

§ X. *Catholici seculares cum Evangelicis urgent pacis media.* — Laborabant optimi Patriae cives in concordia Regnicolarum resarcienda et pace quoquomodo quae diu Regni finibus ejecta exulabat reducenda; at vero clerus Catholicus ut gravamina Evangelicorum assumerentur assentiri prorsus noluit, imo omnibus modis contravenire studuit. Pax vero et concordia, nisi sublatis Evangelicorum gravaminibus opportuno remedio, coalescere minime potuit. Demum universus Status Catholicus secularis, cleri iniqua cavillatione irritatus, Statui Evangelico adsurgit, et causam communem cum Evangelicis faciens clerum inter alia his increpat verbis: Frustra omnia tractari, nisi prius negotium Religionis complanatum fuerit, nullique bono futurum, si summus apex modernorum tumultuum non complanatus missus fuerit. Negotio Religionis non complanato, et suspensa caetera parum proficere posse; inde enim conservationem aut interitum Patriae dependere. Sacratissimam Caesaream Regiamque Majestatem in

[1]) Confer Literas Procerum Europae Parte II pag. 951.

propositione Diaetali jussisse, Status Regni ut media et consilia pacificandi Regni suppeditarent; inter reliqua publica Regni gravamina autem maxime praecipuum pacificandi afflicti Regni remedium esse complanationem gravaminum Religionis: imo esse principalissimum sine quo non. Clerum non curare, etiamsi nunquam Diaeta indiceretur et nunquam complanatio injuriarum secularium sequeretur. Regnicolas vero aeque Catholicos ac Evangelicos versari in periculo. Clerum conglobatis et corrasis divitiis facilime Regno exire et aufugere posse. Seculares Catholicos et Dominos terrestres fere similes persecutiones passos esse, quibus Evangelici pressi fuerunt propterea, quod ad nutum cleri Praedicantes Evangelicos ex possessionibus suis ejicere, Templa occupare et subditos suos Evangelicos expellere domibus noluerint; se ergo nullo modo passuros, ut gravamina Evangelicorum non complanata relinquantur, aut ut resiliat Clerus ab illo, quod semel ipsomet consentiente gravaminibus insertum fuit.

Proinde postquam Status Catholicus secularis aeque ac Evangelicus obtestatus fuisset Clerum per Deum, per sanguinem, per flammam in Patria ardentem, totidem neces, depraedationes, spolia, patriae tranquillitatem, ut Diplomaticam Resolutionem super negotio Religionis conjunctim implorent, tandem protestatur coram Deo, Angelis et toto mundo Christiano, se futurae funestae Regni cladis et multarum christianarum animarum interitus, caedis et effusionis sanguinis in tremendo illo judicio innocentes futuros totamque causam et reatum in boni publici pacisque et tranquillitatis Regni convulsores, quales clerus Catholicus solus esset, redundaturum. Iniquissimam etiam esse cleri cavillationem redarguunt ipsimet Status Catholici, dum hic causatur conscientiae suae adversari ut omittantur persecutiones, ita enim omnes leges Patriae, Diplomata Regia aeque per Clerum ac secularem Statum Catholicum condita conscientiae contraria esse, dictum iri cum tempore.

§ XI. Palatinus Regni Paulus Eszterházi licet nimium zelosus Catholicus istam cleri obstinationem improbat, et fatetur se juramento aeque Evangelicis ac Catholicis esse adstrictum adeoque probare modum procedendi cleri non posse. Personalis etiam Regiae Praesentiae quamvis

Catholicus, mirum dictu hac in parte quantopere contrarius fuerit Clero, et erupit in haec verba: Nunc demum apparere, quisnam incendii hujus Patriae autor sit, justam et aequam esse Evangelicorum instantiam. Caeterum si clerus more hactenus sibi usitato etiam in posterum nil nisi reliquis statibus et ordinibus contradicere et resistere noverit, inque eo perrexerit, satius sibi esse deposito Praesidis officio id ipsum clero committere. Verendum etiam esse, ne clerus ob has et ejusmodi insolentias tandem status pariter et suffragii Privilegio privetur. Nam et suae sacratissimae Majestatis eam esse benignam voluntatem, ut, clero pertinaciam suam exuere detrectante, reliqui status incumbentia agant[1]).

§ XII. Nihil Ablegati Protestantium in comitiis intentatum secundum Regni leges praetermittebant, medelam ut invenirent gravaminibus suis, quae tamen in Resolutione Caesarea adhibita non est. Cum enim aliae difficultates tollerentur ad Punctum Sextum, quod negotium Religionis continebat, Regia Resolutio talis erat:

Si quidem Augustanae et Helveticae Religioni addicti cum Catholicis nullam amicabilem compositionem inivere, S. M. S. hac in re juxta benignam oblationem convenienter sese stante adhuc Diaeta praesente determinabit.

Urgebat Palatinus articulorum Diaetalium concinnationem, ut Diaeta tandem solveretur. Evangelici objiciebant gravamina sua sublata non esse, igitur cooperari non posse ad articulos concinnandos. Quamdiu enim gravamina Religiosa non componerentur, tamdiu in pacem Patriae effectum est nihil. Post inanes multorum dierum disceptationes et secularium Catholicorum interpositiones tandem ad Sextum Punctum facta est Resolutio sequens:

Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis nomine universis Fidelibus Regni Hungariae Romano-Catholicis et Augustanae ac Helveticae confessioni addictis statibus et ordinibus in hac generali ejusdem Regni Diaeta congregatis et existentibus pro ulteriori benigna Caesarea et Regia resolutione, hisce significandum.

Cum sua Caesarea et Regia Majestas inclytis Regni Hungariae ordinibus ad sextum suorum gravaminum Articulum super humillimis omnium statuum Instantiis ultra declarationem, quam ipsis Augustanae et Helveticae Religioni addictis singulariter jam exhibitam clementissime responderit, se in negotio Religionis finaliter determinaturam, qualis libertas et exercitium in memorato Religionis negotio in futurum sit

[1]) Acta Comitiorum Sopron. 1681. Hist. Diplom. pag. 94.

concedendum, idcirco altissime memorata sua Caesarea et Regia Majestas se sequenti modo declarat simulque determinat, scilicet:

Primo. Pacificatio Viennensis in totum et maxime in primo articulo utramque Religionem concernente in omnibus repetitur et confirmatur.

Secundo. In supplementum dictae Pacificationis omnes et singuli status et ordines non solum Romano-Catholici, sed etiam confessioni Augustanae vel Helveticae addicti, sive sint Magnates et Nobiles sive liberarum Civitatum indigenae, oppida etiam privilegiata ad coronam spectantia, pariter Milites et Regnicolae in confiniis commorantes in illa quam modo profitentur religione sine omni turbatione permaneant, nec non in transgressores sublato Religionum supra dictarum discrimine severe animadvertatur.

Tertio. Neque dicti Augustanae et Helveticae religioni addicti ad alias suae religioni contrarias ceremonias peragendas, semoto tamen publico scandalo compellantur.

Quarto. Ultra libertatem hanc dictis Augustanae et Helveticae religionis sequacibus concessum sit insuper suae religionis exercitium et usus, salvo tamen in his jure Dominorum terrestrium in Dominiis et bonis praecise catholicos concernentibus, et e contra Augustanae ac Helveticae confessioni addictos respicientibus. In aliis vero mixtis et per utriusque religionis Dominos comportionaliter possessis, pro illis, qui de praesenti ibidem in usu et actuali possessione templorum essent, permanente et integro relicto.

Quinto. In locis etiam ubi liberum Religionis exercitium concessum, non liceat ex causa religionis Pastores et Parochos Ecclesiarum amovere, pellere aut turbare.

Sexto. Nullae etiam occupationes Templorum fiant.

Septimo. Propter bonum pacis et tranquillitatem publicam, ne Regnicolae pene in infinitis litigiis templorum aut Ecclesiarum causa implicentur, illa Templa aut Ecclesiae, nec non etiam reditus aut proventus ad eos pertinentes, si haec ab initio anni 1670 hucusque occupata fuissent, possessoribus permaneant.

Octavo. Posoniensibus Augustanae confessioni addictis liceat aedificare suis sumptibus Templum unum, in loco commodo atque in suburbio a sua Caesarea Majestate designando.

Nono. Civitas Soproniensis maneat in possessione et exercitio suae religionis, quam modo profitetur, nec in hoc turbetur.

Decimo. Quoad reliquas liberas civitates a sua Caesarea Regiaque Majestate similiter loca pro aedificando templo praevio modo designanda clementissime indulgentur. In civitatibus cis et ultra Danubianis, utpote Trentsiniensi, Kremniciensi et Novisoliensi. In superiori Hungaria, Bartphensi, Leutsoviensi, Eperiesiensi, Cassoviensi et Nagy Bánya.

Undecimo. In comitatibus porro Helveticae aut Augustanae confessioni addictis sequentia observentur. NB. hic enumerantur Loca in comitatibus ubi Templa aedificari possunt numero 45.

Duodecimo. Permissum etiam sit Magnatibus et Nobilibus, qui vel Augustanam vel Helveticam Religionem profitentur et in suis arcibus habitant, oratoria et sacella pro exercitio suae religionis erigere.

Decimo tertio. Cum Romano-Catholicis merito sit aut esse debeat in universo Regno liberum suae religionis exercitium et usus ideo hic nullo modo aut tempore nulloque loco in hoc exercitio vel jam turbentur, vel in futurum impediantur.

Decimo quarto. Si quae gravamina futuro tempore in negotio religionis emergerent, dissidia nunquam armis, sed per Regem auditis partibus determinentur.

Decimo quinto. Sub gravi Caesareae et Regiae Majestatis indignatione abstineant Status et ordines ac regnicolae, ne quis alterius partis religionem aut ejus asseclas convitiis vel scommatibus ullo modo proscindat.

Unde sua quoque Majestas Caesarea et Regia omnes suos fideles status et ordines et regnicolas, non solum contra omnem vim et violentiam clementissime proteget, sed etiam transgressores sine status discrimine, prout Regni tranquillitas exigit, condigna poena afficiet. Quae tamen omnia nec aliter nec alio modo conceduntur, quam ut Augustanae et Helveticae Religionis sequaces, si hac concessione frui velint, quiete, pacifice et prout alios fideles subditos decet, vivant et debitam obedientiam Regi suo praestent.

Et cum per haec omnia sua Majestas sacratissima suam erga illos innatam clementiam et benignitatem abunde demonstraverit, ne quid ulterius ab illa in hoc Religionis negotio desiderari possit. Unde etiam pro certo habet, Regni Status, Ordines et incolas suae clementissimae Resolutioni omnino acquieturos. De reliquo iisdem omnibus et singulis Caesaream atque Regiam suam gratiam et clementiam benignissime confirmat

Per sacratissimam Caesaream Regiamque Majestatem Joannes Maholány.

Sopronii die 9 Mensis Novembris Anno 1681.[1])

Hac Resolutione neque Catholici, neque Protestantium Ablegati sibi satisfactum esse putantes, Libello supplici Regiam Majestatem requisierunt de negotio Religionis ulterius declarando; quibus eadem, quae in Resolutione data erat, responsio et declaratio facta est.

§ XIII. *Protestatio Evangelicorum.* — Clerus Catholicus, cum Diaetae

[1]) In Actis Diaetae Soproni an. 1681 pag. 191.

finis acceleraret ut optatam Evangelico Statui satisfactionem, quam adhuc tunc urgebat, praescinderet, ipsemet Resolutionem Caesaream, cui hactenus obniti videbatur, ultro acceptat, et se in illa nil amplius desiderare declarat, eoque ipso colophonem Diaetae praecipitat, novo hoc artificio impediens ne Status Evangelicus Hungariae majorem consolationem et prolixiorem satisfactionem accipere possit, insimul eo ipso favorem Aulae abiturientis captans. Neque defecit eum successus. Status enim Evangelicus cum propter praejudicium, quod juste timebat, adesse exhibitioni gravaminum periculosum existimaret, neque communicationem aut consuetam praelectionem Articulorum, qui in negotio Religionis confecti essent, obtinere potuisset, Clerus cum reliquo Statu Catholico Articulos pro suo lubitu et arbitrio tales concepit, quales voluit, insciis et inauditis Evangelicis. Et hinc illae lacrymae, quibus truces illi morsus anguis istius, quem destinato consilio, sub herba clausulae, de Salvo Jure Dominorum terrestrium, astute et occulte nimis abscondiderant, hodiedum ab isto tempore a Protestantibus deplorantur. Desuper tamen Status Evangelicus solemniter protestatus est, et publice declaravit, Articulos istos, se inscio, absente et plane ignorante, quid contineant, cusos esse, adeoque in illos consentire, illosve pro Articulis Regni agnoscere et acceptare non posse, exindeque ullum praejudicium sibi attrahi nequire.

Quam Protestationem tantum abest, ut sacra Caesarea Majestas injustam vel rejiciendam esse reputaverit aut aegre tulerit, ut potius perbenigne et gratiose jusserit solemnes Testimoniales de exhibita sibi Protestatione et Jurium reservatione expediri et sigillo Regio impresso Statui Evangelico dari, quo de praejudicio avertendo securi esse possint, sicuti ex ipsis Testimonialibus, quae hic sequuntur, videre licet.

Nos Leopoldus Dei Gratia &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quod fideles nostri spectabiles, Magnifici, egregii et Nobiles, prudentes item ac circumspecti, Augustanae videlicet et Helveticae confessionibus addicti, feria tertia proxima post Dominicam infra octavam Nativitatis Christi Domini, die videlicet trigesima Mensis Decembris Anni modo labentis Millesimi sexcentesimi octuagesimi primi, alias in libera Regiaque civitate nostra Soproniensi et Comitatu nominis ejusdem adjacente, habitam ad Generalia praelibati Regni Nostri Hungariae partiumque eidem annexarum Comitia, in diem vigesimum octavum praeterlapsi mensis Aprilis, anni praesentis supra recensiti, Fidelibus nostris universis ejusdem Regni nostri Hungariae et Partium praescriptarum statibus et ordinibus pro pertractandis publicis iisque perarduis ipsorum rebus ac negotiis per Majestatem nostram Regiam clementer indicta et promulgata, simul congregati convocatique et ablegati Nuncii nostram personaliter venientes in praesentiam, per modum et

formam solennis protestationis et contradictionis proposuerunt ac detegerunt, proponique ac detegi curaverunt, eandemque protestationem et contradictionem suam Eidem Personali Praesentiae nostrae Regiae in scriptis etiam exhibuerunt et praesentarunt, hujusmodi sub tenore.

Universi et singuli status et ordines Evangelici Regni Hungariae pro praesenti Generali praetacti Regni Diaeta, ad diem vigesimum octavum mensis Aprilis anni Millesimi sexcentesimi octuagesimi primi praeteritum, in liberam hanc et Regiam civitatem Soproniensem indicta, praesentes per modum solemnis protestationis et gravis querelae proposuerunt in hunc modum:

Qualiter sub decursu modernae Diaetae, et quidem statim ab initio ejusdem, exulceratum inde ab anno 1649 pridem evoluto, mille modis turbatae ac tandem 1670 ab annis, fere ad totale exterminium conquassatae religionis Evangelicae vulnus suae Majestati sacratissimae Domino, Domino et Regi ipsorum clementissimo, primum ad partem duntaxat non modo idem Protestantes humilime detexissent, ac benignam a tanto temporis tractu de uno in alium generalem Regni conventum dilatam, jam tandem tot malis clementer adhibendam medelam anhelo spiritu implorassent, verum etiam id ipsum universi status et ordines Regni et Partium eidem annexarum publicis suis gravaminibus accensendo, pro Diplomatica complanatione alte nominatae suae Majestati serio ac iterato repraesentassent, ut ut autem bene memorata sua Majestas inter Puncta benignarum suarum Resolutionum, hoc quoque in passu iteratis ac tandem ultimaria vicibus sese in sequenti resolvisset:

Primo. Pacificatio Viennensis in totum et maxime in primo Articulo utramque Religionem concernente in omnibus repetitur et confirmatur.

Secundo. In supplementum dictae Pacificationis &c.

Tertio. Neque dicti &c.

Quarto. Ultra libertatem hanc &c.

Quinto. In locis etiam ubi liberum &c.

Sexto. Nullae etiam occupationes

Septimo. Propter bonum &c.

Octavo. Posoniensibus Augustanae Confess. &c.

Nono. Civitas Soproniensis &c.

Decimo. Quoad reliquas

Undecimo. In comitatibus

Duodecimo. Permissum etiam

Decimo Tertio. Cum Romano Catholicis

Decimo quarto. Si quae gravamina

Decimo quinto. Sub gravi &c Conclusio. Unde sua quoque Majestas &c usque ad: Regni status, ordines et incolas suae clementissimae Resolutioni omnino acquieturos.

Quia tamen iidem Protestantes per praeviam benignam suae sacratissimae Majestatis resolutionem votis universorum Regnicolarum tanto minus ipsorum Evangelicorum minime satisfieri, quin potius sacris Diplomatibus et legibus Regni praejudicare adverterent. Ut enim praecitatus Articulus primus, alias superioribus temporibus per statum catholicum in diversum et exoticum sensum distractus, ac post modum non saltem authenticis instrumentis, verum etiam Diplomate Regio anni Millesimi sexcentesimi quadragesimi septimi mediantibus in suum genuinum et nativum sensum reductus et declaratus simpliciter renovetur, taliterque tot indirectarum interpretationum, quae hactenus Evangelicam Religionem asperrime collidebant, fomes exsuscitetur. Ut deinde Evangelicae Religionis exercitium alias vigore sacrorum Diplomatum per universum Regnum liberum ad certa loca duntaxat restringatur. Ut porro Templa ab anno praescripto 1670 (ac etiam uti manifestè sequelae est, antecedenter) occupata, prae manibus violentorum occupatorum remaneant, ac pro nonnullis loca duntaxat deputentur. Ut denique Dominis terrestribus in negotio Religionis erga suos subditos, consequenterque animas ipsorum, jus et arbitrium quoddam supermaneat et alia in praetacta benigna Resolutione contenta, sacris Diplomatibus absolute caverentur; sed et alia ejusdem benignae Resolutionis Diplomati non repugnantia vim novae concessionis prae se ferrent et Puncta eadem quasi nullo praeexistente Diplomate, precario indulgeri videntur. Quae aeque ac alia acceptare citra resultum a sacro Diplomate integrum minime foret. His igitur ac aliis praemissa Puncta benignae Resolutionis inspicienti luculentissime apparentibus, praegnantibus ex rationibus, dum memorati Protestantes iisdem acquiescere nequissent, instantia ad statum catholicum, ut negotium Religionis cum aliis eorum adhuc irresolutis Punctis suae sacratissimae Majestati pro benigniori Resolutione denuo praesentetur, facta eaque per statum catholicum non admissa, necessitati superinde suam sacratissimam Majestatem medio demissorum suorum Memorialium interpellare. Interea vero statu catholico ad articulorum confectionem procedente etiam sese a communi consessu Regnicolarum, tantisper, usque tum finalis suae sacratissimae Majestatis Resolutio obtineri potuisset, absentare. Verum ubi ultimaria benigna suae Majestatis sacratissimae priorem per omnia repetens supervenisset resolutio, toties fati Protestantes se in Articulorum super aliis tractatibus Diaetalibus edendorum confectione, ex misso e serie eorumdem Religionis tanquam ad normam Diplomatum et Legum Regni minime resoluto, processuros resolvissent, prout etiam ad finalem diaetalium laborum conclusionem, praemissa expressa cautela interjecta processissent. His tamen non curatis status catholicus citra consensum eorundem Protestantium et in ruinam ipsorum, favorem autem sui, eosdem Protestantes opprimentis, etiam in negotio Religionis certos

articulos compilasset. Quo iisdem innotescente ac tempore solitae praesentationis Articulorum Diaetalium jam jam approximante, tam coram Excellentissimo Domino comite Palatino, quam Domino Personali sese declarassent; quod Articulos in reliquis Regni negotiis conclusos parati essent suae sacratissimae Majestati pro confirmatione humillime praesentare, dummodo aliquis in negotio Religionis conditus iisdem non annectatur; alioquin in hujusmodi praesentationem sibi valde praejudiciosam et nocivam consentire non possent. Unde praerepetiti Protestantes sperassent fore, ut aliis Diaetalibus, Tractatibus et Articulis suae sacratissimae Majestati demisse praesentatis Religionem concernentes exmitterentur; tantum tamen abest ut hoc fieret, ut potius ubi hesterna luce Generosus Dominus Valentinus Szenthe Vice Palatinus (qui eorum Domini Personalis, alias ob paroxismum quartanae eadem ipsa die recurrentem absentis, munus obibat) praesentationis mentionem fecisset, ab antelatis Protestantibus, num Articuli Religionem tangentes inter reliquos contineantur, quaesitus, eosdem ne directo quidem responso dignaretur, sed dum praerepetiti Protestantes, quid in tali ancipiti rerum statu opus esset factu, animis haererent, praedeclaratis Articulis coram Regnicolis minime perlectis, cum tamen eosdem ipso quo praesentarentur die perlegere antiquissimi et usitati moris esset; cum caeteris Dominis catholicis ad Augustissimam suae sacratissimae Majestatis Aulam Articulos praesentatum perrexit, nobis in domo Regnicolarum anxiis relictis, praejudicio status Evangelici valde gravi et manifesto.

Quamobrem praementionati Protestantes Juribus suis mature prospectum iri volentes, cum praerepetita sua solemni Protestatione, hujusmodi Articulorum Religionem tangentium compilationi, confectioni et expost modo praevio subsecutae praesentationi, ac iisdem etiam articulis tanquam citra consensum attactorum Protestantium confectis et subsecutis juribusque eorundem nimis praejudiciosis contradicunt protestando et protestantur contradicendo. Declarassent se insuper, quod licet pro praesenti Templorum caeterorumque violenter occupatorum restitutionem aliarumque infinitarum exantlatarum injuriarum complanationem consequi non licuisset; prouti tamen innatae suae sacratissimae Majestatis benignitati non diffiderent, quin eadem tot praefatorum Protestantium afflictiones sit cordi sumptura, oppressisque opem benigne latura, ita etiam futuris semper temporibus sacris Diplomatibus ac Legibus Regni inhaerere ac iisdem uti, nec in minimo ab iisdem recedere velle. Prouti protestati sunt contradicendo, et contradixerunt protestando, et sic sese declararunt.

Super qua quidem Protestatione et contradictione praesentes literas nostras eidem Augustanae et Helveticae confessioni addictis jurium ipsorum futuram uberioremque ad cautelam necessarias, sub sigillo nostro judiciali

et authentico apud memoratam Personalem praesentiam nostram Regiam dandas duximus et concedendas, communi suadente Justitia.

Datum in praetacta Civitate nostra Soproniensi, die ultima praedicti Mensis Decembris, Anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo primo.

(LS) Lecta et extradata per me Stephanum Orban, altetitulatae suae sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Personalis Praesentiae in Judiciis Locumtenentem et Consiliarium mppr. [1]).

§ XIV. Articuli in Diaeta Soproniensi conclusi religionem Evangelicam concernentes sunt sequentes:

Art. XXV. Et quia propter bonum Pacis tranquillitatemque Regni publicam in negotio Religionis quoque sua Majestas sese benigne resolvere dignata esset, ideo eandem etiam Resolutionem Articulis Regni Status et ordines inserunt; ac imprimis quidem cum liberum religionis exercitium, jam antea in anno 1606 vigore Pacificationis Viennensis concessum, his motibus a parte nonnullorum interturbatum fuisset.

Ideo confirmato hoc loci articulo dictae Pacificationis, idem exercitium omnibus et ubique per Regnum (salvo tamen jure Dominorum terrestrium) juxta Articul. 1 Anno 1608 ante coronationem editum liberum permittitur, ac Praedicantibus quoque et scholarum Magistris, alias vel proscriptis vel propter certas Reversales munia suae professionis exercere non valentibus, liber in Regnum reditus liberaque religionis suae professio et exercitium, cassatis eatenus etiam ipsorum Reversalibus, conceditur. Et nullus Regnicolarum in libero religionis exercitio a modo in posterum quoquomodo turbetur. Sed neque Augustanae et Helveticae confessionis addicti ad ceremonias confessioni suae contrarias compellantur.

Art. XXVI. Adhaec Templa quoque per Augustanae et Helveticae confessioni addictos aedificata et ritu Catholico necdum reconciliata, per certos Commissarios eisdem assignanda, in aliis vero locis juxta benignam suae Majestatis Resolutionem loca, pro aedificandis Templis, Scholis et Parochiis erigendis, pro commoditate eorundem Augustanae et Helveticae confessioni addictorum, per eosdem Commissarios designanda, ordine infra sripto decernuntur, quemadmodum etiam in omnibus Regni comitatibus, et quidem signanter in comitatu Castriferrei, pro illis qui Augustanam confessionem sequuntur in Demök et Nemesczok, pro Helveticae vero confessionis incolis in Felsö ör, in comitatu Soproniensi in Vadosfalva et Nemeskér. In Posoniensi in Rete et Puszta Födémes. In Nitriensi in Nitra, Szerdahely et Straza penes Vagum. In Barsiensi in Simonyi et

[1]) Extat in Histor. Diplom. pag. 96.

Szelezen. In Zoliensi in Osztro Luka, Garamszeg. In Turociensi in Neszpal et Ivánkafalva. In Liptoviensi in Hibe et Nagy Palugia. In Arviensi in Felsö Kubiny et Sztebnye. In Trentsiniensi in Szulovo et Zai, Ugrocz. In Scepusiensi in Gergó et Patocz vel Batizfalva, non obstante quorumvis contradictione, sunt permissa. In aliis vero Comitatibus veluti in Szaladiensi, Vesprimiensi, Jaurinensi, Komaromiensi, Abaujvariensi, Sarosiensi, Zempleniensi, Ugotsiensi, Beregiensi, Tornensi, Gömöriensi, Borsodiensi, Hontensi, Neogradiensi, Szolnok et Heves, nec non Pest Pilis et Solt, unitis. Item Szaboltsiensi, Ung et Szathmariensi, si quidem de praesenti essent in actuali usu omnium fere Templorum ibidem habitorum, ideo eadem pro actualibus eorumdem possessoribus usuanda relicta sunt.

Praeterea in confiniis Regni et quidem in Generalatu contra Kanisam in Szent Grod. In Generalatu Jauriensi in Tihany, Vason, Papa, Veszprem, Jaurini et Komaromii. In Generalatu antemontano Levae, Carponae et Fülekini. In Generalatu superioris Hungariae, in Putnok, Onod, Szendrö, Tokai, Kállo, Szathmár. In liberis vero civitatibus, utpote Posoniensi, Augustanae confessioni addictis liceat aedificare suis sumptibus Templum unum in suburbio in loco per eosdem commissarios designando. Civitas porro Soproniensis maneat in possessione et exercitio suae religionis quam modo profitetur, nec in hoc turbetur. Ac tandem in liberis et montanis civitatibus, utpote Trintsiniensi, Modiensi, Kremniciensi et Novizoliensi, ac in superiori Hungaria omnibus itidem civitatibus, similiter loca pro aedificandis Templis, Scholis et Parochiis assignanda conceduntur. Templa demum, in quorum actuali possessione iidem Augustanae et Helveticae confessioni addicti de facto sunt, modo praevio prae manibus eorundem, una cum Parochiis et Scholis proventibusque eorundem, propter bonum pacis, ut nimirum quiete et pacifice vivant, relinquantur, usu sepulturae et campanarum pro catholicis ibidem degentibus aeque ac ipsis libero relicto. Interea vero nec catholici ministris Augustanae et Helveticae confessioni addictis, nec vero horum sequaces plebanis catholicis ad mentem Art. II anni 1647 solvere obligentur. Omnibus porro Magnatibus et Nobilibus in Regno degentibus, in arcibus et solitis Residentiis suis pro ritu cujusque professionis oratoria et sacella aedificare et dotare liberum sit. Posthac vero nullae Templorum Scholarumque et Parochiarum occupationes vel exercitii turbationes ab utrinque sub poena in Articulo VIII Uladislai Decreti sexti expressa fiant. Per hancque Articulorum concessionem iisdem Augustanae et Helveticae confessioni addictis ulterior praetensionum suarum via in futuris Diaetis instantias suas promovendi (non obstantibus cleri et aliorum secularium catholicorum contradictionibus) minime praecludatur, salvis semper eatenus legibus Regni, Diplomate Regio firmatis [1]).

[1]) Vide Artic. XXV et XXVI an. 1681.

Verbis equidem Articuli isti in satisfactionem querelarum, quas integris voluminibus de gravaminibus et persecutionibus suis admodum truculentis ac atrocibus Evangelici compilarant, conditi sunt; at vero occasione clausulae, salvo jure Dominorum terrestrium, per parenthesin insertae, totus ille articulus in elusorium sensum detortus est, apparuitque eum in perennem scaturiginem malorum in Religionem Evangelicam et ejus libertatem omnimode quidem, praeprimis tamen in ignobilibus seu rusticis opprimendam manantium, obtorto veluti collo, mutatum esse. Nonnulli enim Domini terrestres ad instigationem cleri depravato sensu clausulam hanc in dominatum non saltem servitutis ac utilitatis corporeae, quibus subditi obnoxii sunt, sed conscientiarum tyrannidem detorserunt, tanto quidem rigore ut non solum rustici huic torturae carnificinaeque conscientiarum subjecti fuerint, verum etiam Nobiles ac liberarum Regiarumque civitatum incolae. Millena jam prostant exempla.

§ XV. Dux Malecontentorum Comes Emericus Tököli cum videret cum adjunctis sibi Magnatibus et promiscua Nobilitate promissa quidem sibi a Regiis Ministris dari, quae tamen in effectum deduci ob praefractam Episcoporum Hungariae obstinationem non possunt; imo ne nunc quidem ab affligendis Protestantibus cessari, sed ex Regula concilii Constantientis Pacta observari: Haereticis datam fidem non esse servandam, Armistitii tempore exspirante anno 1682 redierunt ad arma. Cassovia cum aliis civitatibus in potestatem redacta[1]) ubi Templum Augustanae Confessionis civibus, quorum sumptibus antea erat aedificatum, restituit[2]). Scholam pariter Sáros Patakiensem, Reformatis anno 1672 ademptam, nunc a Graecis, Ruthenis et alia plebea colluvie inhabitatam, proscriptis illis e Musarum domicilio, Musas post decennale exilium in sedes suas revocavit illisque attribuit[3]). Revocavit et Nobiles, item Ecclesiarum Scholarumque ministros in exilio vitam tolerantes, et quantum in tanta ruina potuit in meliorem restituit statum. Monetam, cujus in uno latere manus acinacem tenens conspiciebatur, cum inscriptione: Pro Deo et Patria, in altero Cusoris nomen et Titulus: Emericus Comes Tököli in Kesmarck Dux Hungariae[4]).

§ XVI. Cum Tökölius, prosperiori usus fortuna, arma circumferret in Hungaria, Turca quoque cum ingentibus Asiae et Europae viribus innumerabilique prope multitudine Viennam obsedit. Caesari necessitas fugam ex urbe imposuit, cujus iter molestia minime vacabat: „rusticae, si quidem furor plebis (ita Wagnero scribente) suis malis prope in

[1]) Caroli Memorabilia Tom. II pag. 296.
[2]) Histor. Ref. pag. 499.
[3]) Histor. Reform. pag. 500 591.
[4]) Caroli ll. cc. pag. 296.

seditionem exaestuantis, timoris haud parum ingessit. Quaqua transiret, sacrilegis ab hominum fece conviciis impetitus est Caesar; uti qui Jesuitarum impulsibus, Religionum studio intempestivo, sibi suisque tantum attulisset mali, meritoque exhauriret, quas sua imprudentia populis accersisset calamitates. Haec inter adversa eadem, qua ad ludum assideret, frontis hilaritate, constantia scilicet sua et causae bonitate Principum optimus sustentabat. Conjectu pronum sit, queis maledictis aulicorum primos incesserent ii, qui in Principis Majestatem haec ausi essent. Nullum vero hominum genus Jesuitis exagitatum est foedius, e quorum officina consilia perversa, importuna in Protestantes severitas, Ungarorum perduellio, Leopoldi pietas superstitiosa prodiissent, certe nisi mutato velut in barbara regione habitu fugissent, caedem vix evadebant. Si moribus aut indicio alio sub alienato habitu latere Jesuitam esset suspicio, admotis ad pectus sclopis, ut verum ediceret adigebatur. Rusticulorum furore discerptos fuisse aliquos, qui nunquam deinde conspecti sunt, conjectura est" [1]).

Mira Dei bonitate factum est, quod Vienna ab Otthomannis expugnata non fuerit, alias magnam Germaniae partem in ruinam secum tractura. Ad eliberandam ab obsidione Viennam in tempore accurrerunt Principes Christiani, alii auxilia submittentes, alii etiam in persona aleam Martis periclitantes. Joannes Tertius Rex Poloniae cum filio natu maximo duodecim millibus equitum, tribus peditum in persona adfuit. Turcis subjecti Principes Christiani veluti Transylvaniae et Walachiae cum aliis colludebant Christianis et, quantum penes ipsos erat, ejus occupationem retardabant. Kara quoque Musztafa summus Vezirius, sive muneribus emptus, sive propria sibi cunctatione, aut quod magis affirmarim potenti gubernatione Dei, irruptionem procrastinando, tempus Christianis dedit sese castris suis exuendi. Propulsos Vienna Turcas in Hungariam prosecuti Christiani, prelia quaedam inierunt non sine magno suorum periculo.

§ XVII. *Tökölii successus mutatur.* — Interea Comes Emericus Tököli solicitabat per literas Saxoniae Electorem et alios Imperii Principes, quorum interventu Hungari malecontenti in gratiam cum rege redire possent, ita quidem ut etiam caveretur de Protestantium securitate et religionis libertate; unde evenit rerum ejus maxima mutatio et prosperioris hactenus semper successus eversio. Seraskirius enim Bassa accusaverat Tökölium in Porta Otthomannica correspondentiam cum Principibus Christianis exercuisse, unde infortunia omnia in obsidione Viennensi

[1]) Wagner in Hist. Leopold. Lib. VIII pag. 589.

prodente rem Turcarum Tökölio. Magnates quoque quidam Transylvani, quibus Tökölii successus sudes in oculis erat, non intermittebant apud Turcarum Purpuratos eum criminare, ut felicius ejus fortunam eversum irent. Vocatus igitur Varadinum in captivitatemque assertus, causam Adrianopoli dicere jussus, potenter crimina objecta eluit seque eo exculpavit eventu, ut Seraskirius accusator capite minueretur, ipse autem pristinae restitueretur dignitati. At vero facta est ingens rerum mutatio; nam primarii Tökölii Duces actum de eo esse putantes, in iram versi et furorem, maledictis Turcas incessantes, cum Pethnahazio militia claro et magna militiae Tökölianae parte ad Austriacos transierunt. Cassoviam et alias arces Praesidio Tökölii insessas Praefectis militiae Regis Leopoldi submiserunt, armaque in Turcas naturales Christianorum hostes cum ingenti animi affectu converterunt, ita quidem ut dignitati restitutus Tökölius res suas redintegrare potuerit nunquam. [1]) Rex quoquo generalem promulgavit amnestiam, nemini futurum noxae adhaesisse Tökölio ad gratiam Regis ultro redeunti. Praerogativae nobilitares, libertas religionis et omnia quae praetendi possent promissa, anno 1687 etiam Articulis Diaetalibus inserta his verbis:

„Licet quidem in negotio religionis Augustanae et Helveticae Religioni addicti Articulis XXV et XXVI novissimae Diaetae Soproniensis oppositam, iisdem per reclamationem suam abutentes, ipso facto eorundem beneficii participes esse desiissent, propter bonum nihilominus domesticae unionis et pacis, internamque Regni tranquillitatem, cum sua Majestas sacratissima ex gratia et clementia sua praecitatos Articulos adhuc ratos benignissime resolvisset, eosdem status quoque et ordines ad mentem paternae resolutionis (Cleri et aliorum secularium Catholicorum contradictione non obstante) pro renovatis et priori firmitati restitutis censendos, ac si et in quantum hactenus ineffectuati, vel vero per aliquos abusus ab una aut alia parte medio tempore introductos violati fuissent, suae debitae executioni et tempore eorundem conditorum articulorum, vel expost facto occupatorum aut reoccupatorum impendendae restaurationi, ut primum demandandos esse statuerunt" [2]).

§ XVIII. *Oratio S. Szeredahellyi. — Responsum Leopoldi Caes.* — Quid hic cum caeteris profuit articulus? Protestantes cum Articulis, cum Diplomatibus et Regiis promissis, perpetuisque ex oppressione eorum enatis querelis contenti esse debuerunt; Catholici vero Templa, Xenodochia, Parochias, Scholas earumque proventus via facti occuparunt et possederunt. Praedixerat haec Tökölius in literis ad Joannem Georgium Saxoniae Electorem, die XXX Januarii, et aliis

[1]) Wagner in Hist. Leop. Lib. VIII. pag 670—681.
[2]) Articul. XXI anni 1687.

die XXIX Julii anno 1684 datis, quibus refert, se pro Religione Evangelica in meliorem, si Deo visum fuisset, statum collocanda arma pene a puero circumtulisse; anniteretur etiam Elector, ut pax honestis et indubitatis conditionibus illi acquireretur; alias adversarii ut eam pessumdarent omnimode in id intenti.[1]) Anno 1687 occupatum est manu armata Collegium Reformatorum in Sáros Patak simul cum Templo et Parochiis, ministri ejecti, domus ubi conveniebant ad cultum sacrum diruta, et quidem medio Francisco Klobusitzki a Reformatis egresso, et jussu Kölonitsii *).

Quid his proxime elapsis annis Reformati et Augustanae confessioni addicti passi fuerint, variis Memorialibus Leopoldo Imperatori in Diaeta repraesentarunt, et Neo-electo Regi Josepho anno 1688 ob oculos posuerunt pro consolatione humilime supplicantes[2]). Cum Regiae Majestati Leopoldo demissum Status Evangelicus porrigeret Memoriale, Stephanus Szeredahelyi gravissimam hanc ad suam Majestatem recitavit oratiunculam:

Augustissime Imperator Domine, Domine nobis naturaliter clementissime!

Humillima perpetuae fidelitatis subjectione praemissa, felix, diuturnum gloriosissimumque Imperium Majestatis Vestrae sacratissimae, Status Regni Hungariae Evangelici cum profunda sui submissione apprecatur. Et siquidem ex benigna Majestatis Vestrae sacratissimae circa negotium Religionis in ordine videlicet ad Punctum XCIII facta Resolutione, eam fuisse Majestatis Vestrae sacratissimae paternam mentem et intentionem perspeximus, ut nimirum tam nostra quam contra eadem porrecta venerabilis Cleri gravamina cum inclytis statibus et ordinibus, interque eosdem nobiscum etiam fidelibus Majestatis Vestrae sacratissimae intentione paternaque cura, immensas humillime referimus gratias. Verum siquidem eadem venerabilis Cleri gravamina nec in publico, nec ad partem (qua de causa nos latet, nisi forsitan non satis sibi fida fuissent) ad iteratas quoque instantias nostras nobiscum communicata non fuerint. Itaque, Augustissime Caesar, ad eadem pro sui exigentia in omnibus punctis reponere neutiquam potuimus; verumtamen, quae eorundem rationes nobis innotescere potuerunt, ad eadem humilimam nostram Replicam conscripsimus, quibus jam coram sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Persona, haec quoque cum debita submissione superaddimus, quod nimirum quidcunque pro rationibus V. Clerus adferat, illa omnia Sacris Regni diplomatibus cassata, ad quae tamen vel si Scripturarie

---

[1]) Extant literae, inter Literas Procerum Europae Lib. III. pag. 57 et 74.

*) Historia Reformat. pag. 503.

[2]) Extant in Actas Diaetalibus in Append. Hist. Dipl. pag. 225—250.

respondere debeamus, unum Gamalielis exemplum sacris in literis expressum ad omnia illa evertenda sufficeret, qui Judaeis, dum Apostolos extirpare aut etiam morte afficere intenderent, his verbis consuluit: Abstinete manus vestras ab hominibus istis, quoniam si est ex hominibus opus istud, dissolvetur, si a Deo est, non potestis, inquit, dissolvere, et videte ne etiam cum Deo pugnare videamini. Si vero (uti quidam solent) Diplomata sacra nobis, ut praetendunt, Haereticis non esse servanda asserunt, aliud hoc quoque in casu in sacris literis contentum persuadet Gibeonitarum exemplum, qui, quamvis plusquam haeretici, quoniam Gentiles extiterunt, tamen propter foedus cum iisdem initum in eadem terra Canaan, ex qua omnes gentes delere Deus injunxerat, a populo Israelitico conservati sunt.

Nec est, quod adferant, uti quidam nobis objecerunt: vi extorta fuisse Diplomata, cum hoc probari nunquam potest; sed si etiam admitti possit, videmus similem, si non majorem, in praecitato exemplo casum, siquidem Gibeonitae foedus illud maximo astu fraudeque ab Israelitis extorserunt, tamen dum contra idem foedus quadringentis post circiter annis per Saulem Regem fuissent lacessiti, non solum in Persona sua idem Rex propterea iram Divinam, verum post mortem etiam totus populus Israeliticus tempore jam Davidis Regis triennali propterea fame castigatus a Deo extitit, nec secus ira Divina complanari potuit, quam quod, ut sacra innuit historia, septem viri ex stirpe Saulis oriundi iisdem Gibeonitis, in quibus illatam sibi injuriam vindicare possent, a Davide assignati fuissent.

Itaque, Augustissime Imperator, nos contra omnes Venerabilis Cleri rationes nosmet ipsos pientissimo Majestatis Vestrae sacratissimae zelo paternaeque curae submittimus per Jesu Christi vulnera, per salutem animae, et si quid magis est Majestatis Vestrae sacratissimae supplicantes, quatenus nos (hoc laetitiae tempore, quo dulcissimorum suorum haeredum stabile in Regno totaque consequenter Christianitate Caesareum Regiumque solium, imo quoque praesenti pariter aliorum M. V. S. fidelium subditorum communi desiderio, promptitudine et applausu fundatum est) spiritualis nostrae libertatis (quia nihil nobis dulcius est) securitate in futurum etiam destitui non patiatur. Verum in benignissime elargiendi Diplomatis serie specialem illam clausulam, qua tam M. V. S. quam Praedecessores sui gloriosissimi nobis consultum esse voluerunt, dignatique sunt per expressum propter tot millium animarum de sui securitate desperationem inseri, ac moderna etiam gravamina nostra authoritate sua Regia diplomatice complanare cum reali et extensiva ademptorum a nobis restitutione clementissime dignetur.

Quam Majestatis Vestrae sacratissimae gratiam perpetua submissa fidelitatis promptitudine humillime demereri nusquam et nunquam intermissuri sumus.

Respondit Imperator ad hanc Orationem sequentibus verbis:

Fidelium Augustanae et Helveticae confessioni addictorum statuum et ordinum recursum ad me veluti Regem suum factum intelligo; eorundem ita et cleri gravamina eo quidem fine ad universos status et ordines direxeram, ut ibidem de iis juxta publicae quietis exigentiam consuleretur; dum tamen communicata non esse intelligam, praesens scriptum diligenter ruminabo, considerabo et perlegam, et quod ad communem justitiam, publicam tranquillitatem meumque servitium, commodum et consentaneum fore videbitur, resolvam; iisdem de reliquo, uti et vobis omni Caesarea Regiaque Gratia propensus manebo[1]).

§ XIX. Promissa Regia ut effectu carerent efficiebat Leopoldus Kolonitsius, qui orphanorum Francisci Rákotzi tutor effectus, omnes omnino Reformatos seculares aeque ac Ecclesiasticos e Dominio Rakotziano abactos voluit. Literas Vicario suo scripserat in haec verba: Et cum Haeretici in multis excedant abusibus, conclusum est, quod Domini terrestres illos ejicere possint. Volo omnes exulare et ex his bonis ejectos, qui si nolint, inveniam aliud medium illos expellendi. Cumque animadvertisset Dominia illa ex Haereticis (illius opinione) fere constare, vereturque ne ingens exoriretur tumultus, mitigata priori sententia restrinxit ad solos Ecclesiarum ministros mense Augusto anni 1689 in hunc tenorem: Quoad Praedicantes jam semel declaravi mentem meam, si non credunt verbis, experientur verbera, adhuc semel monitos volo de abitu[2]). Abegit Ministros ubicunque ad manus eos habere potuerit. Arma feliciori in Hungaria circumlata progressu Imperatoris eaque occasione abutebantur plurimi e clero, qui affectibus in transversum agebantur, convertebantque in oppressionem Protestantium. Civitates Montanae, liberae Regiaeque, praeprimis oppressionem sensere Ecclesiarum Scholarumque ministris privatae. Franciscus Otrokotsius ad Angliae Regem Wilhelmum tertium in Persona Ecclesiae Hungaricae ita refert: „Quoties victoria insigni contra Turcas potiuntur, tantum abest ut ejus emissarii de pace nostra cogitent, quin potius Christianorum victoria ad affligendos Evangelicos ac religionem magis ac magis turbandam abutuntur. Ille facit per suos arte consueta, ut in contributione illa miserabili et inermes incolas jamjam consumente mei subtilius investigentur, et exquisitius prae aliis mortificentur, si intole-

[1]) Vide in Actis Comitiorum an. 1688 pag. 237

[2]) Histor. Reform. pag. 505.

bilem impositionem non illico pro voto quorundam officialium praestare possint. Testatur hoc et in caelum clamat Deumque ad vindictam sollicitat horrenda illa Tortura, quam in civitate quadam inter pure Hungaricas amplissima ac integre Reformata ob idque adversariis Jerusalem Calvinistica dicta, anno 1686 magnus quidam ac notissimus officialis cum suis exercuit, de qua miseri cives prae metu adversariorum sub severa inhibitione convenerunt inter se, ne quispiam illorum inauditam illam torturam divulgaret ac pro merito rei enarraret" [1]). Civitas sine dubio est Debrecinum, magnus officialis Antonius Karaffa, qui ingens nomini suo odium laniena Eperjesiensi et exactione Debrecinensi conflaverat; ut non sine execratione inter plorantium puerorum terriculamenta Karaffa nominaretur [2]). Eperjesini, Barthphae, Cassoviae et multis in aliis civitatibus non solum Templa, Scholae Parochiaeve cum proventibus sunt occupatae, sed etiam plurimi e primariis civibus perduellionis accusati sententiam mortis audire coacti sunt: indignationem eo facto Karaffa Regis subire visus, qui nec severitatis modum nec indulgentiae temperamentum adjicere sciverit [3]).

§ XX. Exhausti facultatibus, privati ministris Ecclesiae et undiquaque pressi Protestantes recursum habuerunt per Ablegatos suos ad Regem; variisque Memorialibus opem Regiam sollicitabant et opportunam querelarum medicinam ex Aula anxie quaerebant. Sex menses ultra triennium integrum apud Aulam commorantes, Resolutionem ad Puncta in Memorialibus expressa obtinere non potuerunt: tandem cancellaria consultum duxit illos in perpetuum amandare et ulteriorem recursum ad Aulam praescindere, sequenti Resolutione die 2 Aprilis an. 1691 publicata:

> Resolutio sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis, Domini, Domini clementissimi Augustanae et Helveticae Confessioni addictis, in Hungaria degentibus, data die 2 Aprilis, anno 1691.

Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Domini, Domini nostri clementissimi nomine, Augustanae et Helveticae Confessionis ad Augustissimam Aulam cum gravaminibus pro eorundem complanatione Ablegatis Plenipotentiariis et Agentibus hisce significandum. Alte memoratam suam Majestatem sacratissimam gravamina Haereditarii sui Regni Hungariae, Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum fidelium subditorum suorum, circa turbationes aliasque molestias, ipsis in Religionis exercitio contra Articulorum Diaetalium tum Soproniensium de anno Domini 1681,

---

[1]) In Dedicatione ad Angliae Regem Tubae Quintae edit Amstel. an. 1690.
[2]) Wagner, Historia Leopoldi M. Lib. X pag. 3 Tom. II.
[3]) Wagner ll. cc. Caroli Memorabilia Tom. II. pag. 435.

tum Posoniensium de anno 1687 crebrius instanterque delatas, prouti alia etiam, quae ad religionem spectare videbantur, Puncta eorumque circumstantias, rite matureque pensitasse, considerasse ac benigne ita resolvisse, nimirum: siquidem universi praefatae Augustanae et Helveticae confessioni addicti querulantes, praecitatis Articulis inhaerentes, eorundem effectuationem una cum Catholicis, Articulari commissione mediante, genuino praetactorum articulorum sensu, fiendam adursissent: ejusmodi autem commissio actu etiam jamjam peracta esset, eidemque praesertim in Cisdanubianis ac Transdanubianis etiam partibus, districtibus, utraque pars acquievisset, nihilominus aliqua contra sensum ipsorum Articulorum per dictos Commissarios facta, aliqua non effectuata, alia denique expost per abusum quorumvis ab utraque parte propria authoritate introducta fuisse exponeretur. Ideo de praesenti etiam eadem sua Caesarea ac Regia Majestas eorundem articulorum benigna reflexione habita, propter bonum pacis internamque Regni tranquillitatem, in eo, ubi publico exercitio se prorsus destitutos eidem querulantes lamentarentur, ibi sua sacratissima Majestas ulterius Articulari determinationi ita standum esse censuit, ut videlicet in locis articulariter pro libero publico exercitio expresse denominatis liberum ejusmodi publicum exercitium iisdem querulantibus admittatur, ita tamen ne debitos limites excedere et ad loca articulariter omissa excurrere praesumant, secure tamen Plebs talium locorum templa in ejusmodi articularibus locis assignata frequentare, ministros suos accedere, publiceque exercitio suo ibidem uti possit ac valeat.

In quibus locis veluti articulariter pro exercitio eorundem expressis Parochi Catholicorum, ex aerario communi, ad quod ipsi querulantes contribuunt, non interteneantur. Imo ibidem xenodochiis, sepulturis, campanis pro communi usu destinatis cum praescitu Parochi et aeditui uti fruique permittantur, neque ad amplectendam fidem Catholicam ubicunque per totum Regnum cogantur; attamen ferias et festivitates Catholicorum, quoad publicum et forum externum, observare teneantur, et id tanto magis opifices seu mechanici, in quorum Privilegiis id ipsum per expressum inseri assolet; ideoque si placet in reliquo gaudere ejusmodi Privilegiis, praescriptae quoque conditionis onus subire tanto minus displicere debet.

De reliquo ministri Augustanae et Helveticae confessioni addicti ab omnibus actibus Parochialibus, uti est, baptizare, copulare, sepelire et similibus tanquam ad exercitium publicum spectantibus, in locis ubi articulariter iisdem concessum non est, omnino supersedeant, neque eo excurrant, siquidem Plebi in ejusmodi locis degenti liberum esset eosdem ministros et templa in locis articularibus habita accedere, seseque ibidem baptizari, copulari, sepeliri curare et alias devotiones facere, proventibus

tamen stolaribus Parocho loci catholico praevie depositis. Quibus decimas etiam in toto Regno Hungariae a sanctissimis Regibus Deo et Ecclesiae catholicae Ministris duntaxat ordinatas praestare sunt obligati, praeter decimas, si quas forsitan ipsi aut suae Religionis praedecessores a terris et vineis suis propriis nobilitaribus et decimis Regalibus, minus antea subjectis, sponte et libera voluntate pro intertentione suorum olim ministrorum deputassent.

Quod vero ad generalia Puncta, quae universi Augustanae et Helveticae confessionis sequaces diversimode interpretari videntur, et cum facultate in arcibus, castellis, curiisque nobilitaribus, capellas et oratoria erigendi, in quovis tali loco Praedicantes intertenendi authoritatem se habere. Praeterea vigore articularis clausulae (salvo jure Dominorum terrestrium) de subjectione solummodo Jobbagyionali jureque servitutis corporalis intelligi, non vero ad conscientias trahi debere putarent.

Ea taliter intelligenda esse, alte fata sua Majestas sacratissima declaravit, et quidem quoad primum: Facultatem erigendi capellas et oratoria pro privatis duntaxat inibi habendis precibus et sepulturis concessam, et in illis cum familia sua, prout et in locis articulariter omissis, cuivis in domo sua orare, postillas legere, nullatenus tamen alios vicinos vel proprios subditos, tanto minus Praedicantes eo tanquam ad privatum duntaxat suae Domus aut Residentiae orationis locum, admittere integrum esse aut licere.

Non secus quoad secundum et quidem praedictae clausulae (salvo jure Dominorum terrestrium) non obstante praemissa ipsorum querulantium ratione, veluti in Articulis expressae, omnino standum esse, et consequenter ipsos querulantes eidem se submittere debere. Si quidem omnis clausula Regalis in eo sumenda censeretur sensu, quo debitum suum sortiri quiret effectum, in sensu autem eorundem Querulantium effectu prorsus destitueretur. Nam jus Dominii terrestris in subditos quoad servitutem corporalem aliaque quaecunque temporanea, qualitercunque mutato Religionis statu, absque hoc salvum et immutabile semper manet, praesertim cum hoc ipso Clausulae ipsius sensu ipsi quoque Augustanae et Helveticae confessionis sequaces, olim pluralitate et potentia Dominorum terrestrium praepollentes, in ejusmodi effectum antea usi fuissent, adeoque quod semel iisdem placuit ac pro justo et aequo positiva lege agnitum recognitumque fuisset, id modo displicere aut Catholicis iniquum reputari minime possit.

Ad quorum nimirum debito modo fiendam executionem, rectificationem et accomodationem, quamprimum certos deputandos fore commissarios, coram quibus particularia quaecunque alia gravamina iidem querulantes in facie loci et Parte altera praesente producere poterunt. Juxta rei aequitatem resolutionemque hanc ipsis intimatam postulatorum

suorum effectum praestolaturi, quibus de caetero Eadem sacratissima Majestas Caesarea et Regia Gratia sua propensa semper permanet.

Per sacratissimam Caesaream et Regiam Majestatem Viennae die 2 Mensis Aprilis Anno 1691 [1]).

§ XXI. Hac Resolutione gravamina Evangelicorum non tollebantur, sed Diplomata et Articuli de libertate religionis evertebantur, Ministri Reformatae et Augustanae Religioni addicti ab actibus ministerialibus nisi in locis articularibus arcebantur, copulare, baptizare, sacram synaxin administrare, sepelire prohibebantur. Dominis terrestribus lata aperiebatur porta jus servitutis extendendi etiam ad conscientias suorum colonorum: de templis Evangelicorum per Catholicos ademptis altum hic silentium; verbo, nulla morbis Evangelicorum adhibita medicina. Imo vero latus est apertus in Protestantes saeviendi campus illis, qui transverso in istos erant animo, et certe nihil intermissum est, quo illis aegre facerent. Exempla videri possunt in Historia Diplomatica. Publicata est ex Aulica cancellaria multo quam antea severior Resolutio anno 1701 sequentis tenoris:

1. Exercitium Augustanae et Helveticae confessionis supradicta ratione concessum est, tantum in iis partibus Hungariae, quae in anno 1681 in actuali suae Majestatis sacratissimae potestate erant; unde in partibus in hoc bello recuperatis nullum jus est alterius a Romano Catholica fide exercitii. Ideo sua Majestas Jus Patronatus omnium Ecclesiarum in neo-acquisitis sibi reservavit in eo casu, quo illud ad Catholicos devolvi deberet.

2. Cum exercitium Augustanae et Helveticae Confessionis compluribus in locis articulariter nominatis concessum est solum ob eam causam, quod confinia fuerint, clarum proinde est, ibi publicum Acatholicum exercitium tolerari non debere, ubi confinia esse desierunt.

3. Quando in quibusdam locis, articulariter nominatis, concessum est exercitium Augustanae et Helveticae Confessionis, non ideo censeri debet esse concessum, ut ullus a Catholicis Apostatam agat et ad Acatholicorum confessionem transeat, maxime talis qui ab Augustana vel Helvetica confessione per fidei Catholicae professionem aliquando recesserat. Contra tales enim qui a fide Catholica deficerent, tanquam contra jurisjurandi violati reos, jure in Patriae legibus praescripto, procedi poterit.[2])

§ XXII. *Literae Radonai.* — Alia, quae hic pleno convehi possent plaustro praetergressus, quasdam epistolas Episcopi Quinqueecclesiensis, zeli, doctrinae et moderationis ejus erga proximos testes daturus. Ita ergo ille ad Reformatos in Districtu Siklosiensi existentes scripserat.

Deus benedicat et convertat vos omnes Calvinistas in Districtu Siklos. degentes!

---

[1]) Historia Diplomat. pag 135.

[2]) Idem pag. 138.

Ut jam antea crebro vos verbis et literis admonui: neminem haereticum, praedonem, Judaeum, Calvinistam, Tracem schismaticum, scortum et scortatorem, aut sceleratum ullum, et in Deum calumniantem in Episcopatu servaturum et perpessurum, eo magis si quem invenero Praedicantem, profecto docebo et interrogabo, ex cujus nutu et voluntate in Episcopatum meum venerit animas ad tartara dejicere, filii Dei sanguine pretioso redemptas; idcirco scribo de novo et demando, qui velit manere sub Episcopatu meo fidem Romano Catholicam (sine qua impossibile salvari) amplectatur, et de omnibus suis peccatis poeniteat; omnes unanimi voce Deum laudaturi et adoraturi; qui autem ad haec animam non induxerit, eo ubi haeresis tolerabitur, abscedat, reperiam ad parata obedientes, Deum timentes et verae fidei homines, quos subsidere faciam in locum ipsorum, qui in vera fide nolunt Deo servire, Praedicantes autem resipiscere nolentes Episcopatu meo eo facto excedant, si velint, ne cum ipsis more Praedicantis Nadasdiensis et Mohatsiensis agatur.

Actum Otsard die 2 Martii Anno 1692.

Vestrae conversionis cupidus

Matthias Radonai Episcopus Quinqueecclesiensis et supremus Comes.

Alia.

Deus benedicat nobis omnibus!

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Accidit Veres-Martiensibus et aliis cis Dravam haereticis Calvinistis, propter tumultum et seditionem nuper excitatam; modo instruunt ipsos Szigetvarini, quomodo debeant exsurgere in Episcopatum et Emissarios Caesaris. Certe et ego docebo ipsos, qui mihi obtemperare noluerint et qui in me tumultum excitaverunt. Persuadete vobismet ipsis, si quotidie viginti quinque cubulorum auri mihi effunderetis, non tamen vos sub Episcopatu meo tolerarem. Nam dico bovem, asinum et omnia reptilia et aquatilia animalia, etiam Diabolum infernalem humiliatum, citius salutem aeternam adepturum, quam unum Calvinistam, qui novit quam periculosa sit calvinistica Haeresis. Eum autem, qui verus Romano christianus nolit fieri, Episcopatu meo demando emigraturum, nullumque aut praedonem aut Calvinistam aut Schismaticum Thracem perpessurus sum. Datum Quinqueecclesiis die XVII Martii Anno 1690.

Bonus Dominus Vester terrestris

Matthias Radonai Episcopus Quinqueecclesiensis et supremus Comes.

Bovem asinumque oportet esse talem Episcopum, qui animam

christianam pretioso Christi sanguine redemptam bubus, asinis et infernali Diabolo aequiparat. Quale carmen, talis poeta.

Alia.

Deus vos convertat ad veram Romanam fidem, Veresmartiensis, Darociensis et alii circumcirca Praedicatores Calviniani!

Statim ablegate fideles vobis homines, Vespreminum, Papam, Jaurinum, Comarinum, et si placeat ad superiorem partem Cassoviam versus, videbitis aut poteritis audire et scire, ut adultus senior vester Losontzi cum multis Praedicantibus et Auditoribus veram Romanam fidem amplexus est, et quicunque sive Praedicans seu alius homo Calvinianus in tota Hungaria verus Christianus non erit, omnia ab ipso accipientur et uno baculo emittetur ex Hungaria, quoniam vicissim ad Turcas confugistis, una cum multis auditoribus. Ego jam tertia vice scribo et appello vos Quinqueeclesias in conspectum meum, si voce pulcra non venietis, certe ligatos vos adducam aut adduci curabo, si vero Germani iverint pro vobis auditoribus damna efficient, ego statim bonos sacerdotes illuc mittam. Ego in propria persona fui apud Praedicantem Harsányiensem, Totsfalvensis locutus est mecum, si pulchra voce estis venturi ad me, qui in Episcopatu meo estis, non sum vos impediturus, imo qui ad veram fidem conversus fuerit, ad mortem usque habebit provisionem vel talem conditionem, ut pulchre se una cum uxore et pueris sustentare possit, qui vero converti non vult est via sursum et deorsum, poterit ire quo voluerit, verum in Hungaria non habebit mansionem, neque Turca patietur, nam qui in uno Regno falsam habet religionem, falsam etiam habet in altero. Resolutionem exspecto a vobis citissime. Datum Quinqueecclesiis die VI May anno 1700.

Bonus Vester Dominus

Matthias Radonai Episcopus Quinqueecclesiarum.

§ XXIII. Ex ungue leonem, ex istis epistolis Episcopum Quinqueecclesiensem quis qualisve fuerit cognosce. Non est cur similibus ejus literis chartas compleamus, circulares solummodo adhuc conspectui offerendae ad Plebanos Catholicos tenoris sequentis:

Admodum Reverendi in Christo Patres P. et Fratres F. Nobis addictissimi!

Salutem plurimam et fraternam servitiorum meorum commendationem. Peramanter rogamus praetitulatos Dominos Fratres, indefesse discreto zelo laborare non intermittant, ut Deo, Caesari, sacrae Romanae catholicae Ecclesiae, dulci Patriae et saluti animarum, Rebelles, Calvinistae, Pseudo-Praedicantes ex Simontornya, caeteris vicinisque locis immediate extirpentur, etsi quispiam officialium Romano Catholicorum hoc in passu paternitates vestras praepediverit et rebelles Praedicantes protexerit,

immediate excommunicent et nullo modo ad Templum catholicorum neque ad sacramenta percipienda ingredi permittant. Pseudocalvinisticus Episcopus Veszprimiensis per celsissimum Principem, Archiepiscopum Colocensem, captus est et incarceratus, capientur et reliqui per universam dioecesin et immediate Paternitates Vestrae inhibeant, ne calvinista Praedicans Simontornyensis in futurum ullo modo suos haereticos auditores audeat copulare, baptizare, sepelire, neque perfida sua doctrina ad aeternam damnationem praecipitare. Sed si converti noluerit, abeat quo placeat, et si non abiverit, ferro cingetur et in captivitatem ducetur. Sacri Romani Imperii Princeps Palatinus absolute nullum haereticum nec schismaticum in bonis suis Pintzhellyensibus, Ozora, Tamasi, Dombovaniensibus et reliquis permissurus est habitare vel incolam agere. Sed qui bono modo non fuerint conversi, bona eorum omnia mobilia et immobilia officiales Palatinatus sunt confiscaturi, et similes refractarios, rebelles haereticos et Schismaticos ex bonis serenissimi Domini Principis Palatini extirpaturi. Idem etiam facturus est Dominus Magnificus Baro Adamus Vitzai, et reliqui boni catholici Domini terrestres, et qui non fecerit, ipso facto excommunicabitur et tanquam Protector Haereticorum Rebellium et Schismaticorum bonis suis privabitur. Viennae die VIII Julii Anno 1702.

Servus addictissimus et in Christo Frater

Matthias Radonai.

Via haereticos convertendi compendiaria et expeditissima, ignorata Apostolis Christi et doctissimis primitivae Ecclesiae Patribus, tribus articulis totum complectens negotium. Primo enim jubendi simpliciter sunt, qui catholici non sunt, ut accedant ad Ecclesiam Romano-Catholicam, addita promissione proselytos obtenturos esse pensiones annuas pro se, uxoribus et liberis suis largissimas, quoad vixerint. Secundo: si Praedicantes et ipsorum auditores catholicam Religionem amplexi non fuerint, protinus utrisque exilium indicendum est. Tertio: si non obtemperaverint, capiendi et bonis omnibus privati extra Regni Hungariae limites ejiciendi sunt. Quae methodus convertendi Haereticos sequenda si sit, milites ferociores, lictores et tortores aptius eam promovebunt, quam mitissimi ingenii Theologi, nec e re videbitur, ut clerus tanto numero lautis istis beneficiis interteneatur cataphractis adversus Haereticos rem peragentibus?

§ XXIV. Hac via Palatinus Paulus Eszterhazius plurimas evastavit Ecclesias; qui etsi primum manus abstineret a Protestantibus, inductus tandem tamen est ad eos affligendos. Ea enim conditione dispensationem

a summo obtinuerat Pontifice in ducenda Fratris sui consanguinei filia, ut haereticos (quos vocant) e Regno Apostolico eliminaret. Qui quod promisit praestitit, nam in terris suis praetenso jure Dominalis terrestris Protestantibus Templa eripit, Ministros fugat, incolas integrorum pagorum ad suam religionem cogit, qui religionem ejurare nollent, retentis ipsorum domibus et facultatibus in exilium abigit, alios in carceres conjicit et variis tormentis excruciat, extra Dominia quoque sua autoritate Palatinali idem tentat, subofficialibus persecutionem eorum injungendo [1]).

Ad Vicecomitem Veszpremiensem sequentes exaravit literas:

Generose Domine et Nobis observande!

Salutem et nostram benevolentiam.

Cum per suam Majestatem Dominum, Dominum nostrum clementissimum, Praesidia jam sublata sint, consequenter etiam Papense Praesidium sublatum est. In hoc autem Praesidio tantisper concessit sua Majestas exercitium Religionis Haereticorum, donec Praesidium staret: hoc autem jam sublato, exercitium quoque eorum tolli debeat. Quam ob rem voluimus Dominationi Vestrae Authoritate nostra Palatinali serio mandare, quatenus correspondendo cum Domino Archiepiscopo Uralockensi, virtute praescriptae rationis, Calvinistas Praedicantes amoveat, ita quidem ut nulla eorum permansio et exercitium Papae amplius fieri possit. Scripsimus hoc in passu Domino Antonio Eszterházi fratrueli nostro, ut mandet suis officialibus, quatenus hanc nostram intentionem secundent. Ipsi autem Radonai noluimus scribere, quia et ipse (dignus pro tanto zelo eo titulo) haereticus est. Interim tamen Dominatio Vestra has nostras literas Dominationi suae poterit ostendere, quod secundum hoc debet fieri. Sua Dominatio quoque his se accomodare non intermittat, in hoc autem Vestra Dominatio secus non faciat, dantes eatenus Dominationi Vestrae quasi Vicecomiti plenariam potentiam. Desiderantes in reliquo, Deus conservet Dominationem Vestram in bona salute. Datum Kis- Martonii die XVI Junii Anno 1702 [2]).

Generosae Dominationis Vestrae

Benevolus

Paulus Eszterhási Palatinus

Dedit quoque eodem anno literas Patentes Andreae Matusok Episcopo Scopiensi, quibus ipsi plenam contulit authoritatem, qua cogere posset quosvis Lutheranos et Reformatos ad amplectendam fidem Romano Catholicam in inferiori Hungaria. Non erat melior sors Ecclesiarum in superiori Hungaria; in Liberis enim et Regiis Civitatibus ac Montanis Templa ubique adempta, Ministri Ecclesiarum et Scholarum varie excruciati et abacti.

[1]) Historia Diplom. pag. 147. Historia Reform. 748.

[2]) Vide has Literas in Literis Procerum Europae Lib. III. pag. 802.

§ XXV. Coacti Protestantes rursum ad Aulam refugere anno 1701, pro quibus tunc intercedebant etiam per suos Ablegatos Wilhelmus Tertius Angliae Rex, Generales Belgii ordines et alii Principes Protestantes, Resolutionem benignam acceperunt istam: Non vult sua Majestas ut quicquam fiat adversus Regni leges et Articulos in Diaetis confirmatos, imo indigne fert, si Evangelici cogantur ad ea, quae contrarientur juramento Regis praestito regnicolis. At istas Resolutiones parvi pendebat Kolonitsius iisque subinde contrarias evulgabat eodem anno, v. g.: Ut canonici visitent Ecclesias Evangelicorum, quibus de omnibus Ecclesiae proventibus et etiam actibus Ministerialibus rationem reddere teneantur. In civitatibus camerae subjectis si quis Minister per mortem decedat, alium absque nutu camerae surrogare licitum non sit &c. Kolonitsius factus Archiepiscopus Strigoniensis ad Praelatos Hungariae dedit circulares typis exscriptos, ubi inter alia legebantur: Pro cura, quam in Ecclesia Dei per Hungariam emolumenta spiritualia aeque ac temporalia, ex Legationis Natae Primatialis et respective Metropolitani muneris obligatione, dies noctesque impendere non cesso, tria nunc potissimum occurrunt, quae Dominationis vestrae zelo et industriae, quanto celerius fieri poterit, in opus deducenda commendare debui.

Primum quidem est, ut cum pace jam firmata, rei pariter Catholicae in Regno hoc Apostolico promovendae, facilior se offerat occasio, Dominatio Vestra inito cum viris probis gravibusque consilio ea mihi suggerat, per quae (salvis tamen adhuc hac vice Regni Articulis) Haeresis per Hungariam et in specie per Jurisdictionem aut Dominium Dominationis Vestrae curae commissum imminui possit, uti et media opportuna quomodo Catholia fides promoveri ac in pristinum florem sensim revocari possit &c.[1]) Ecce quantam sibi in Regni leges attribuit potestatem; qua tollere vel loco suo relinquere possit. Circularibus istis classicum cecinit et in Protestantes armavit sibi subjectos, qui in eos saevire non intermittebant.

§ XXVI. *Memoriale Ablegatorum Regum et Princip. Protestantium. — Instrumentum Pacis Westf. pertinet etiam ad Hungaros.* — Commoti Reformati Potentatores miserabili Hungarorum Protestantium oppressione, sequenti statum causamque eorum repraesentarunt Memoriali Imperatori:

---

[1]) Histor. Dipl. pag. 139.

Serenissime, Potentissime, atque Invictissime Caesar, Imperator semper Auguste!

Quantopere depressus ille afflictissimusque rerum status, in quo tum in Imperio Romano Germanico tum in haereditariis sacrae caesareae Majestatis Vestrae terris constituti deprehenduntur, qui Evangelicae sese confessioni addictos profitentur, jam etiam pridem sensus ipsos animosque Potentissimorum Europae Regum nec non foederati Belgii ordinum, qui eadem sacra sequuntur, perstrinxerit; pariter atque tot certissimorum casuum eventu contristavit; vel inde manifestum est, quod iidem pietate et miseratione ducti a longo jam tempore, mitiora quaeque consilia sollicite circumspexerint, quibus et radix tam male serpentis mali, quod hinc nasciturum videbatur, tolli, et infaustae offensionis lapis, ad quem mutua illa prorsusque necessaria voluntatum et studiorum consensio toties ab utrisque Religionis partibus allisa est, eo se moveri denique posset, quominus desint aeterni Imperii et Archiducalis Domus Austriae hostes; ex tricis illis dissidiisque, quae istinc progenerata subinde fuerant, asperrimis perpetuisque sua sibi commoda ulterius comparare, nondum id consequi valerent, ut quod unice dederunt hactenus operam, postremo non iis duntaxat, qui maxime fuere afflicti quam et caeteris, qui afflixere, jam suis, quod dicitur, jumentis perniciem adducerent certissimumque exitium determinarent.

Equidem consultum hucusque visum haud fuit Caesaream Majestatem Vestram uno velut Regum communique Dominorum Statuum, quos cum submissa honoris praefatione nominavimus, nostrorum ore animoque ea de causa compellare, dum spe subinde ampliore subnixi nullatenus utique dubitaverimus, quin Caesarea Majestas Vestra pro Divina, qua inter mortales excellit clementia, propitias tandem aures praebitura sit tot votis atque desideriis, precibus ac obtestationibus flagrantissimis, consociatis intercessionum studiis, nec minori juxta pietate et reverentia, quibus convenit, factis, expositio * crebroque repetitis, atque ideo magis quoque futurum existimavimus, quo luculentius deinceps, non tantum universo humano generi, sed imprimis compendio orbis, Imperio Romano Germanico haereditariisque Caesareae Majestatis Vestrae Regnis et Provinciis, hoc etiam tam illustri experimento planum fieret atque testatum, nullum unquam Principem excelso Imperio praeditum extitisse, qui vel majori ad justitiam et clementiam amore vel aliis quibuscunque virtutibus summis et maximis, quales a supremo harum conditore in Rectores terrarum conferri solent, exsplenduisse, parique cultu et gratia easdem exercuisse visus sit, atque consignatae hae in animis hominum notiones, ejus etiam fiduciae fructum, quam nemo non spe votoque praeceperat,

* expositis (ed.)

pleno sine dubio iis quorum intererat usu indulsissent: nisi sinistriore tunc facto et eorum numero, qui alioquin Principum aures oculique et oracula dici consueverunt, et cum quorum ministerio, ubique locorum praesente, illi etiam summi et omnia gubernantis Numinis immensitatem et omnipraesentiam in terris referre creduntur, aliunde intervenissent, ac caeco quodam impetu zelove abrepti, luci veritatis fulgentissimae velum tenebrosum obduxissent, eoque obfuscare eandem deteriorem in modum sategissent.

Quapropter, Augustissime Caesar ac Domine, nobis omnibus et singulis, qui Regum Europae Evangelicam religionem profitentium et Foederati Belgii Ablegati hic sumus, eo munere fungimur, id negotii datum, gravissimis verbis injunctum est, ut excelso Throno caesareae Majestatis vestrae obtutu venerabundo admoti, ea qua par est subjectione devotissima, eorum nomine exponeremus, quod, quemadmodum commemoratae suae Majestates Regiae partim vades et compaciscentes Pacis fuerint Vestphalicae, ita easdem pariter ac Praepotentes Belgii status Generales firmissima spe et fiducia teneri, fore ut omnino caesarea Vestra Majestas laudatum illud Instrumentum Pacis, velut palladium quoddam, quo convulso simul Patriae salus convellatur, necesse est respiciat, nec ullo istud modo actuumque contravenientium injuria lacessi multoque minus infringi vel labefactari sinat.

Quin potius apparet juxta praesumptam hanc ipsam de caesarea Majestate Vestra aequissimae mentis optimam voluntatem, quam Deus velit esse perpetuam, validissimum videri fundamentum, cui sincera illa et integerrima fide culta amicitia foederaque bono publico promovendo, cum ipsa subinde inita sint, undiquaque superstructa. Quid? quod et clementissimi Reges et Domini nostri se plane habeant persuasos, id convenire inter caesaream Majestatem Vestram et ipsos, conspirantibus pridem sententiis, solam nimirum illam Pacis pactionem Westphalicam esse, quae pro basi caeterarum Pacificationum subsecutarum omnium haberi retinerique debeat, atque sic digne et ex merito suo aestimari sane in Neomagensi pro tali, et quod magis pro Regula ipsa cujuscunque pacificationis et stabilimenti tranquilitatis publicae clarissimis agnoscitur verbis.

Quare dolendum vehementer est, tantam ab ea discessionem per infestam clausulam, quae Articulo quarto Pacis Risvicensis subnexa est et de religionis negotio agit,factam esse, ut, quemadmodum ista tunc caesareae Majestatis Vestrae, inauspicata et inopportuna novitate sua faecunda litium materia visa, et cujus intuitu tot bona alia deformata aliquando apparitura sint, sic iidem defugere ejusdem authoritatem, ac contractae inde culpae invidiaeque dedecus a se amoliri atque declinare maluerint, quam quod ex consensu ominabantur eventurum, hujus praesentis ac

futurae aetatis opprobriis sese onerare. Etenim neque Galli eam, quod nemo non novit, alio fine condiderunt, atque velut quoddam Eridos pomum in medium projecerunt, nisi ut hoc pacto prorsus subdolo, discordi cum membris capite colliso, compages utrinque soluta pessumiret et post multa denique ingruentia rerum discrimina penitus subversa concideret. Sicut autem facilius est apta dissolvere, quam dissipata connectere, ita ex plurimorum voto deliberatum ab eo tempore jam fuit, quo potissimum modo imminenti huic periculo, a dissonis sermone et corde gentibus oblato excitatoque et ex quo velut a radice sua infinita pululatura mala forent, mature posset occurri resistique.

Sed in ipso multiplicis consultationis aestu praevaluit ultima ratio servandae clausulae, eo obtento argumento, futurum alias esse ut sicuti etiam vel maxime ista (considerata nempe morali sui impossibilitate, ne dicamus turpitudine, qua inquinata est) expugnatur Gallus, qui praetextum subinde fingendorum ac inveniendorum mirus ac famosissimus architectus sit, arrepta inde occasione nova, Imperio negotia luculentius facessere et publicam turbare rem pergat.

Enimvero postquam belli flamma undique jam succensa exarsit, metus utique ille evanescit, et Gallia, quae praecipua ejus causa extitit, jure, quod Pace Risvicensi acquisitum deputat, excidit simulque eobse frustrata ipsa est. Ut teneamus novissimam Pacis pactionem, nequaquam Monasteriensi, et quo illa a semiseculo inde pro lege Imperii fundamentali, quam appellant, habita est, derogare posse aut praejudicare. Constat praeterea et undiquaque in recenti hominum memoria omnium versatur, quotquot civilium notitia actorum sunt imbuti, quo violento impulsu et suasionum studio illa saepius dicta clausula, quasi quaedam Herculi clava sit, extorta sit, et tametsi jure Gentium orto in Pactis publicis metu consensum non semper excludat, quia nunquam Pax aliqua censetur facta, in qua non vel ex una vel ex altera parte belligerantium vel ex utraque etiam simul metus adfuerit, urseritque, tamen illum non de metu injusto, qui consensum promisso dedit et quem Jus Gentium improbat, intelligi debet, qualis est, qui turpitudinem involvit et pactum honestati haud consentaneum producit. Atqui vero nihil minus licitum fasque est, quam spondere ac conventione certa eaque turpi addicere illud, quod sacrosancta et in se prorsus indissolubilia vincula, quibuscum et Patriae communis et capitis ejus atque membrorum structura in universum pulcherrime in invicem colligata cernitur, dissecare et perrumpere potis sit. Jus Gentium ad talem metum suam vim non porrigit, sed verius rem constitutam intra jus naturale continet.

Quod si ergo Galliae Rex funesta illa clausula jus nullum capere quaesitum potest, id minus certe Status Imperii poterunt Catholici, quorum tantum interest quantum Evangelicorum, ut Pax Monasteriensis,

qua utrique religioni de sua cavetur securitate liberoque exercitii usu, eousque integra conservetur et illibata, quousque Imperium Romano Germanicum, ex decreto Dei, hactenus abscondito nec sensibus obvio, duraturum in orbe est.

Quapropter, quod submississima et devotissimi cultus veneratione facere par est, uno jam animo (posteaquam singulatim id efficere nobis non licuit) ac eodem concordique verborum tenore, majorem in modum a caesarea Majestate vestra petimus, rogamus ac contendimus, dignetur denique ipsa apud Status Catholicos Augustam suam interponere auctoritatem atque efficacissimo identidem studio pertendere, ut praedicti Status rem tanti momenti imisque repositum sensibus, pari i. e. severa aestimatione expendant, sicque eadem ratione operave vaferrimae illae artes, quibus tot simultatum ac diffidentiae semina hinc inde sint inspersa, ornatu suo adscitio nudatae prostituantur detestabilique odio exterminentur. Quod si vero praeter spem ac expectationem omnem impetrari nequeat, ut Status Catholici et Evangelicii tali animorum consensione et voluntatum conspiratione coalescant, qua nempe et communibus consiliis et unitis virium facultatibus nixi suffultique impendentibus nunc ac minitantibus periculis sufficere, iisque singulis laetabundo ac forti spiritu obviam ire possint. Reliquum est idque necessarium quoque, ut Caesarea Majestas Vestra ad tranquillandos Evangelicorum animos motusque et sententiis clementissimis quantocyus declaret, neque se posthac unquam, neque posteros etiam suos in Imperio successores, vel in aeternum promissuros esse, ut in ejusmodi tractatibus Pacis, qui futuri sunt deinceps aut sequuntur, quicquam inseratur addaturve, quod cum Monasteriensibus pugnaturum aut contrariam in partem constitutum videatur; neque adeo Caesaream Majestatem Vestram vel interim vel deinde comprobaturam aut admissuram, quodcunque quod iis sit adversum, actum et transactum vel stipulatum et contractum quocunque modo visum aut dictumque fuerit, aut videri etiamnum dicique possit debeatque, atque ideo Eandem eodem nomine ac titulo pro nullo nihiloque omnia illa declarare ac pronunciare, quaecunque hujus generis sint ac ejusdem vel naturae vel qualitatis censeantur et tam constanti quidem id ac tenaci proposito, ut quae Pace Vestphalica conclusa et statui anni 1624 conformia sunt, Caesarea Majestas Vestra incorrupte observata velit; nec porro quod praecipuum est unquam patiatur concedatve horum in praejudicium clausulam istam Articulo IVto Pacis Risvicensis adjectam obverti, vel quicquam ejus obligari posse aut debere; quin imo quae hucusque contra statum anni 1624 in rebus ad religionem pertinentibus innovata fuerant, potius jam rescindantur, quod dum fiat peculiari interim constitutione, cum Caesareae Majestatis consensu inter Status Imperii promulgata, cavendum, idque sub poena fractae pacis publicae, nec quicquam

posthac in rebus et religione immutetur, donec deletis hactenus gravaminibus, eo modo atque ratione, quae sigillatim Instrumento Pacis est definita, medela sit juste et ex ordine undique pariter facta, atque ejusmodi declarationem, literis consignatam a Caesarea Majestate Vestra, anxio desiderio et humillima mente expectamus; quam deinceps identidem Reges etiam nostri ac Domini clementissimi, tum in Comitiis Ratisbonensibus quantum ad corpus Evangelicum attinet, cum in reliquis Principum Protestantium, quos vocant, Germaniae Aulis tam rite exponi et depraedicari curabunt, ut Caesarea Majestas Vestra amplissimum ejusdem usum fructumque uberrimos etiam atque etiam reipsa sentire et cum voluptate regustare queat, Catholicorum declarationem ejusdem vel similis forte contextus ac tenoris postmodum eo facilius expectare licebit, et committimus nos interea curae Caesareae Majestatis Vestrae, qua fas est devotione sanctissima, gravamina Ratisbona eidem nuper jam submissa, quae sicut typis publice exscripta et ea veritate cum circumstantiis suis probe sunt exposita, iterum eadem pro ratione, qua intaminatum Dei cultum prosequimur, religiose nunc obtestamur, velit Caesarea Majestas Vestra sententiam super istis suam, uti saepius et ante biennium fere in solenni tractatu Prussiae Regi illud promisit, clementissime nobis impertiri et gratiam tanto Caesare dignam iisdem commodare.

De tantum non oppressa religione nostra in Silesiae Ducatibus, quae civium ibi ac municipum et subditorum caesareae Majestatis Vestrae, omni fide, candore et obsequiis, querimoniae et plenae lamentorum voces sint, ut ex apposito sub litera A patescit. In quo post exposita gravamina, a nobis hinc et inde ac de die ad diem congesta, desideria eorundem ardentissima et supplicia maxima, longa serie exhibentur.

Nihil autem in iis reperitur, quod Paci Pragensi, Paragrapho Silesiae autem Principes, nec non sequentibus Paragraphis Instrumento Pacis Westphalicae, in quo singulariter religioni prospectum est, quin imo et ipsis declarationibus caesareis, quae iteratis post modum vicibus prodierunt, non in universum conforme sit et adaequatum. Verum enimvero id jam unice tantum et omni ceu apparet contentione agitur, ut commemoratae scil. leges non secundum mentem accipientium, sed solummodo secundum mentem proferentium explicentur: vix advertentibus qui sic statuunt, hoc ipso propriae securitatis munimenta convelli et ansam ab eo praeberi, ut pax quae olim tanto iis impendio constitit perimatur et undique obfuscetur &c &c.

Quod superest non possumus quoque non Statum Evangelicum in Regno Hungariae hic attingere. Principio quidem leviculam exceptionem suo loco repositam volumus. Qua nempe asseritur Instrumentum Pacis Westfalicae ad res sacra Regni Hungariae respicientes exporrigi posse, allato hinc argumento, quod in Instr. P. W. de illis

Regnis et Provinciis suae sacrae caesareae Majestatis et Domus Austriacae solummodo sermo sit, in quibus eidem ita dictum Jus reformandi non minus quam aliis Regibus et Principibus competebat. Quo jure autem in Regno Hungariae eo tempore Ferdinandus III felicis mem. haud voluerit uti: ita prohibente Pace anno 1647 cum Rakotzio erecta, quae Pacem Osnabrugensem unico tantum anno antecessit omnemque religionis libertatem, Templis restitutis omnique Reformatione seclusa, per Diplomata publicam fecit[1]). Quae ergo tum, ut Textus Instrument. Pacis Westfalicae ait, de majori religionis libertate ejusque exercitio in reliquis suae Majestatis et Domus Austriacae Regnis ac Provinciis agitata fuerunt, nullo modo ad Regnum Hungariae applicari posse, ubi tunc temporis major religionis libertas nec peti nec sperari potuit, summa tunc ibidem libertate existente et vigente.

Sed quod hujusmodi conscientiarum libertas hac maxime tempestate ibi non amplius extet emineatque, documento sunt subnata inde gravamina plurima, quorum ex praecipuis liberae civitatis Gunciensis judicantur; de cujus querelis haud ita pridem caesareae Majestati Vestrae libellum supplicem cum summa animi reverentia exhibuimus, ex quo descriptum exemplum sub Lit. B. insignioris notae denuo apposuimus. Sub Lit. C. multa alia gravamina enumerata sunt. Et ex articulis Soproniensibus luculenter demonstratum est, quam aegre, maligne et injuriose nimium quantum Evangelicis in Hungaria fiat. Fons autem horum malorum, quae inde derivata putantur, illi sic dicti Domini terrestres, qui Jus, quod vocant, reformandi sibi maxime judicant competere. Quod autem verba Articuli Soproniensis XXVti salvo tamen jure Dominorum terrestrium huic opinioni eousque faveant, ut iis etiam praeter Jura alia, quae Dominis terrestribus censentur propria, Jus reformandi sacra constitutum credi et subintelligi debeat, nemo ceu existimamus facile adduci potest, ut assentiatur, nisi qui ex perverso ingenio Patriae rebus male cupiat. Siquidem ipsa compages, cui tranquillitas Patriae salusque ejus praecipua nititur, uno velut concursu subruitur. Si illa indecora non magis quam et iniqua praetextus formula praevaleat, Dominorum scil. terrestrium sic nominatorum potestatem tam arctis Hungariae cancellis nequaquam esse conclusam, ut Diplomata Regia aliaeque ordinationes hinc profectae modum iisdem praescribere aut limites certos ponere queant. Quod vero huic sententiae maximopere est contrarium, id manifestum sit ex acclusis diversis, quae in Extractu Articulorum typis expresso, quem sub Lit. D. adjunximus, continentur. Dicitur ibi haud obstare debere vel contradictiones Dominorum cleri, vel aliorum quorumvis secularium catholicorum, et sive

[1]) Vide de hac superius Cap. II.

sint confiniarii sive oppidani, síve villani in quorumcunque Dominorum terrestrium et Fisci bonis commorantes in libero religionis suae exercitio ac usu modoque a sua Majestate Regia vel ejusdem Ministris ac Dominis suis terrestribus quovis modo aut sub quovis praetextu non turbentur aut impediantur. Qui hactenus autem impediti, coacti et turbati sunt, liberum religionis suae usum reassumere, exercere et continuare permittantur. Quae omnia Imperator Ferdinand. III in Pacificatione cum Principe Georgio Rákotzi inita non solum promisit, sed securos jubet esse praefatum Transylvaniae Principem eique adhaerentes ac etiam universos et singulos inclyti Regni Hungariae Status in verbo suo Regio et bona fide Christiana, quo eos omnes singulos articulos in omnibus eorum Punctis et Clausulis tam ipsemet sancte et inviolabiliter observaturus, quam etiam per alios omnes subditos suos, quorum interest vel interierit, cujuscunque status et conditionis fuerint, observari facturus sit.

Quae vero tam deliberato animo gratissimisque verbis expresse statuuntur, non nisi expresse paribusque argumentis revocantur, et clausula, quae salva vult Jura Dominorum terrestrium, non tollit Jura aliis quaesita, uti superius vindicatum.

Sane enim tam dissona ratione congruerent illa, quam alienum a Regia Majestate foret, dicere aut statuere, plus Dominum Terrestrem in Hungaria, quam ipsum ejusdem Regem posse. Illi Domini terrestres hoc non contenti sibi arrogant, quae Deus sibi uni reservata vult: quippe qui solus est, qui conscientiis imperat et moderatur. Hinc sacra Scriptura longe alia nobis praecepta suppeditat et exempla ostendit, quibus vel secundum quae homines rite convertere deceat, qualia equidem cum Dominis terrestribus ad scopum, quem positum sibi habent, minus existimentur conducentia. Apparet utique omnia ea, quae ex adverso fiat,* instruanturque atrocissimis et acerbissimis persecutionibus Gallicis, vel non omnino dissimilia, vel talia certe videri et judicari debere, quibus nihil aliud profectum hactenus sit, nisi quod homines magis pervertant et in extremam denique perniciem animas eorundem detrudant. Si enim sufficeret, Pedites vel Dragones et Hussaros ad obeunda et exequenda Apostolorum munia ablegasse, sane haud amplius illud Christi locum habebit: Mitto vos uti agnos inter lupos. Ita isti haud sunt piscatores animarum, sed immanes venatores. Deus, qui homini animam ratione praeditam contulit, vult pariter, ut et illa eadem regatur et si qua in re assensum suum praebere debeat, argumentis persuadeatur oportet ac convincatur: minime vero

* fiant (ed.)

omnium violento impulsu velut fidiculis adducatur, ut cultu externo rituve id testetur et ore profiteatur, quod in animo nec credidit unquam, nec deinceps credere constituit. Cleri omnino inconsultae suasiones, suggestiones et obtestationes Dominos terrestres ad talia impellunt, ut quemadmodum olim Themistocles Andriis minabatur, duobus se Diis comitatum venire, S v a d a nempe et V i o l e n t i a. Clerus militibus stipatus, plus certe illis ad finem suum, quam rationibus ac* Prudentia, Justitia et Aequanimitate mutuo sumptis utitur atque sic non operatur in vinea Domini, sed Regna et Provincias sacrat. Suae Majestatis devastat et depopulatur. Nec meminit eos, quos exturbat inde, tametsi religionis formulis ab aliis discrepantes, Christianos tamen eoque nomine proximos suos, quin imo liberos itidem homines esse. Et suae religionis asseclas in idem discrimen una eademque opera conjicere. Si enim res in nervum erumpat et istae temporum incidant conversiones, eum clerum poenitere deinceps possit, si eo Evangelicos Reges et Principes vi et facti acerbitate adegisse et in iram quasi deduxisse, ubi his aequabile in Catholicos jus exercere et iis, qui sub potestate eorundem degunt, par pari referre liceat.

Erit in propatulo istum certe non spiritu charitatis mutuae, sed spiritu persecutionis odiique fuisse ductum, hactenus et existimatum.

Nos subscripti Ablegati extraordinarii haud raro advertimus, caesareae Majestati Vestrae ipsiusque Ministris nefarias ejusmodi persecutiones subinde vehementer fuisse improbatas, interjectis in hanc sententiam graviorum etiam verborum asseverationibus, quibus fidem obligabant suam, de iis quantocyus severa in harum auctores animadversione abolendis; dummodo indubitatis prius experimentis clarum testatumque est factum, tales proinde atrocitates pati et sufferre, qui in haereditariis Caesareae Majestatis Vestrae Regnis ac Provinciis Evangelicorum nomen et doctrinam sustinent atque sequuntur.

Sicut autem in his argumentis convenimus, ita id unum jam reliquum videtur esse, ut facinora illa, quae tot querulas voces totque lamentationes miseras excitarunt, aequabili Juris Justitiaeqne norma discutiantur examinenturque. Enimvero quoties hoc animi proposito ad eos, qui Caesareae Majestati Vestrae a sanctioribus intimisque Status consiliis sunt, nosmet convertimus, toties illi a d H u n g a r i c a s et B o h e m i c a s C a n c e l l a r i a s quas vocant nos remittunt; hae autem obtendunt sui rem arbitrii haud esse, ut in eo negotio quicquam nobiscum agant aut consultationem suscipiant, nisi id expresso caesareae vestrae mandato indultum sit. Quo utique modo nos in gyro quasi circumagi fateamur necesse est.

Quare si gravaminibus istis seria tandem medela quocunque modo

---

* a (ed.)

fieri aut in speciem saltem affingi debeat, minime omnium illis declarationibus, quas nunc diximus effugia, quae fine carent, quaeri. Consequens est idque prorsus necessarium, ut Caesarea Vest. Majestas ex ordine secretioris sui consilii commissionem clementissime designet, ad quam quotiescunque Hungariae aut Silesiae gravamina fuerint proposita et super quibus colloquia nobiscum miscere aequum justumque visum sit, semper eo unus alterve ex Cancellaria Hungarica vel Bohemica una advocetur, ut ista ratione praedicta commissio caes. M. Vest. rem, quemadmodum ex veritate gesta est, decenti veneratione proponat et latam super eo sententiam suam clementissimam nobis consignatam literis notam faciat atque testatam.

Quae quod ab eadem sperare fas est afflictis denique in tutelae et sinceritatis cum succedere eosdemque incorrupta erga Caesaream Majestatem V. obsequii fide confirmare, et ad omnia servitiorum genera, quae quidem in ingenuos cadunt, subeunda promptos et expeditos magis magisque reddere, sed et porro nostros quoque Reges clementiss. ut et Praepotentes Dominos ad paria et mutua officiorum genera ac studia, qualia pro horum remuneratione ullo modo ab iis praestari aut exoptari poterunt, obstringere atque obligare queat.

In quo bonae spei omine finem libelli facimus et Dei omnipotentis tutelae Caes. M. Vestr., sicut hactenus servavit, porro undique victoriis et tempora sua lauris viridissimis circumdet, vitaeque suae annos ultra mensuram et numerum Majorum suorum gloriosiss. productos, aliis super aliis felicitatum augmentis lactissimis extollat. Atque ita in tantum eam ad firmamentum Imperii suorum atque subditorum sine discrimine omnium conservet, in quantum et ipsa certissimum et inaestimabile Divinae benedictionis pignus ab omni mortalium genere merito suscipitur ac colitur, et quanquam nihil in terris duraturum perpetuo est, tamen recordatio exoptatissimi Caesaris, qui non delicium minus quam solatium humani generis extitit, in fama rerum et temporum memoria nunquam intermorituris laudibus vigebit.

Quibus expositis Caesareae M. V. Gratiae eo quo par est cultu religioso, studiisque et obsequiis devotissimis obstricti nullo non tempore futuri sumus.

Sacrae Caesareae Majestatis Vestrae

Humillimi Regum Evangelicam Religionem profitentium ut et Dominorum statuum Generalium Foederati Belgii Ablegati Extraordinarii quotquot in hac Aula commorantur [1]).

§ XXVII. Resolutio ad Memoriale Ablegatorum Regum Evangelicorum primum prorogata, dein neglecta ac etiam prorsus praetermissa est. Unde

[1]) In Literis Procerum Europae Lib. III. pag. 831.

anno 1703 die VIII Februarii exhibent iidem Ablegati aliud Memoriale, in quo cum dolore referunt, quantum exhauserint fatigii in reducenda pace Caesaris, nec tamen tantum habuisse respectum, quo Resolutione benigna digni habiti fuissent.

Imo vero non cessatur nunc quoque ab Evangelicorum Templis scholisque occupandis, Ministris affligendis. Nominetenus memorant Samuelem Hodosi, Ministrum Ecclesiae Reformatae Veszprimiensis, quem Kolonitsius per decursum integri anni in carcere detinet minaturque ad triremes missurum. Enixissime igitur rogant Caesarem, innocenti huic captivo et aliis in oppressione gementibus justitiam administrari curet. Erit hoc Imperatori gloriosum, intercessoribus vero, qui spiritualem cum iis habent communionem, gratissimum[1]). Quid responsi loco tulerunt clarum non est.

§ XXVIII. *Memoriale Hungarorum Protest. ad Belgii ord.* — In initio hujus seculi Princeps Franciscus Rakotzius, comes Nicolaus Bertseni, catholici Magnates aliique ipsis adhaerentes[2]) incitante eos Villario oratore Gallico moverant turbines. Motus ut excitati componerentur et pax turbata reduceretur, pacis conciliator ordinatus est Paulus Szetseni Archiepiscopus Colocensis cum sibi adjunctis, qui cum Plenipotentiariis a Rakotzio ordinatis tractaret. Qui dum anno 1704 in unum convenientes in causas motuum inquirerent, inter alias quam plurimas recensebant etiam Protestantium oppressionem, non solum Ministrorum Ecclesiae, sed etiam Nobilium incaptivationes, exilia, coactiones, Ecclesiarum occupationes. Quapropter sacratissima sua Majestas in Instructione Archiepiscopo Plenipotentiario exhibita promittebat se deinceps de libertate Receptarum Religionum provisurum, ita ut nemo religionis respectu turbetur vel a Dominis terrestribus vel ab aliis[3]). Quoniam praecipui pacis Mediatores erant Hollandiae ordines per suum Ablegatum Bruningium, requisiverunt Hungari Protestantes Belgii ordines de Pace Religionis imprimis procuranda et cavenda, sine qua pax Regni firma manere non posset. Memoriale ordinibus Belgii exhibitum est sequens:

Celsissimi ac Praepotentes ordines Domini, Domini et Fautores Nobis gratiosissimi, benignissimi!

Quot et quantis persecutionum generibus Status Regni Hungariae Evangelicus a multis jam annis per varios authoritate suae Majestatis sacratissimae abutentes in libertate religionis, contra positivas Regni Leges et sacra Regia Diplomata pressus atque afflictus fuerit, toti

---

[1]) Extant Literae in Literis Procerum Europae Lib. III. pag. 871.

[2]) Wagner Hist. Leopold. Lib. XVIII pag. 737.

[3]) In Instructione Plenipotentiarii Pauli Szetseni MSS. Item in Extractu Leopoldinae Explanationis pag. 80.

orbi christiano et imprimis Regibus, Rebuspublicis cunctisque confessioni Augustanae et Helveticae addictis populis antea jam palam innotuisse, nulli dubitamus et vel maxime, cum increbescens haec persecutio Dn. Residentibus Regum et Principum, nec non Praepotentium Dominorum ordinum, ad Augustam Aulam constitutis, per nos iteratis vicibus sit repraesentata. Tamen modernus status Regni Hungariae et ejus ratio summe requirit, quatenus medio hujus demissi scripti, afflictiones vix non oppressi hujus status in benignam Praepotentium Dominorum ordinum memoriam revocemus, simulque promovendae causae hujus nunc certe non minus necessarium quam opportunum demisse imploramus patrocinium.

Fatemur enim libertatem Religionis Evangelicae, postquam circa annum 1525 in Hungariam propagari coepta, jam hac jam illa in Regni parte inter vehementes pressuras ac persecutionum procellas, Deo veluti auctore, ita solo Protectore incrementa sumeret: tandem sacra Regum sponsione et Diplomatibus publicis Regni constitutionibus, signanter autem Pacificatione Wiennensi in anno 1606 inita Articulo primo, deinde anni 1608 LXXVII, anni 1618 XXX, 1630 XXIX, 1635. 1647. Art. X. XI. XII. 1649 in Regno Hungariae adeo stabilitam ac ratificatam extitisse, ut non modo liberum exercitium religionis nobis concessum, verum ex illis Templis etiam, quae ante Pacificationem in Articulos anni 1647 redactam plurima erant occupata, statui Evangelico restituta fuerint, eo expresse declarato, quod si quis successive liberum religionis exercitium, contra reges et sacra Regum Diplomata, quoquo modo turbare praesumpserit, eo facto poenam superinde sancitam subire debeat. Ast longe contrarium experti sumus, dum brevi post priores eas Pacificationes, nova itidem et priori longe acerbior status Evangelici persecutio suborta est: ubi primum reoccupatis per vim militarem Templis V. D. Ministri partim in exilium missi, partim ad Triremes relegati: alii vero in captivitate detenti, nec aliter praeterquam aut miserabili morte confecti, aut strictis Reversalibus, quod nimirum vel abstineant ab officio, vel deficiant ad partes Romano catholicas, poterant liberari. Parochiae multae in popinas conversae, scholae, ubi cognitio Dei pietatisque eruditio fuit, subversae; atque sic libertas religionis adeo suffocata extiterat, ut vix vel privatim solum debitas Deo laudes decantare licuerit.

His itaque afflictionum fluctibus Religionis Evangelicae libertas pene jam tunc absorta, licet quidem in anno 1681 occasione publicorum Regni comitiorum ac sub coronatione serenissimi Regis Josephi tempore Diaetae anni 1687 in negotio Religionis (tametsi sua Majestas in favorem nostri aliquid videbatur fecisse) in nonnullis comitatibus pro duobus saltem Templis, Parochiis et scholis, non secus liberis pariter in quibusdam civitatibus Regiis, per nos pro usu nostro aedificandis et extruendis loca excindi. Illa vero Templa, Parochias et scholas, aliaque huc

pertinentia, quae sub tempus supra scriptorum comitiorum in usu nostro erant, ulterius etiam per nos imperturbate possideri debere virtute articulorum XXV et XXVI anni 1681, nec non XXI 1687, his specialiter subnexis conditionibus sancitum fuit publiceque decretum.

I°. Ne ad ceremonias nostrae religioni contrarias et amplectanda ea, quae religioni nostrae non conveniunt, cogamur.

II°. Ut liberum religionis exercitium in curiis Nobilium ubique salvum sit.

III°. Proventus annui juxta constitutiones anni 1647 ab Auditoribus Evangelicis ejusdem professionis Ministris, a Romano Catholicis vero similiter ipsorum plebanis solvantur.

IV°. Pulsus campanarum utrique parti sit liber et communis.

Vto. Sepultura, quae nemini mortalium denegari debet, Evangelicis pro ritu et ipsorum usu, Romano Catholicis pariter, salva relicta.

VIto. Officia sine omni religionis discrimine pro bene meritis concessa, ita ut nemo in religione sua (quae unicuique libera esse debet) turbetur aut quoquo modo infestetur.

Unde tametsi praecedentibus Legibus per novissimos articulos ex integro non fuerit satisfactum, speraremus usque ad ulteriorem in integrum restitutionem obtinendam, Regnoque pacem et conscientiis quietem procurari.

Nihilominus tamen ne haec quidem quantumvis contra Diploma et Leges priores nimium restricta libertas diu illaesa permansit. Siquidem paulo post praescripta comitia commissio ex solo statu Romano Catholico delegata ultra quam par erat, authoritatem arrogans et usurpans, nobis non citatis, non auditis, claros et intelligibiles hos articulos, quos vel explicari vel tolli praeter publica Regni Comitia in privato cautum et illicitum sane erat, sub umbra et pallio interpretationis adeo confudit et a recto sensu detorsit, ut non jam amplius in genuino sinceroque usu vigerent, sed praecise nudis solum in scriptis videntur* elumbes et inutiles haerere. Nam

1° Templa, Parochiae, Scholae et quaevis huc pertinentia, quae articulariter penes manus nostras relicta erant, vix non ex integro contra mentem articuli sunt occupata et ablata.

2° Sacerdotes Ecclesiarum prout et scholarum Rectores juxta eundem, de quo supra dictum est, modum, aut in exilium pulsi, aut Reversalibus hos ipsos articulos damnatis aut morte aut defectione e carcerum horrore et squallore nec aliter liberati.

3° Proventus Ecclesiarum, tam illarum, quae pro nobis articulariter relictae erant, quam et aedificari concessae, ademptis universis huc

*) viderentur (ed).

spectantibus et fundationibus, et haec quoque ita longe destructa, ut ne Nobiles quidem, quibus adhuc salvam ac liberam ea adeundi facultatem concedere videbantur, tum ob longitudinem itinerum, tum non raro ob tempestatem frequentare potuerint, avulsi.

4º Privatum etiam in Curiis Nobilitaribus exercitium interdictum, ita ut praedicatio verbi Divini, tanto magis usus sacramentorum etiam in extremo casu mortis, imo et honesta funeratio non admitteretur; nam ubi antea centena Templa nostra habebantur, nunc (ut dictum) ad duo duntaxat fueramus restricti.

5to Evangelici auditores ad solvendum non suae Religionis Plebanis, imo contra horum esto alias praejudiciosorum articulorum sensum ad defectionem contrariasque ceremonias, captivitate a quorumvis commerciorum et mediorum, quae ad vitam trahendam usui humano generi sunt, subtractione omnique arrogata vi et potentia mediante compulsi.

6to Pulsus campanarum pro usu communi relictus denegatus, imo scholaris proventus quoque, qui aliquin * a sacro servitio nostris Ministris divino et humano jure cedere debuit, non ipsis, sed in Parochia torpenti adversae religionis Plebano solvi debuit.

7mo Evangelicorum parentum filii, passim contra nutum et voluntatem parentum, vel aperta vi, vel clam ad scholas Jesuitarum adducti et in confusionem eorundem seducti.

8vo Visitationes Articulariorum Templorum, ad quae nullum penitus jus habebat status Romano catholicus, per Archidiaconos annuatim cum praejudicio libertatis nostrae vindicatae sunt, sub quorum pallio, uti saepius experti sumus, multae latitabant machinationes.

9no Ministri nostri prout et secularis conditionis homines indiscriminatim contra manifestissimam Legem saepius vexandi solum causa ad sedem (ut vocant) spiritualem adversae professionis attracti, et vel comparuerint vel non, tamen odio religionis per fas nefasque convicti et damnificati, non obstante quod religio nostra suum peculiare in spiritualibus habuerit contubernium.

10mo Evangelici Regnicolae tametsi meritissimi passim ab officiis, quae de lege Regni bene meritis sine discrimine religionis admissa erant, remoti, seclusi, imo plerique turpiter dejecti et degradati.

11º Mechanici et communis sortis homines sub strictissima poena, ad obeundas adversae religionis ceremonias; insuper tam hi quam aliae communitates, tametsi caeteroquin publicis contributionibus exhaustae, tamen contra suam professionem, ad comparanda vexilla processionum usui destinata, ad celebrandaque festa ipsorum, etsi plane nobis incognita, omnes indiscriminatim adigebantur. Ab accessu ad audiendas conciones

* alioquin (ed.)

usumque sacramentorum, quem per hos etiam articulos liberum esse oportebat, gravissimis multis non in vanum terrorem propositis, sed vi vel militari vel quacunque alia adhibita extortis, arcebantur.

12° Mortuorum corporibus honesta sepultura denegabatur, ut contigerit cadavera Evangelicorum, si quae ulla ratione praeter scitum et concessum Plebani Romano catholici et praeter lautam solutionem (nam pretio omnia vix non redimi poterant) terrae mandata essent, ex sepulchris ejici, et necdum sepulta, hoc tamen fine allata e coemeterio domum reportari, sed ipsi quae potentiorum corpora in locis articularibus sepelliebantur, stola tamen Plebano nihil quicquam servienti, contra omne jus et debitum deponi debuit. Pauperis porro sortis hominis * sine pulsu, sine cantu (nisi ante mortem veritatem fidei deseruerit) penes vias in plateis vel campis sepeliebantur.

Quae omnia et plura horrenda quae memoriam fugiunt, quae Juris terrestris Dominii in conscientiarum dominatum per quosdam extensi praetextu, quae abusu (ut supra attactum) sacrae auctoritatis Regiae, jam quasi ex more ob impunitatem inveterato a nonnullis e clero (multis sane improbantibus) patrata continuataque fuisse neminem latet, adeo ut nisi haec in conscientias dominandi libido Deo propitio moderna rerum vicissitudine aversa fuiset, nihil aliud sperandum esset, quam finale Religionis Evangelicae et hanc profitentium exterminium.

Nec utique minimis in malis injuria illa ponenda est, quod esto magna pars Regni a faucibus Turcicis non sine ingenti nostra et pecuniarum et quarumlibet rerum contributione nec sine larga sanguinis nostrorum effusione, Deo juvante erepta sit, indigni tamen censebamur, ut in his terris cultum Dei exerceremus aut saltem minimam acciperemus possessiunculam.

Tot igitur ac tantis malis, quibus particulariter describendis calamus et excipiendis papyrus non sufficeret, in anima et conscientiis pertaesi. Arrepta licet alio ex capite principaliter orti tumultus occasione, cum videamus miseratione divina statum hujus Regni in majorem tendere felicitatem; ubi nimirum Celsiss. Princeps ac Dominus Dn. Franciscus Rakotzi (Tit.) pro Deo et libertate Patriae pugnantis Militiae Dux, conjunctis cum Regno felicibus armis suis, aliis quoque libertatibus vindicandis incumberet. Hanc nos libertatem in pristinum statum, juxta positivas Regni Leges et sacra Regia Diplomata, reponi (quod Deus bene vertat) intendimus. Et ad hunc scopum assequendum, idem Princeps et totius Exercitus Generalis Comes Bertseni polliciti sunt. Ideo ad perbenignum Praepot. Dn. Ordinum patrocinium demisse confugimus, ob viscera misericordiae obsecrantes, dignentur hanc piam causam devoto cordi suo sumere, statuique Evangelico desperatis omnibus supplicationum

* homines (ed.)

per viginti plus minus annos, obstantibus iisdem e clero persecutoribus frustra tentatarum, placidis modis, mediis et remediis hac occasione se in meliorem ordinem et securitatem redigi posse confidenti clementer opitulari. Et quidem in eo:

1° Cum in Deo firma nobis esset spes, modernum Regni Hungariae motum optatae a nobis Tractatu pacis accommodatum iri, ubi cum sua Majestate Caesareo- Regia ad Pacificationem deventum fuerit, dignentur Praepot. Ordines mediatione sua, nunc licet non nisi ad Armistitii opus celebrandum restricta, sed nobis auctoribus ac suasoribus etiam ad pacis Tractatum extendenda, per modernum aliosque fors interim successuros Legatos suos praeprimis hoc agere, ut antequam ad alia laesae libertatis capitula complananda perveniatur, primum et ante omnia Punctum Religionis, occasione futuri Tractatus in examen assumendum ac secundum tenorem Legum continentiasque Pacificationum et Diplomatum, praevie internos ac Romano Catholicos complanandum, sedulo curetur ac effectuetur.

2do Dignentur non modo in complanandis Religionis gravaminibus, sed et in exoptanda securitate, pium zelum et omnem adhibere operam, ut quod tam celebri et efficaci mediatione compositum conclusumque fuerit, totum illud forti manutentione sartum atque tectum conservari queat; imo ut adversus quamvis deinceps quoque (quod Deus avertat) attentandam vim consiliis simul et auxiliis Praepot. ordinum apud suam Majestatem Regesque nostros successores adhibendis tuti securique possimus permanere.

3° Quod si vero sua Majestas sacratissima (quod Deus aeque avertere dignetur) aequas et legibus Regni congruas accommodationes in Religionis negotio admittere nolet, dignentur non modo apud orbem Christianum nos excusatos et innocentes pronunciare, sed et qua ope, qua mediatione justis armis nostris tempestive succurrere.

4to Si casu quo inter Praepotentes ordines et alios Principes Protestantes in materia religionis aliqua jam Liga intercessisset aut intercederet in futurum, statumque Regni Hungariae Evangelicum, causam hanc communem mutua defensione promovere paratum, eidem Ligae benigna Mediatione sua includi facere velint.

Caeterum prout confidimus oblatam Praepotentium ordinum mediationem ita allaboraturam esse, ne ulla nobis seraeque posteritatis * nostrae hinc ansa prodeat deplorandi plures miserias et aerumnas, quam vel minimum inde levamen evenisse, ita e converso non tantum mutuae charitatis affectum ac in ejusdem religionis membra praestita officia promoveri studebimus, verum ut contestandam celsiss. ac Praepotentium ordinum erga afflictum hujus Regni statum Evangelicum in praemissis

* posteritati (ed.)

Gratiam et Patrocinium Deus omnium nostrum caelestis Pater omnigena prosperitate rependere velit, ex animo precabimur. Nostri ad haec annales et posteri grata tanti beneficii memoria recolent ac gloriabuntur. Datum in Pago Vitznye, die 1 Novembr. Anno 1704.

Celss. ac Praepotent. Dominorum Ordinum

Servitores, Amici ac in Christo Fratres ad serviendum semper obligatissimi,

Status Regni Hungariae Helvetico- et Augustano-Evangelicus.

Inscriptio.

Ad celsissimos ac Praepotentes Unitarum Belgii Provinciarum Generales Ordines Dominos, Dominos nobis gratiosissimos, benignissimos. Demissa Instantia introscripti status Regni Hungariae Augustano- et Helvetico-Evangelici [1]).

§ XXIX. Occasione motus a Rakotzio, Bertsenio aliisque excitati, quamvis principes illi tumultuantium fuerint Romano Catholici, Templa tamen, Parochiae et scholae cum proventibus in quam plurimis civitatibus, villis pagisque redierunt ad manus Protestantium, a quibus via facti antea erant adempta. Inhabitatores enim Helveticae aut Augustanae erant addicti confessioni, qui ne cultu vacarent divino et praeterea audientiores ipsis se exhiberent, propriis uti juribus et libertatibus permissi. Exspirante gloriosae memoriae Leopoldo anno 1705 successor Josephus Rex et Imperator in suis Juribus et libertatibus se conservaturum sequentibus Assecuratoriis promisit:

Josephus Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniae, Hungariae &c Rex, Archidux Austriae &c.

Universis et singulis Reverendis Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregiis item ac Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis, praefati Nostri Regni Hungariae et Partium eidem annexarum statibus et ordinibus salutem et gratiam.

Quandoquidem Divinae Potentiae ejusque inscrutabili Providentiae, quae in suis dispositionibus non fallitur, sacram olim Imperatoriam ac Regiam Majestatem, Dominum Leopoldum, gloriosissimae reminiscentiae, Genitorem nostrum desideratissimum, die quinta modo labentis mensis May ex hoc transitorio seculo ad beatae immortalitatis quietem transferre visum fuit. Intermittere noluimus, quin tristem hunc qui nobis communiter accidit casum, prout reliquis aliorum Regnorum nostrorum fidelibus subditis nostris, ita hujus quoque Regni Hungariae statibus et ordinibus dolenter significaremus, et quia post luctuosum hunc eventum,

[1]) Ex MSto.

nos velut immediatus ejusdem quondam Domini et Genitoris nostri successor et haeres, praeter sacri Romani Imperii et reliquorum Regnorum hujus quoque Regni nostri Hungariae et Partium eidem annexarum Regimen (vi Legum et constitutionum Patriarum benignissimique Diplomatis nostri Regii, tempore solennis coronationis et inaugurationis nostrae universis statibus et ordinibus clementer elargiti) feliciter simus auspicati, illudque susceperimus et iisdem gubernandis supremas admoverimus manus.

Eapropter universos et singulos ejusdem Regni Nostri Hungariae et Partium eidem annexarum status et ordines, harum serie Regia nostra adhortamur clementia, quatenus visis aut intellectis iis, homagialis obligationis suae memores, debita quaevis fidelia obsequia nobis tanquam legitimo Regi et Domino suo clementissimo rite coronato praestare, et haud minori quam reliqua Regna et Provinciae nostrae haereditariae, devotione sincere demonstrare ac exhibere studeant, securi in eo existentes, quod nos hocce Regnum nostrum Hungariae nobis cum primis charum, omnesque ejusdem fideles status et ordines in suis Juribus, Privilegiis, Libertatibus et immunitatibus, juxta etiam praeattactum benignum Diploma nostrum assecuratorium ipsis extradatum, illibate et inviolabiliter observabimus et observari faciemus, ac nihil eorum, quae ad conservationem, defensionem procurandum tranquilitatem et emolumentum hujus Regni Hungariae nostri pertinere animadverterimus, seu in Generali Diaeta, quam aliunde proxima commodiori occasione celebrare intendimus, seu alias intermittemus, imo omnem conatum et operam adhibituri, ut in nobis benignissimum Dominum ac Regem experiri valeant, nosque omnium subditorum nostrorum optimam de nobis expectationem si non superare at certe aequare annitemur, gratiae et clementiae nostrae Caesareo Regiae sinum nemini praecludere volentes.

Datum in Civitate Nostra Wienna die XIV Mentis May Anno 1705, Regnorum Nostrorum, Romani XVI, Hungariae et Reliquorum XVIII, Bohemiae vero primo.

Josephus. mp. Paulus Mednyantzki mp.
Ladislaus Hunyadi mp.

Juramentum tempore Coronationis praestitum tale est:

Nos Josephus Dei Gratia Rex Hungariae &c Juramus per Deum vivum, per ejus sanctissimam Genitricem Virginem Mariam, per omnes sanctos, Quod nos Ecclesias Dei Dominos Praelatos, Barones, Nobiles, Civitates Liberas et omnes Regnicolas, in suis

immunitatibus et libertatibus, Juribus, Privilegiis ac in antiquis bonis et approbatis consuetudinibus, prout super eorum intellectu et usu Regio ac communi Statuum consensu Diaetaliter conventum fuerit, conservabimus, omnibusque justitiam faciemus, serenissimi quondam Andreae Regis Decreta (exclusa tamen et semota Articuli XXXI ejusdem Decreti clausula incipiente Quod si Nos- usque ad verba in perpetuum facultatem) observabimus, fines Regni Nostri Hungariae et quae ad illud quocunque Jure aut Titulo pertinent non abalienabimus nec minuemus, sed quoad poterimus, augebimus et extendemus, omniaque alia faciemus, quaecunque pro bono publico, honore et incremento omnium Statuum ac totius Regni Nostri Hungariae juste facere poterimus. Sic Nos Deus adjuvet et omnes Sancti[1]).

§ XXX. Clementissimam in Diaeta Posoniensi elargitus erat Resolutionem Josephus sequentem:

Trium religionum in Regno Hungariae receptarum negotium juxta genuinum Articulorum Soproniensium et Posoniensium Diaetarum ultimarum sensum, sua sacratissima Caesarea Regiaque Majestas permanere declaravit, ejusdemque libertati et securitati clementissime ita providebit, ne contra repetitos Articulos vel Domini terrestres Jure suo abutantur, vel cuicunque praemissarum Religionum conscientiae vis inferatur, sin autem contra spem aliter eveniret, Regia manu et auctoritate omni modo praepediturum[2]).

Templa Protestantibus reddidit septingenta in ambitu Regni Hungariae, Scholam vero Patakinam in manibus Reformatorum, a quibus fuit fundata, confirmavit[3]).

Josepho immatura morte sublato Regimen susceperat Eleonora Imperatrix, quae anno 1711 die XXVI Maji in negotio Religionis sequentem exhibuit Assecurationem:

In Religionis negotio receptas Regni Constitutiones manutenebimus, nec non exercitium ejus dem, secundum easdem Leges et constitutiones ac Articulos Regni, tam in Hungaria, quam in Transylvania, cum Beneficiis eorsum de jure spectantibus, clementer concedimus, nemini praeclusa via apud nos et Regiam Majestatem vel coram Diaeta ratione gravaminum

---

[1]) Articulo 1. an. 1687.
[2]) In Extractu articulorum Regiorum pag. 82.
[3]) Historia Reform. pag. 518.

sese insinuandi[1]). In compositione Szathmariensi omnes libertates Politicae pariter ac Ecclesiasticae confirmatae eodem anno 1711, quas omnes succedens in Regimine anno 1712 benignissime iterum confirmavit Carolus Sextus.

CAPUT SEXTUM.

De Statu Protestantium in Transylvania sub Regimine Austriaco ad Compositionem usque Szathmariensem.

§ 1. *Pax Religionis in Transylvania ad an.* 1690. — A temporibus gloriosae memoriae Principis Stephani Botskai in Regimine anno 1605 confirmati, nulla saevior in Transylvania ratione religionis in Protestantes detonuit tempestas nec furibunda suo versavit turbine procella, quoniam Principes immediate sibi succedentes Reformatae addicti omnes erant religioni. Praedominansque Religio fuit Reformata ad exitum usque Principis Michaelis Apafii primi, qui Principatum et vitam Fagarasini anno 1690 die XV Aprilis deposuit. Neque dependentiam strictam a Corona Hungariae ab Isabellae aetate habuit, quum per potentiam Otthomanicam inde avulsa, suis propriis legibus uti et Principibus, a Porta Otthomanica confirmatis, gubernari permissa est. Ubi autem ab anno 1683 arma Imperatoris et Christianorum Principum de Turcarum viribus triumphare coeperunt, Transylvani quoque experrecti animo volvebant reditum ad coronam Hungariae, modo, quo id facere possent, meliori. Invitabat eos clementissime Rex Hungariae per Antidium Dunod sacerdotem, qui Transylvaniam anno 1685 occulte ingressus, occultius cum Principe et paucis quibusdam Magnatibus tractabat. Plenipotentia ejus a Rege Hungariae fuit ista.

Nos Leopoldus &c notum facimus quorum interest universis, missum a Nobis esse Honorabilem sincere dilectum virum Antidium Dunod sacerdotem Burgundum, qui cum Illustrissimo Principe certa tractaret negotia. Idcirco quicquid memoratus Dunod nostro nomine cum praefato Principe tractaverit pactusque fuerit, illud omne, ut primum nobis communicatum fuerit, ratum gratumque habituros nos esse promittimus, in cujus rei fidem hoc nostrum Caesareum Mandatum manu nostra

[1]) Extat in Mss. et in Extractu articulorum pag. 82.

subscripsimus et sigillo nostro Imperiali Regioque munire fecimus. Datum in Civitate nostra Viennae die XV Februarii anno 1685, Regnorum Nostrorum Romani XXVII, Hungariae XXX, Bohemici vero XXIX [1]).

Leopoldus. T. A. H. Liber Baro de Stratman.

Ad Mandatum Suae Majestatis Caesareae proprium
Joannes Georgius Kock mp.

Tractabat Dunod varia, quae tamen effectu caruerunt. Caesar enim revocavit temporis circumstantia id suadente.

§ II. *Ablegati Transylvanorum Viennam* 1685. — Transylvani eodem anno 1685 Ablegatos suos Joannem Haller, Sigismundum Pernyeszi, Matthiam Miles Saxonem et Michaelem Intzedi Viennam expedierunt, qui agerent cum Aula de conditionibus tempestivae conjunctionis aut commodioris submissionis. Conditiones in eorum Instructione specificatae Politiam et Ecclesiam spectantes, cum sint rariores, huc transferre non intermittam; sunt sequentes:

1. Ut quatuor Receptae Religiones earumque liberum exercitium in Transylvania conserventur; nullo unquam tempore et praetextu turbentur vel persequantur; Templa, Scholae, Parochiae et omnes reditus Ecclesiastici ne occupentur, Ministri Religiosi ne injurientur et dehonestentur.

2. Moderni Celsissimi Principis* nostri nullo modo turbentur. Post suarum Celsitudinem** vero fatalia, libera Principum electio maneat intacta penes Regnum Transylvaniae, juxta constitutiones et articulos Regni, per liberum eorum suffragium et electionem, sitque Princeps Transylvaniae liber absolutus et a nemine dependens. Confirmatio etiam eorum a nemine alio, nisi a libera eorum electione dependeat, quem Principem sibi Transylvania eliget, teneatur etiam Caesarea Majestas pro legitimo Principe agnoscere.

3. Titulos Principum Transylvaniae et Insignia maneant solito hactenus more usitato.

4. Ut nullo Transylvanico Regimini, Donationibus, Privilegiis, Legibus. articulis, Praesidiis, Proventuum perceptionibus et erogationibus nec per se, nec per alios, sua Caesarea Majestas se immisceat, atque totam Transylvaniam et partes Hungariae eidem annexas nihil praetendat.

5. Ut nullo unquam tempore Transylvanos sibi subditos faciat, nullisque fortalitiis praesidia contra eorum voluntatem imponat.

6. Quartiriis, Annona, Accisis nullisque contributionibus Transylvaniam oneret nullasque copias immittat contra voluntatem Transylvanorum.

7. Transylvaniam contra neminem insurgere, inviteque in castra ire, ad nullasque dandas cogat munitiones.

8. In omni ditione suae Majestatis liber Transylvaniae quaestus et commercia concedantur.

---

[1]) Ex Actis Tractatus hujus Msstis et in Vita Com. Nicolai Betlen, Lib. II. Cap. XII Msst.

* Principes (ed.) ** Celsitudinum (ed.)

9. Jus Patronatus seu sacerdotale in Transylvania erigere non intendat.

10. Bona sacerdotalia sive a Fisco sive a quocunque possideantur, sicut antiquitus dijudicata sunt, in vigore relinquantur nec proponantur.

11. Ut antiqui limites Regni, puta: Varadinum, Jenö, Világos vár, Lippa et adjacentia Castella, Curiae, Districtus, sicut et Lugos, Karansebes, cum integris reditibus, Tricesimis. Teloniis, Partibusque Hungariae eidem antiquitus annexae Transylvaniae restituantur, sicut et ad Debrecinum nihil praetendat, imo omnia ejus privilegia confirmet.

12. Rivulinum seu civitas Nagy Bánya Transylvaniae restituatur, antiquitus etiam eidem incorporata existens.

13. Ut transfugae et proditores patriae, ex Regno nostro proscripti vel proscribendi, in ditionibus suae Majestatis non recipiantur, imo extradentur.

14. Transylvani, si quae bona in Hungaria habent, pacifice possidere possint ac damnificati contententur ex bonis damnificantium.

15. Praetendentes etiam Transylvani de suis praetensionibus contententur in Hungaria.

16. Ut Transylvani libere in Hungaria litigare possint.

17. Ut transfugi servi et subditi Transylvanorum ex Hungaria restituantur.

18. Ut constitutiones Procuratoriae, Fassiones capitulares et conventuales Transylvanicae et Hungaricae in Transylvania ratihabeantur.

19. Quandocunque Transylvania postulaverit, ab omni hoste sua Majestas Caesarea protegere teneatur.

20. Copiae auxiliares Caesareae, quando Transylvani voluerint, revocentur, et dum in Transylvania morabuntur, a Principibus Transylvaniae dependeant.

21. In casu necessitatis sua Caesarea Majestas Transylvanis non tantum copiis, verum pecunia et munitionibus opituletur.

22. Sua Majestas etiam titulo Transylvanico non utatur.

23. Insurrectionem et declarationem Transylvanorum contra Turcas non exposcat sua Majestas ante expugnationem Varadini, Temesvarii et Belgradi.

24. Dum necessitate postulante Legati Transylvanici ad Comitia Hungarica vel Imperialia mittentur, commoda sessione et honore acceptentur.

25. Si Deus totum Regnum Hungariae suae Majestati Caesareae restituet, bona, quae jure ad Transylvanos in ea pertinent, ipsis restituantur.

26. Si Christianorum Principum animi ad pacem inclinaverint, hoc in negotio mediatione nostra utantur, non aliorum.

27. Ex Pacificatione Turcica Transylvania cum utraque Valachia limi-

tesque et districtus earum et Fortalitia non excludantur, matureque de hoc praemoneantur.

28. Tractatus iste secreto servetur, nunquam Turcis innotescat [1]).

§ III. *Diploma pro Transylvanis.* — Post varios Viennae discursus de modalitate, qua Transylvani Regi Hungariae se submitterent per Ablegatos, peractos tandem praeparatum est Viennae Diploma in rationem Transylvaniae in has conditiones:

1. Princeps Apafi Pater et Filius regnent in Transylvania usque ad mortem.

2. Post mortem illorum libera electio Principis sit penes Status Transylvaniae.

3. Religio, leges, libertates, denique omnia sacra profana maneant libera.

4. Libera sint etiam jura Foederum Principi Transylvaniae cum quibuscunque Christianis Principibus, dummodo non in manifestum damnum Domus Austriacae vel Regnum Hungariae.

5. Pro Recognitione dabit annuatim Regibus Hungariae quinquaginta millia Thalerorum Imperialium.

6. Quicquid a Turcis per sola Transylvanica arma recuperabitur, id maneat ipsi.

7. Quicquid vero communibus vel Caesaris armis ad Transylvaniam vel partes Hungariae ei annexas pertinens recuperabitur, id etiam Transylvaniae cedat, sed salvo Jure Feudi pro Regibus Hungariae.

8. Ante Temesvarum et Belgradum captum Transylvania se Turcae hostem non declarabit, tantum aliqua Annona exercitum Christianorum juvabit.

9. Claudiopolis et Deva in duobus millibus Caesareo et mille Transylvanico Praesidio custodientur, usque finem belli tunc statim evacuanda et Principi restituenda.

His conditionibus in solita forma authentica praeparatum Diploma Generalis Scherfenberg XV millibus Transylvaniam ingressus Principi Statibusque obtulit, et ut acceptaretur persuadere conatus est. At vero Transylvani non acceptarunt, imo Militiam Provincialem illi opponentes variis affecerunt injuriis, unde secuta est clades et evastatio Regni. Cumque Principem ad tractandum secum et acceptandum Diploma permovere non posset, cum indignatione et dolore e Provincia discessit. [2]).

§ IV. *Rationes rejecti Diplomatis.* — Diploma quod non acceptaverint, has obtendebant causas:

1). Quod Jus Feudi articulo VII expressum, indeque derivatus Vasallatus acsi omnimodam inferret subjectionem prorsus displicebat.

[1]) Ex Actis hujus Legationis MSStis.

[2]) In vita Nicol. Comitis de Bethlen Lib. II. Cap. XV in fine MSS. Item Sudores Cruces Comitis Nicol. de Bethlen ad an. 1685 MSS.

2). Claudiopolim et Devam arces Praesidio Caesareo teneri renuebant, ne eo facto Turca irritetur et ultimum Transylvaniae accerserent exitium. At praetextus erat tantum, vera autem causa fuit ista. Ea aetate penes Michaelem Teleki Consiliarium et Militiae Transylv. Generalem rerum Transylvanicarum erat summa, cui aut ex amore aut ex terrore aut denique ex adulatione omnes fere parebant. Is correspondentiam habuit ex Marmarossa cum Rege Poloniae, et in ejus Aula cum Marchione de Bethune Legato Gallico, ac per eum cum Rege Galliae; qui notum fecerat, militiam Caesaream diu in Transylvania morari non posse, sed debere Provincia decedere; Polonos insuper brevi in Hungariam expeditionem adornaturos. Ita ergo censebat e re Transylvaniae futurum, si Provincia Caesareo milite vacua suaeque libertati restituta tractaret cum Imperatore. Quae subsecuta sunt non praevidebat, aliorum autem consilia rejecit. Usus est ad voluntatem suam effectuandam ministerio partim Joannis Sárosi Ablegati ad Turcas, qui inde redux asseverabat Turcam minime concedere Transylvanis Tractatum cum Imperatore Romanorum; at vero concesserat, dummodo fidelitatem suam ipsi reservarent eque clientela ejus non discederent. Partim Stephani Kolosvari clientis sui, qui Berolinum, Hagam Londinumque ad Principes Reformatos ablegatus ut statum Ecclesiarum exponeret, eorumque consilio et ope res Ecclesiasticae in bonam formam redactae securitatem in futurum acquirerent. At vero in patriam redux aut eorum mentem dissimulavit, aut vero in favorem Patroni sui siluit. Ita ergo cum ingenti Provinciae et Ecclesiae damno Diploma Caesareum procella Parisiensis disjecit, quod Princeps sero indignabundus exprobravit, Telekius cum statibus deflevit, rejectum [1]).

§ V. Tandem Carolus Dux Lotharingiae cum Armada Caesarea anno 1687 ingressus tractatum cum Transylvanis Balasfalvae anno 1687 die XXVII Octobris iniit, cujus articulus tertius de Religione ita est: „Quatuor receptae Religiones in tota Transylvania, ut et Ministri Scholae, Ecclesiae, Parochiae, in suis liberis exercitiis, cultibus, proventibus, nullo modo turbabuntur, sed juxta susceptam et usitatam illorum legem et consuetudinem et morem usitatum libero cultu utentur et fruentur, neque injuriabuntur et damnificabuntur, Domus Parochiales et Professionales, Scholae ut nullibi locorum ita nec Cibinii hospitium dare tenebuntur." Sollicitabant Diploma rejectum per suos Ablegatos Transylvani Franciscum Gyulai et Michaelem Vaji, at Caesar se tali Diplomate tunc nolebat differebatque.

§ VI. *Tökölius in Transylvaniam venit* 1690. — Tandem anno 1690 mortuus est Princeps Michael Apafi Senior die XV Aprilis; eodem anno, mense Augusto Comes Emericus Tököli per invia montium Alpiumque

[1]) Idem ll. cc. Cap. XV et XXII. Sudores et Cruces Nicol. Betlen ad an. 1686 Mss.

juga penetravit in Transylvaniam, qui ad Zernestum Transylvanos prelio superavit, ubi Militiae Provincialis Generalis Michaël Teleki occubuit, Caesareae Heislerus captus est, Tökölius in Principem electus et inauguratus in Insula Christiana dicta, pago prope Cibinium, factaque est magna rerum Transylvanicarum conversio. Comes Nicolaus Bethlen, quo nemo magis Transylvanorum istius aetatis res futuras penetrabat, Viennam confestim adiit, ut solicitaret in Aula 1) subsidium Transylvanis propere mittendum per Lud. Badensem, 2) ut generali amnestia promulgata Transylvani cum Tökölio facientes ab ipso avellerentur et reducerentur, 3) denique ut Diploma pro Transylvanis ab Imperatore exoraret[1]). Tunc statim ad confirmandos animandosque Transylvanos quarta die Septembris (anno 1690) sequentes dedit Imperator literas:

Leopoldus Divina favente Gratia &c.

Magnifici, Egregii, Strenui, Nobiles et Honorabiles, Fideles dilecti! Attentata in Patriam vestram Tökölii irruptio et clades nostro vestroque militi illata, cujus nuncium cum literis vestris XXIV Augusti datis accepimus, uti nos merito commovit, ita de vestra perseveratione et ulterioris mali aversione possibili non tantum vos solicitos reddidit, verum et serias cogitationes suscipere induxit. Sublevavit has non parum superveniens notitia, tantam non esse stragem, quantam prima fama attulerat.

Graviter interim sortem vestram, viri charissimi Patriaeque dilectissimae, sentimus dolemusque et certe magis adhuc affligeremur, nisi expenderemus prospera et adversa a Divina dispositione promanare, quae infausti casus damna fortunatis eventibus multifariam resarcire potest. Non desperabundus proinde vobis animus, nec salutis spes abjicienda; superest fortissima Dei dextra: in hac confidite, hanc implorate in tutamen praesidiumque vestrum, nec vobis affuturum dubitate. Nos certe pro paterno in vos amore nihil solicitudinis, nihil consilii nihilque operae pro incolumitate rebusque vestris instaurandis omittemus, quem in finem serenissimo Ludovico Marchioni Badensi, cujus iterum directioni commisimus exercitum nostrum in Hungaria, priusquam hinc discederet, specialiter demandavimus, ut securitati vestrae praesertim incumberet, et impetum hostilem aut metuentibus aut experientibus, posthabitis etiam quibusvis considerationibus et obstaculis, opem continuo ferre satageret, prout etiam cum promptiori milite ad manum habito, ut primum dictam Tökölii invasionem intellexerat, magnis itineribus in subsidium vestrum ita quidem properasse edocemur, ut Transylvaniae fines aut attigisse aut proximum esse, magnumque per hoc res vestras allevamentum probaturus non ambigimus. Pro quibusvis erigendis hostium

[1]) Sudores et Cruces Nicolai Bethlen ad an. 1690.

conatibus quoad fieri potest propulsandis nihil intentatum relinquet. Adhibebimus et nos, cum a praedicto serenissimo Marchione de statu rerum informati fuerimus, reliqua pro conservatione vestra qua nihil vobis est antiquius media, quaecunque possibilitas et praesens rerum status admittent. At vero interest maxime, ut vos quoque resumptis pariter viribus, operi tutandaeque contra Tartaricam Turcicamque tyrannidem Patriae manum conjunctim serio admoveatis, ordinatis celeriter dispositionibus, quas periculi magnitudo et necessitas requirunt. De quibus omnibus, uti quoque de annonae et commeatus comparatione, institutione vecturae numeroque militis a vobis conflandi, loco itidem ad unum alterumve destinato, universis denique provisionibus vestris, cum praefato serenissimo Marchione vestra fideliter conferetis consilia, et dictamina ejusdem sequemini, certi quod pro sua in nos fide et nostro in vos affectu salutaria suasurus sit. Nec nos de iis, quae vestrae conservationi et sublevamini proficua censeri poterunt, quicquam intermissuros, vobis polliceri potestis. In hac tempestate perturbata, de eo nobis prima solicitudo esse debet, ut omni conamine hostem praeforibus stantem vel penitus arceamus vel ingressum collatis viribus et consiliis ejiciamus; quo obtento caetera felicius omnia procedent. Nam quod famem, quam metuere videmini, attinet, medelam huic adferet frumenti ex superiori Hungaria convectio, quam ad hunc finem dirigere exnunc cogitare et ordinare applicamus; de vestra fide et constantia eo minus soliciti, quanto magis vestra interest, ea, quae toti Christianitati sunt necessaria, vobis utilia et nobis intolerabilia non negligere, sed promovere et animo constanti a patria vobismet charissima profligare, cum nec Christianitati hoc Antemurale suum deperdi, nec vobis Patriam charissimam scenam belli efficere, nec nobis denique conveniat vestrae libertatis et regionis jacturam in barbarorum dominatum et servitium incidere.

Quoad Juniorem Apafi in vestra gubernatione declaratione nostra firmari petitum. Si priora in memoriam revocaveritis, deprehendetis nos hactenus nihil negasse; sed per insufficientem subjecti aetatem cogitationes nostras, hac de re conceptas, propterea in animo nostro suspensas reliquisse, quod turbulento hoc statu minus conveniret ab aliis adhuc regendum vobis praeficere; ne quid tamen hic temeraretur, constituto interim Regni regimini a vobismet ipsis delecto acquievimus, ut satis intelligere potueritis, tempus et rerum momenta declarationi a vobis expetitae hactenus nobis potius defuisse, quam intentatam Status vestri immutationem, quam cum Turca sua Tökölii in Principem declaratione perfide, ut solet, violavit. Dignoscetis facile quae esse possit Tökölii de Juniore Apafi intentio, et quod vestrorum Jurium, Privilegiorum et Libertatum periculum, nisi junctis nobiscum viribus, hostem imminentem propulsaveritis et sic Jura, Libertatem et Privilegia vestra salvaveritis.

Eo sane nobis serio incumbendum est, quod ubi assecuti fuerimus, caetera suapte ad usum profluent. Constantia et fidelitate hic opus est, denique et hoc animo pensandum, quod majoris lucri causa, temporaneum aliquod incommodum fere curandum non sit; nam si pacem quam libertatem habere malueritis, nec hanc nec illam obtinebitis. Non illam ob rationes jam dictas, nec hanc, quam sine deditione vestra sperare non potestis, constituto theatro belli in dilectissima Patria vestra, collisione armorum et virium misere laceranda.

Quod autem confirmationem Religionum Receptarum ac toleratorum hactenus Jurium, item Privilegiorum ac Libertatum vestrarum spectat, nihil certe a sanctimonia fidei vestrae dubitandum vobis superest, cum has sartas tectasque vobis fore saepe saepius declaraverimus, et declarato vobis verbo Regio denuo firmamus. Vestrum erit reputare, Nobis etsi volentibus non esse integrum turbulento hoc Patriae statu editis Diplomatibus porro nos oppignorare, cum eapropter nihil attenta sumptuum magnitudine cum hostibus vestris totis viribus decertemus, quae proinde tanto studio vobis servare nitimur, certe auferre vel alterare non intendimus. Securos itaque vos hac in parte vivere et constanti ac virili animo pro Patriae libertate spretis temporaneis incommodis nobiscum pugnare convenit.

Vobiscum aestimare gloriam et decus Gentis vestrae, fortitudine vestra comparatum et cum omnipotentis Dei benedictione ejectis hostibus vindicataque libertate ad seros posteros transmittendum, totius Christianitatis applausum, et nostra nunquam vobis defutura gratitudine, cujus effectus ut posteris temporibus constanter percipietis, ita et de iisdem gloriose et fructuose gaudebitis, sed quod paterno optantes affectu Gratiam, Clementiam et Tutelam nostram Caesareo Regiam vobis iterum iterumque promittimus et offerimus uberrimam. Datum in Civitate Vienna die IV Sept. anno 1690, Regnorum Nostrorum Rom. XXXIII, Hung. XXXVI, Bohem. XXXIV.

T. Henricus Com. de Straathman.

Leopoldus

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Proprium,
Steph. And. de Verdenburg.

§ VII. *Diploma Leopoldinum.* — Diploma solicitante Nicolao Bethlen Transylvanis promissum, dandum Imperatori suadebat Antonius Karafa; intercedebant etiam Wilhelmus Paget Legatus Regis Angliae, Hemskircken Residens ordin. Hollandiae, Nicolaus Gotfridus Dankelman Legatus Electoris Brandeburgici, quocum omnia Bethlenius communicabat, qui

magno zelo in ecclesias Transylvanicas ducebatur, unde etiam ab Electore pro duobus studiosis Enyedensibus in Academia Franckofurtana intertenendis alumniam obtinuit[1]). His mediatoribus Diploma Transylvanis praeparatum est tenore sequenti, quod dicitur hodie Leopoldinum:

Nos Leopoldus &c.

Magnificis, Egregiis, Strenuis et Nobilibus, Prudentibus ac circumspectis Fidelibus sincere nobis dilectis N. universis Statibus Provinciae Transylvaniae et reliquis tam Ecclesiasticis, quam secularibus quorum interest, Gratiam Nostram Caesaream Regiamque et omne bonum! Illis benigne perspectis, quae Transylvaniae Ablegatus, Egregius, Fidelis, Dilectus Nicolaus de Bethlen uberrime exposuit, quidnam a Nobis quoad Confirmationem die XXVIII Junii 1686 desiderati*, quoad Religiones ibi locorum usitatas, quoad Patriae Leges ad** consuetudines, quoad Privilegia, Dignitates et officia, quoad sublevanda Portionum et Hybernorum onera, quoad Provinciam in pristinum florem redintegrandum aliave saluti publicae multum servientia, debita erga nos veneratione et fidelitate efflagitet. Supremi nostri Regii muneris, a quo si Dominus Exercituum adminiculetur, pro temporum vicissitudine, felicia scaturire solent incrementa, esse dignovimus, charissimam hanc Transylvaniae regionem, jam a seculis inclyto nostro Hungariae Regno assertam, magis magisque veluti animam nostram amplecti, posthabitis enim aliis contra communem Christiani nominis hostem destinati Belli operationibus Ludovici Marchionis Badensis dilectionem ad sistendas iniquissimi Tökölii eidemque adhaerentium Rebellium nec non Turcarum et Tartarorum incursiones, illuc cum exercitu expedivimus, hac firma spe freti, illum per quem Reges regnant et justa decernunt in firmitudine brachii sui Justitiae causa, armis nostris Caesareis et militiae Transylvaniae, benedictione divina adfuturum ac secundos Regiae intentionis successus largiturum. Sacramentum fidelitatis jam antea nobis transmissum, nihil ambigendum, quin immortalitatis studium non minus totam Patriam, quam illos, qui sub nostra Regia protectione consilio et curae commissam habent Provinciae administrationem, cum nunqaum intermoritura laude praestitam et opere ipso, in quibusvis emergentiis pro viribus comprobatam fidelitatem (quam ex aequo aestimamus) ad posteros transmittere eoque omni conatu generose adlaborare animabit, ne hostes regionem montibus coronae adinstar circumseptam, rapinis et praedis, igne et ferro misceant, jam tum ab omni aevo in unam mentem coalitas Nationes, pessimis stratagematum technis et irritamentis dissipando, graviori barbaris serviendi jugo mancipent gentemque toti hactenus Christianitati Antemuralem evertant.

[1]) Com. Nic. Bethlen in Vita s MSS. Lib. II. Cap. XIX in medio.

* desiderati Diplomatis (ed.)

** ac (ed.)

Confirmationem desiderati Diplomatis pro successione Michaelis Apafi in Principatum quod attinet. Cum is utpote adolescens quatuordecim annorum per Leges (quarum sanctam Generosi Status ducunt observantiam) ante vigesimum aetatis annum ad Regimen non sit adultus, his a perfidia Tökölii turbatis temporibus, neque in rem Transylvaniae, neque in patriae bonum vergere, perbenigne judicavimus, si quidquam ad memoratarum legum transgressionem innovari contingeret; proinde minorennis in timore Domini condignis per consiliarios intimos, qui commissam habent Provinciae administrationem, virtutibus in spem successionis usque ad annos pubertatis imbuendus, maturescentium in eo atque emicantium animi dotum specimina expectanda, Gratia demum Caesarea Regiaque in Patriae emolumentum benignissime complectenda. Ne vero interea temporis universi Transylvaniae ordines suspensis animis haerendi aut vel minimum praeter paternam nostram intentionem ominandi ansam habeant, de sequentibus Articulis fideles status et ordines in universum eorumque posteros, quos in omni erga Regiam coronam nostram fidelitate perstituros confidimus, sub verbo Regio et integerrima fide duximus esse assecurandos.

1. In casu Receptarum ibidem Religionum, Templorum, Scholarum, Parochiarum aut introductionis cujuscunque alterius cleri et personarum Ecclesiasticarum, quam ibi nunc extant, nihil alterabitur, contradictionibus quibuscunque sive sacri sive profani ordinis, nihil unquam in contrarium valentibus; ita tamen ut Catholici propriis suis sumptibus adeoque citra omne aliarum Religionum gravamen Claudiopoli in praesenti devotionis suae loco, sibi Ecclesiam, nec non Albae Juliae Templum minus, olim a Christophoro Bathorio erectum, nunc desolatum, reaedificent; iidemque Catholici ubique locorum, si pauci et peregrini sint, privatim, si vero eorum multi, tunc publici Religionis suae exercitii et condendarum Ecclesiarum jure gaudeant, aeque ac aliae in Transylvania Receptae Religiones tali casu, ubi nimirum in aliquo loco numero praevalent, gaudere consueverunt.

2. Confirmamus Fidelibus statibus omnes Hungariae Regum similiter omnium a tempore separatae ab Hungaria Transylvaniae ejusdemque Principum Donationes, Collationes, Privilegia, Armales, Titulos, Officia, Dignitates, Decimas et denique quaevis Beneficia ac bona sive privatis, sive civitatibus ac communitatibus et coetibus, sive cujuscunque ex receptis Religionibus addictae Ecclesiae, Parochiae vel scholae, tam in Transylvania, quam in partibus Hungariae, in Siculia et Debrecino

praedictis, factas et data*, etiamsi aliquando ad aliquam Ecclesiam, Conventum vel Capitulum pertinuerint, ita ut nemo omnino hac occasione in suis bonis nec per nos, nec per quemcunque sacri aut profani ordinis virum impetendo aut auctionando turbetur, sed unusquisque ea, quae nunc habet et possidet, posterum etiam teneat et possideat, secundum dictas Regum vel Principum Donationes, exceptis iis, si quorum Principum Donationes ipsi per suas constitutiones abrogassent.

3. Approbatas et compilatas Patriae illius Leges, Decreta, Tripartitum Verbötzii, expuncto tamen ibidem articulo nono Decreti Andreae Regis, qui in ultima Posoniensi Diaeta abolitus fuit, constitutiones, Jus Municipale nationis Saxonicae in vigore inviolabili permansura declaramus quidem; cum autem ipsimet status, tum ratione religionis, tum etiam constitutionum suarum ac privilegiorum inter se discrepent et catholici in praefatis 1 et 2 Articulis gravatos se existiment, Saxones vero Privilegiis suis antiquis et eorum usui et consuetudini in articulo tertio magis cautum esse efflagitent, e re ipsorummet statuum duximus, ut difficultates inter illos circa dictos tres Articulos vertentes, amicabili compositione et concordia sub ratificatione nostra Caesareo Regia complanare studeant, hac vero non succedente, auditis partibus opinioneque consiliariorum Nostrorum Transylv. desuper intellecta, reliquum nobis erit, id denique pro munere nostro Caesareo Regio decernere, quod justum et aequum compertum fuerit.

4. Morem usitatum, utpote, quem supremae Potestati non derogare invenimus in Guberniis consilii Intimi, comitiorum, suffragiorum, Politia ac Libertate, in Tabulae judiciariae Magistrorum, Protonotariorum et Assessorum, item et inferiorum Tribunalium Autoritate, in administrandae justitiae solito et ordine et usu (omnia tamen salvo in gravioribus recursu ad Regem) illaesa praecipimus conservanda. In oeconomicis quoque, quoad Regalia et Fiscalia praevia fidelissimorum Statuum sincera informatione, eam habituri rationem et modum, ut per commissiones Camerales aut alia via nemo Nobilium Civium aut Privatorum gravari possit aut debeat.

5. In omnibus sive ad Politiam sive Justitiam vel oeconomiam administrandam necessariis officiis utemur indigenis Transylvanis, Hungaris nempe, Siculis et Saxonibus, nullo habito religionis respectu, neque exterae Nationes aut quae nobiscum ab illis inter exteras et inhabiles dignoscuntur, ad honores et munera, quotiescunque ea vacare contigerit, praevalebunt; salva tamen nostra cum illorum consensa ad recipiendum aut non recipiendum in Matriculam commendatione.

6. Bonis ob defectum Prolium aut notam Infidelitatis aut** Fiscum

* datas (ed.)
** ad (ed.)

Regium devolvendis, bene meritos Transylvanos, Hungaros nempe Siculos et Saxones indigenas non attento religionis discrimine propensi erimus dignari. Illa vero Privatorum bona, quae armis nostris occupata sunt ab hostibus, antiquis possessoribus aut eorum posteritatibus ex mera benignitate Regia restituentur. Ad quem finem alicui Tribunali in Transylv. aut nostro belli Duci, ut vicis instrumentis, quod justum videbitur, decernat in hoc speciali casu ex commissione Regia benigne committemus.

7. Supremum Status Directorem nostrum pristinis temporibus Vajvodam dictum vel ejus vices gerentem ex indigenarum Transylvaniae Nobilium ac Procerum nostrorum numero, sive Catholicae sive alterius ibi receptae religionis fuerit, si fidelitate et meritis praepolleat, summemus. Idem quoque de munere Generalis Militiae Transylvanicae, cancellarii supremi, consiliariorum intimorum, comitum supremorum et capitaneorum inter Siculos, magistrorum protonotariorum, aliisque dignitatibus antea solitis observabitur. Et haec

8. cum tali modificatione clementissime largimur, ut Gubernatoris summi, Militiae Transyl. Generalis, Cancellarii, Intimi consiliariatus et Protonotariatus candidatos, si quando similia munia resarcienda venerint, Nobis ad confirmandum praesentent, ut tanto tranquillior diversarum nationum status persistat, periculosae machinationes aut ambitus exulent[1], atque omnium animis concordi desiderio salus publica, pro optimo Regiminis fine, in quem colliment universi, haereat radicata. Quod autem ad alios officiales attinet, nempe Judices Regios inter Saxones et Siculos, Judices Nobilium, vicecomites in comitatibus, judices, consules, et similia officia in civitatibus et oppidis, quae per liberam communitatum electionem apud ipsos constitui solent, in eadem etiam in posterum libertate ac consuetudine maneant, confirmatione tamen pariter nostra, sicut in praecedentibus, in quolibet ex dictis casibus impetranda.

9. Magnum inter salutis publicae incrementum redundare posse clementer existimavimus, si in consilio intimo duodecimvirali saltem tres sint Catholici, caeteris ex aliis Religionibus ipsorum recipiendis. Et quidem inter illos in consilio Intimo etiam Judex Regius Cibiniensis juxta Leges receptas ex natione Saxonica. Inter Magistros Protonotarios vero unus sit Catholicus, ex modernis tamen quilibet in suo officio persistat.

10. Annua comitia, ad negotia publica tractanda, justitiam administrandam et propositiones Regias, si quae fuerint intelligendas, necessaria, nec non terminorum octavalium celebrationem nostro Gubernatori et intimo consilio promulganda committimus, reservando nobis eorum omnium, quae sic geruntur, Regiam confirmationem.

11. Supremo status Directori Nostro sua sit authoritas, conditio et

praerogativa alias debita, semper ille in Provincia praesens, Legibus patriis tam quoad sacra quam profana solenni juramento obstrictus, congrua etiam stipendia et illi et singulis, de consilio intimo ac Tabula Judiciaria ex mediis aerarii nostri Regii et Fiscalibus benigne decernemus. Quod si utilitas publica et diversarum ibi degentium nationum tranquillitas illum quotannis mutare suaderet, liberrima statuum ad alium, quo citius eligendum fieri poterunt suffragia, pro nostra ulteriori clementissima resolutione transmittenda.

12. Tempore pacis (quod Deus pacis approximet) quinquaginta mille Imperialium Tributo, tempore autem belli contra Hungariam et Transylvaniam, quadringentorum Millium florenorum Rhenensium contributione, computatis etiam Naturalibus contenti erimus. Repartitionis et exactionis forma, penes fideles Status et Provinciae officiales, relicta et ab ipsis sine partium studio ad proportionem reducenda, caetera, quae ultra praedictas summas vel belli vel pacis tempore pro defensione patriae requirentur, amore fidelium statuum et universae plebis sublevandae causa ex bonis Regiis et Fiscalibus, nec non salis et reliquorum Metallorum Fodinis, Tricesimis, Decimis inter Saxones, Arenda Decimarum in Comitatibus aliisque nostris proventibus allaturi.

13. Dicas et alia apud ipsos usitata Exactionum genera introduci non curabimus, vectigalia aut tricesimas non augebimus.

14. Siculi genus hominum bellicosissimum ab omni Tributo, ab omni hybernorum aut aestivorum molestia, decimis et praestationibus, ratione Bonorum, quae cum onere insurgendi possident, velut hactenus ita in posterum sint penitus exempti. E contra pro tuenda Patria propriis impensis militare obstricti permaneant, non tamen subintellectis rusticis vel Jobbagionibus Siculis.

15. Liberum, sicuti sub Principibus fuit, quaestum sive commercia rerum omnium concedimus, benigne volentes ut et Nobilium praerogativae et privilegia hac in parte observentur.

16. Decimas autem consueta hactenus apud ipsos Arenda redimi solitas, Dominis Terrestribus relinquemus, Arenda tamen Fisco reservata.

17. Magnis et non necessariis Praesidiis partim ex militia indigena instituendis et ex nostro aerario alendis provinciam non onerabimus, Generalem tamen et caput Germanum illi praeficiemus, qui reciprocam cum Gubernatore, consilio Status et Generali Militiae Transylvanicae in omnibus negotiis bellicis correspondentiam habiturus, aliis ad praedictum Statuum aut Gubernium pertinentibus se non ingeret.

18. Tollimus a Saxonicae nationis et totius ubique miserae plebis cervicibus per abusum inveteratum gratuitam viatorum cujusvis generis vel conditionis victitationem, equorum ac omnis generis jumentorum angariationem, et Quartiriorum aliosque similes praesertim in dictam

nationem Saxonicam a viatoribus hactenus exercitos abusus: clementissime suadendo et jubendo, ut Postae remissa prius ad Aulam Nostram Informatione a consilio Status, Diversoria vero pro benevole recipiendis, justa pecunia et pretio cibandis itinerantibus, a Dominis terrestribus et civitatibus constituantur.

Nos itaque, qui pientissimum Regii muneris nostri executuri officium, universorum et singulorum Fidelium salutem, commune bonum, tranquillitatem publicam, rei pristinae incrementum et charissimam Transylvaniam nullo, Deo opitulante, Minotauri Turcici labyrintho deinceps implicandam cordi duximus, visis et examinatis praedictis Articulis et Punctis, pensantes eos honori et quieti et commodo statuum, ordinum et incolarum omnium universae Reipublicae Christianae conducere, eosdem in omnibus suis partibus et capitulis approbamus, et in perpetuum valitura Lege sancimus tenore praesentium, promittendo in verbo Regio, ac apud nos et nostram serenissimam Domum nunquam violabili fide, quod illis firmiter et inconcusse servabimus et servari faciemus, majora et majora semper in fidelissimam Nobis Gentem ponere beneficia propensi. Datum in Civitate Nostrae Viennae die IV Mensis Decembris anno Domini 1691, Regnorum Nostrorum Romani XXXIV. Hungar. XXXVII. Bohemici XXXVI.

Leopoldus.

(LS)

T. A. H. Comes de Stratmann.

Ad Mandatum Sac. Caes. Regiaeque Majestatis proprium, Stephanus Andreas de Verdenburg.

Fidejussores Diplomatis Bethlenius voluisset constitui Reges Angliae, Sueciae et alios Potentatores Reformatos; at vero Aula minime adsensit neque admisit. Confirmavit vero hoc Diploma per Resolutiones ad Gubernium an. 1694 die IV Decembris, anno 1697 die XVIII Aprilis, anno 1698 die XXV Aprilis.

§ VIII. Obiter hic interserendum: Obtinuerat anno 1688 Comes Antonius Karafa cum Cibinii commoraretur locum cultui sacro obeundo idoneum una cum Praesidiariis Militibus tam officialibus quam gregariis, atque sufficientem tabernam antea sartorum, quem locum etiam ad rem sacram perficiendam ornaverant. Verum hoc loco amplissimo non contentus P. Lucas Kolick, e societate Jesu Sacellanus Cibiniensis, scripserat ad Generalem Comitem Karafa Viennam profectum, locum illum Praesidiarios omnes jam non capere, in dies augeri suos auditores; dispiceret ergo ut sibi cum suis amplior et augustior locus daretur. Huic singularis Saxonum Patronus Karafa anno 1689 ita rescripsit: Si locus Cibinii Reverentiae vestrae concessus ipsum non capit, eat Romam in Vaticanum vel Lateranum, vel

vero in Basilcam Petri et Pauli, ibi satis spatii habebit[1]).

§ IX. *Catholici cum aliis Religionibus dissident.* — Quamvis Diplomate Regio cautum erat de Religionum Receptarum in Transylvania libertate et securitate, tamen Catholici varias formantes praetensiones excitarunt controversias cum aliis Religionibus, articulos Diplomatis primum et secundum peregrino sensu induentes.

Cum unusquisque pro sua Religione zelat et quid agendum sit inter se consultant, spargitur interea rumor 1) Templa trium Religionum a R. Catholicis militari brachio brevi fore occupanda, 2) Professentes tres illas Religiones Imperatori rebellasse. Qui rumor a malevolis in hunc finem est confictus, ut plebe conturbata ipsis in turbido piscari liceret. Hinc tres Religiones die 23 Martii an. 1692 Generalem Imperatoris armorum Praefectum Fridericum Comitem a Veterani adierunt de confictis querulantes rumoribus, insuper pro expetenda libertate tractandi de religione conformiter ad Diploma Caesareum, qui libenter et ultro concessit. Tractarunt igitur Reformati, Lutherani, Unitarii cum Romano Catholicis per duos fere menses, Catholicorum postulata, quae subinde renovabantur et immutabantur, ruminantes et quae salva sua Religione ac Diplomate Caesareo dare poterant, promiserunt; videlicet, Claudiopoli Templum Ovariense Reformatorum ac Scholam Unitariorum, ubi erat etiam Templum Saxonum Reformatorum, Templum Bathoraeum Albae Juliae, praeterea viginti millia florenorum ad Templa et Scholas erigendas; verum his omnibus minime contentabantur, sed quae hactenus alio et alio colore velaverant, tandem an. 1692 die XXVII Maji his articulis exhibuerunt:

1. Ut Episcopus cum omni jure suo Episcopali hanc Patriam ac Praepositus Cibinium ingredi possit.

2. Majus Templum, quod Claudiopoli in foro situm est ac in praesenti possidetur ab Unitariis, cum ad se pertinentiis, ac ubicunque locorum in civitatibus, et ubi plura sunt Templa et scholae, ibi omnino ubique et nobis paratum Templum et Schola cum omnibus ad ea pertinentibus proventibus detur; ubi non sunt liceat nobis aedificare; ubi vero numero praevaluerimus, juxta articulum Templum nobis relinquatur.

3. Ut Claudiopoli et Albae Juliae utrobivis unum paratorum collegiorum cum suis proventibus in manus nostras deveniat. Qui * si etiam alibi opus esset, liceat nobis libere collegia et scholas erigere, prout reliqui status habent.

4. Jesuitis et omnibus Religiosis ordinibus libere intrare Regnum ac suis in locis habitare liceat.

[1]) Georg Haner in Histor. MSS.ad h. annum 1688.

* quibus (ed.)

5. Circumscriptionis personarum tam inter ecclesiasticos quam seculares ne mentio quidem fiat.

6. Bona ad cujuscunque religionis Ecclesiam pertinentia sive jure impignorationis sive donationis ab aliis possessa cum omnibus eorum proventibus, si absque pecuniae depositione possidentur, dividantur aequaliter; quae vero pecunia redempta sunt depositis deponendis aequaliter dividantur.

Haec vero omnia justa, ad eandem mensuram pertinentia et amica sunt postulata, quam si quatuor liberi unius Parentis in quatuor partes dividenda postulent Bona.

His Catholicorum postulatis, Leges fundamenta unionis et Diploma Leopoldinum eversivis, tres aliae Religiones cum annuere inque interpretandis articulis inter se convenire non possent, controversiam decidendam pars utraque detulit Imperatori. Qui anno 1693 ita decrevit:

Leopoldus Divina favente Gratia &c.

Memoriae commendamus tenore praesentium, quorum interest, universis et singulis. Optasse Nos quidem juxta Appendicem Articuli tertii, Diplomatis a Nobis IV Decembris anni 1601 statibus et ordinibus Transylvaniae benignissime concessi, controversias de exercitio et bonis inter Catholicos et aliis in Transylvania receptis Religionibus addictos potuisse amicabiliter inter ipsos componi. Cum vero ex relatione Gubernii Nostri Transylvanici de 22 Julii anni superioris uberius intellexerimus, Tractatus inter illos desuper institutos fuisse irritos, et utrinque ad decisionem nostram Caesaream Regiam provocatum sit, Nos visis et consideratis iis, tum quae hinc inde in medium allata, tum quae a dicto Gubernio proposita sunt, rem judicavimus sequenti modo terminandam.

1. Quatuor Religiones in Transylvania Receptas in libero exercitio, Juribus, Bonis et Possessionibus, uti iis nunc fruuntur, sine turbatione qualicunque quiete et pacifice in posterum relinquendas esse.

2. Cum Catholicis ab addictis caeteris Religionibus Reformatum ut vocant Templum, una cum Unitariorum Collegio Claudiopoli et Albae Juliae Templum Bathorium, et simul oblatum sit, quod quindecim florenorum millibus pagum Monostor a moderno possessore redimere et Catholicis jure perennali in usus Ecclesiarum et Scholarum Catholicarum applicandum tradere velint, Nos id omne ratum gratumque habentes executioni quantocyus volumus demandari.

3. Curam habituri sumus, ut pro institutione juventutis Catholicae et Scholis tales adhibeantur Ecclesiastici, qui virtutum ac concordiae non minus quam literarum studiosi, nulli Religioni merito suspecti esse possint. Agemusque ut Catholicae Religioni, de idoneo Vicario Apostolico, qui omnia Episcopalia et quae muneris aut Juris ordinarii sunt administrare rite possit, prospiciatur.

Liberum denique Catholicis juxta ipsorummet statuum reliquis Religionibus addictorum declarationem et oblationem sit eritque in Residentiae suae locis et Civitatibus Ecclesias et exercitia, sine vitio aut detrimento exercitorum Templorum aut Redituum aliis Religionibus addictorum stabilire.

Et ita Articulum primum et secundum praelibati Diplomatis nostri declarantes omnia Diplomatis capita perpetuae sanctionis pragmaticae et fundamentalis sanctimonia inviolabiliter volumus observari. Datum Viennae an. 1693 die IX Aprilis [1]).

Haec eadem resolverat die XIV Aprilis ejusdem anni Catholicorum Ablegato, pariter Petro Alvintzi a Statibus et Ordinibus Transylvaniae ad Aulam Caesaream misso, hoc solum addito; Gratius foret si loco Templi Reformatorum Ovariensis, jam Catholicis promissi, Templum Unitariorum evacuaretur atque Catholicis transponeretur.

§ X. His non contenti Catholici mox alia atque alia praetendere coeperunt. Gravamina sua non admonitis aliis Religionibus Aulae per Comitem Stephanum Tsáki et Comitem Michaelem Mikes repraesentarunt obtinueruntque sequentem Resolutionem ad hunc usque diem amaros fructus Protestantibus proferentem.

Leopoldus &c. Illustres, Spectabiles, Magnifici &c. Notum vobis facimus Fideles nostros nobis dilectos, universum statum Catholicum charae nobis Transylvaniae certa sua gravamina et instantias humillime nobis porrexisse, quibus pro aequitate et justitia consideratis, ruminatis et digestis, ad eadem nos benignissime ita resolvisse:

1o. Ut Decimarum Quartae, quas Catholici pendere debent, in posterum non Acatholicis Praedicantibus seu Ministris, sed Ecclesiasticis Catholicis pendantur. Relicta pariter pro Acatholicis facultate, ut ipsi suae religionis Ministris uti hactenus consueverunt Decimas dare possint.

2do. Ut ex tribus candidatis ad officia in Diplomate expressa unus semper sit Catholicus.

3tio. Ut in civitatibus et oppidis tam ad Senatoria munera, quam ad majorum officiorum civicorum administrationem, sicut etiam in tribubus, aequali numero Catholici admittantur.

4to. Cum nos omnino velimus ut par et integra inter quatuor Receptas Religiones libertas et aequalitas servetur, idcirco consuetudines, leges et statuta, seu in communi ab Acatholicis, seu in particulari ab aliquibus urbibus vel oppidis, contra aequalitatem libertatis Catholicae Religionis lata, plene abolevimus et sustulimus, ita ut in posterum Catholici cum Acatholicis et praesertim Reformatis, Privilegiorum usu gaudeant et fruantur.

[1]) Histor. Diplom. App. pag. 32.

5to. Ut unum ex tribus Transylvaniae sigillis custodiae Catholicorum committatur, sicut etiam ut Catholici ad custodiam Actorum Publicorum seu Archivorum admittantur.

Quam clementissimam Caesareo Regiam Resolutionem nostram ut suo modo effectui ita mancipetis, ne praedicti Catholici contra hanc benignissimam Resolutionem nostram ullo modo graventur, vobis serio et clementer mandamus. Ita facturis Gratiam nostram Caesareo Regiam in omne tempus corroborantes. Datum in castro nostro Ebersdorf, die V mensis Septembris anno 1699, Regnorum Nostrorum Romani XLII. Hung. XLIV. Bohem. XLIII.

§ XI. Dici vix, scribi nullo modo potest, quantum negotii impetrata hac Resolutione tribus Religionibus Catholici facessiverint. Hactenus enim innitebantur Tractatibus cum Domo Austriaca et Diplomati Leopoldino, ubi omnia Privilegia, Libertates, Collationes, Donationes clementissime erant confirmatae; hac vero Resolutione omnia ea in fumum abibant. Catholici urgebant publicationem et executionem quinque Punctorum resolutorum aperteque dicebant: posse Caesarem omnia jam tollere et abolere, quae hactenus Protestantibus connivendo toleraverat [1]).

Protestantes conabantur insistere Diplomati illiusque sensui Resolutionem accommodare. Si enim Resolutio eo quo volebant Catholici sensu intelligi deberet, ut quicquid Religioni Catholicae contrariari videretur, id sustulit, abolevit Imperator, ita nullibi tuto consistetur. Approbatae, compilatae constitutiones legesque omnes erunt sublatae, Donationes cassatae, omnia Jura in confusum incertitudinis chaos conjicientur. Nihil non erit Catholicae religioni adversum eoque nomine sublatum. Decimas et Quartas a Leopoldo Imperatore apud Reformatos, Lutheranos et Unitarios confirmatas jam occupare quibusdam in locis nitebantur: qui rursum sua Jura tueri volebant. Accepto Mandato tres Religiones non Catholicae anno eodem 1699 die IV Octobris a gremio sui deputarunt, qui cum Catholicis tractarent. Tractatus cum sperato frustraretur effectu, Deputatos ad Aulam mittere decreverunt pro sensu Resolutionis accipiendo, qui ab accessu impediti, res turbis implexa mansit [2]) neque Resolutio est publicata. Interea spargitur exitialis rumor de Protestantium adversus Imperatorem rebellione ab eorum adversariis, cujus rumoris vindex erit Christus. Haner in Hist. MSS. ad an. 1699.

§ XII. Interea varias dabant informationes ad Aulam, cooperantes Stephanus Apor, Gabriel Hevenesi Jesuita cum Cardinali Leopoldo Kolonitsio aliique quidam. Severum igitur ad Gubernium expeditur Mandatum de publicatione Resolutionis, injungebatur insuper ut prospiceretur de habitatione Episcopi Catholici ac necessaria subsistentia. Mandatum ita est:

[1]) In compendio brevissimo Hist. Transylv. pag. 8.
[2]) In compendio brevissimo Hist. Transylv. pag. 33.

Leopoldus &c. Illustres Spectabiles ac Magnifici &c.

Displicenter sane percepimus, quod etsi variis iisque seriis benignis Mandatis nostris vobis clementer commiserimus, ut benignas vestras Resolutiones, mediantibus binis decretis, die 5ta mensis Septembris anno 1699 modo serio vobis notificatas, debitae et reali executioni tradere et mancipare velitis. Vos nihilominus nec ad praesens etiam non sine maximo culpabilitatis indicio, iisdem benignis Resolutionibus nostris satisfecistis. Cum autem ea sit constans et absoluta mens et intentio nostra, ut tam antelatae nostrae Resolutiones in praeattactis Decretis expressae, quam expost ad vos transmissae et transmittendae, omni celeritate obsequendique studio, per vos et eos, quorum interest et intererit, exactissime observentur. Hinc vobis clementer mandandum esse duximus, ut universa Mandata et decreta ad vos pro justitiae acceleratione secundandaque benigna mente et intentione nostra transmissa et transmittenda absque omni mora et cunctatione exequi, iisdemque pro debitâ fidelitatis vestrae obsequiositate morem gerere neutiquam intermittatis. Statuentes perbenigne, ut per cameram nostram Aulicam Episcopo Transsylvanico, Catholico, nobis dilecto de habitatione ac necessaria subsistentia prospiciatur. Ac fideli nobis pariter dilecto Francisco Henter Protonotario de sigillo provideatur, quod ipsum eidem camerae jam actu intimatum habentur &c. Omnibus superius declaratis vosmet accommodare, modis omnibus debeatis et teneamini, nisi aliam exequendae voluntatis nostrae sphaeram, sceptrigeramque Regiae Nostrae Auctoritatis et Dignitatis altitudinem vèlitis experiri. In reliquo vobis Gratia nostra Caesareo Regia propensi manemus. Datum Viennae Austriae die XX Aprilis Anni 1701.

Leopoldus

C. Samuel Kálnoki
Joannes Fiáth.

Mandatur hic etiam de Episcopo Catholico, quem anno 1601 in publicis comitiis Regno proscripserant Praesidente Stephano Tsáki et regnante Sigismundo Bathori Catholicis, cum ista conslusione:

Ne unquam talismodi Episcopus ipsi succedat, vel Episcopatus resurgat[1]). Ab eo tempore per centum annos Episcopus Catholicus in Transylvania non fuit, sed Vicariis Religionis Catholicae cura commissa est. Cum se Transylvani Regimini Austriaco submiserunt, inter alia unicum Punctum erat: Nunquam allaborabit sua Majestas in Transylvania erigere jus Patronatus aut sacerdotale, nec demandabit eam materiam statibus proponi. Ejusmodi quoque vicarium anno 1693 promiserat his verbis:

[1]) Vid. supra Lib. II Cap. ult. § VIII. Acta Comitior. Claudiop. an. 1601.

Agemusque ut Catholicae Religioni de idoneo vicario Apostolico, qui omnia Episcopalia et quae muneris aut Juris ordinarii sunt administrare rite possit, prospiciatur. Cum ex hoc mandato res fore turbulentiores inter Status et Religiones praevideret Rabutinius, Generalis in Transylvania armorum Praefectus, Clero Catholico parum favens, priusquam accepisset, comitia prudenter dissolvit. atque ita publicare non potuit [1]). Videbat enim talia a cardinali aliisque e clero proficisci.

§ XIII. Ne tamen vel minimo renitentiae crimine notari possent tres Religiones, sequenti requisierunt Aulam libello supplici:

Sacratissima Caesarea Regiaque Majestas! Domine, Domine Nobis Clementissime, Benignissime!

Qualem chari nostri Fratres Catholici propositionem praesentarint ratione quinque Punctorum a Vestra Majestate anno 1699 die quinta Septembris ad eorundem Fratrum Instantiam resolutorum Nobis fecerit et quale responsum iisdem dare potuimus, id vestra Majestas ex annexis copiis clementissime intelligere dignabitur. Humillime ergo Majestatem Vestram de genu oramus, ne de nobis renitentiae aut inobedientiae judicium statuere velit, antequam Majestati Vestrae humillimas in hac materia preces et lacrymas ad ejusdem pedes effundere nobis liceat, quarum benignam admissionem, ut et Caesareo Regiam consolationem demississime per viscera Jesu Christi ab innata Augustae Domus clementia imploramus et expectamus, ad quam et consiliariorum candidationem differre coacti sumus. Et his vestrae Majestati et toti Augustae Domui nostram omnis nostrae posteritatis fidem et devotionem in perpetuum obstringendo, Eidem felix et perenne Imperium precamur.

C. Georgius Bánfi	C. Nicolaus Bethlen
Joannes Kemény	Samuel Conrad
Joannes Sachs	Joannes Sárosi
Nicolaus Horváth	

§ XIV. Calamitates Reformatorum miseriis cumulando Collegium eorum manu militari anno 1700 ultima Junii Albae Juliae praeeunte Plebano Catholico occupaverant, quod tamen restituere tandem coacti sunt. Beneficia quae a Camera Ecclesiarum et Scholarum Reformatarum ministris dari solebant per Thesaurarium Stephanum Apor denegata. Productionem camera de iis requisivit, praestitit eam Nicolaus Bethlen Curator Ecclesiarum Ref. supremus et Michael Simonsi Protonotarius nomine Ecclesiarum coram Joanne Friderico Comite a Zeau Commissario Regio [2]). Cesserunt quoque anno 1702 scholam Templo Bathoraeo adhae-

[1]) Vita Nicol. Bethlen Lib. II. Cap. XXII circa medium.
[2]) ll. cc.

rentem Reformati Catholicis, Commissario Zeau nomine Regis ita postulante et omnia cedentibus promittente, unde nihil praestitum. Tunc Reformati exhibuerunt suam Declarationem, qua gravamina sua et continuas injurias pluribus quidem verbis cum affectu declararunt, quorum summa huc redit.

Recensent nimirum quod Templum Claudiopoli Ovariense, Albae Juliae Batorianum cesserint; pariter Collegium Unitariorum, Pagum Monostor proprio aere in rationem Catholicorum redemerunt; tamen non cessant apud Aulam sinistris informationibus continuo eos deferre, suspicionibus gravare et miserias miseriis addere, cujus fructus amarissimi sunt: 1) Decretum quinque Punctorum, in favorem Catholicorum, quo Diploma tollere satagunt. 2) Mandatum severum tam in aliis, quam praecipue in negotio Episcopi Catholici. 3) Rumor falsus iniquissime confictus, quo spargebatur Reformatos velle Imperatori rebellare. 4) Accusatio Gubernatoris et Cancellarii in Aula et disgratia illis conciliata. 5) Beneficii Ecclesiastici e Camera ordinarie provenientis retentio per Thesaurarium, unde Ecclesiarum sequitur eversio. 6) Taxae Debreciniensis in usum Collegii Enyedensis exhibendae suspensio. 7) Collegii Ref. Albani an. 1700 ultima Junii per milites instigante Plebano occupatio. 8) Neglectus et repudium Reformatorum ex officiis publicis. 9) Comminationes in Reformatos conjectae et denigrationes eorundem. 10) Asylum in rationem sceleratorum erectum, spe enim impunitatis homicida, moechus et quivis sceleratus ad eos confugiens recipitur et defenditur. 11) Pauli Mikes, Petri Makrai filiorum apud se detentio, ne illi in religione parentum educarentur, sed in religione Catholicorum, quod Principes Reformati minime faciebant. 12) Coactio Valachorum ad unionem cum Catholicis; cui superintendens Reformatus coram statibus contradixit, quoniam ab antiquo cum Reformatis erant uniti. Nunc vero armata coguntur manu ad unionem cum Catholicis; qui renuerint, incarcerantur bonisque suis spoliantur; in quibus Reformati persecutionem patiuntur.

Cesserunt nunc scholam Templo Bathoraeo adhaerentem coram Commissario Regio, varias adhibentes conditiones, inter alias 1) Quoniam Gabriel Bethlen piae memoriae Princeps in proprio fundo suo aere redempto erexerat in Reformatorum rationem et Decimis Kelnekiensibus dotaverat; nec ad eas Decimas nec ad alia beneficia Templum spectantia praetensiones forment. 2) Domos plures scholae ne adjungant. 3) Asylum ibidem pro sceleratis non erigant. 4) Tempore Processionum suarum turbas excitare praecaveant. 5) Desinant jam alia et alia postulare, sed pacem, unionem et harmoniam colant. Subscripserunt huic Tractatui Reformatorum nomine C. Georgius Bánfi, C. Nicolaus Bethlen, C. Samuel Bethlen, C. Franciscus Gyulai, Stephanus Nalatzi, Samuel Keresztesi, Michael Bartsai, Wolfangus Bánfi [1]).

[1]) Ex Actis MSS.

§ XV. Circa idem tempus iterato severum venit Mandatum de publicatione quinque Punctorum in favorem Catholicorum resolutorum, quod quidem ita se habet:

Leopoldus &c Illustres, Spectabiles, Magnifici &c.

Tametsi vobis sub seria animadversione nostra, quod nisi aliam exequendae benignae voluntatis nostrae sphaeram sceptrigeramque Regiae auctoritatis altitudinem velitis experiri, in anno adhuc Domini 1701 die vero XX Aprilis non ita dudum transacto praeterita commiseramus et demandaveramus, quatenus vos Puncta in Anno 1699 die quinta mensis Septembris ad observandam parem inter quatuor Receptas religiones libertatem et aequalitatem tendentia et collimantia per nos benignissime resoluta. non minus alia etiam in eodem comprehensa ad amussim citra omnem renitentiam, ut fideles subditos decet, observetis debitaeque executioni mancipetis, ac per eos, quorum interest, observari facere non intermittatis. Vos tamen manifesta ducti contumacia in palpabile Regiae nostrae auctoritatis vilipendium postergationemque Regiorum Nostrorum Mandatorum nec Puncta in Anno 1699 praeattacta, sed nec alias benignas Resolutiones nostras in recentiori benigno Mandato fusius deductas et declaratas ad hodiernum usque diem debito fine terminastis, perque eos quorum intererat terminari curastis taliterque vos inobedientes et negligentes reddere non formidastis.

Quamobrem justissimum quidem esset adversus contemtores Mandatorum Nostrorum strictiorem et arctiorem procedendi modalitatem arripere, volentes tamen non legis rigorem, quam sceptrigerae nostrae auctoritatis altitudinem lenitate clementiae nostrae temperare, vobis adhuc semel et ex superabundanti firmiter praecipientes committimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, nullo expectato ulteriori Mandato nostro, citra omnem moram et tergiversationem, uti fideles subditos decet, pro homagialis vestrae observantia tum praefata Puncta, tum vero alias Resolutiones nostras in praementionatis nostris benignis Decretis contentas et expressas executioni tradere modis omnibus debeatis et teneamini.

Ac praeterea statuimus, ut a modo imposterum, si aliqua Mandata nostra, quocunque in negotio, potissimum autem religionis, ad vos transmiserimus, nullatenus occultentur, verum coram omnibus omnium religionum Gubernii Consiliariis praelegantur, vel si id commode fieri nequiret, ad minimum unus ex qualibet religione interesse debeat. Porro si aliqui ex Regnicolis aliquam dignitatem ad nos pro electione et confirmatione Regia, per vos candidati transmittentur, tempore candidationis et collectionis votorum non solum fideles nobis dilecti Gubernator et Cancellarius, sed etiam unus ex Catholicis gradu et auctoritate prior semper adhibeatur, sine cujus subscriptione nullae ad nos dentur Informationes, nullae fiant per Regnum generales Impositiones, nulla ex

Quanto Portionali, seu alio Regnum quocunque modo concernente admittantur Assignationes, multo minus particulares erogationes. Quae omnia tam rigorose et exacte observanda esse volumus, quod si praeter hanc nostram determinationem aliquid fieri contingeret, id pro irrito et nullo reputabimus. Vobis in reliquo Gratia Caesarea Regia propensi manemus. Datum in Civitate Nostra Viennae Aust. die XIII Febr. Anno 1702.

Leopoldus.

C. Samuel Kálnoki
Joannes Fiáth.

§ XVI. *Tractatur cum Catholicis.* — Mandato accepto conabantur satisfacere, ita tamen ut verus Diplomatis quoque sensus loco suo maneret. Tractatum igitur cum Catholicis inierunt tres aliae religiones primum, mox duae tantum Reformata et Unitaria, nam Lutherana ex consilio Joannis Sachs ab eis separavit se ob hanc causam, quoniam Puncta illa praetensa directe Hungaros, non vero Saxones ferirent. Tractatum suum in hanc formam conscripserunt et posteris reliquerunt sequentibus verbis conscriptam.

In anno 1699 die 5 Septembris a sacratissima Caesarea Regiaque Majestate resolutorum et a Dominis Catholicis impressorum quinque Punctorum in effectum deductionis impedimentum vel remora fuit, quod uti eadem illa sacra Scriptura, qua omnes Christianae religiones vel confessiones utuntur, ab hac religione sic, ab illa ita intelligitur et explicatur, ita benignissima illa Caesarea Resolutio a Dominis Catholicis hoc, ab aliis autem religionibus alio modo intelligebatur et intelligitur, uti sequens relatio ostendet et ideo in anno 1699 die 4 Octobris tres religiones non Catholicae consuluerunt per Deputatos a sua Majestate (quam supponebant Diplomatibus suis nullatenus per ista Puncta praejudicare velle) auditis partibus, genuinam explicationem impetrare; sed ista Deputatio non successit, cujus rationes suo loco et tempore coram magis, quam nunc scripto explicari poterunt. Postea iterum eaedem tres Religiones per Memoriale anno 1701 die 8 Julii, sub trium personarum ex singulis religionibus subscriptione, oraverant suam Majestatem pro admissione Deputationis super istis religiosis Augustam Aulam sincere informaturae et supplicaturae. Sed ad illud Memoriale hucusque Resolutio suae Majestatis suspensa est. Et hinc judicari potest, non neglecta, multo minus contempta esse Caesarea super illis Mandata, sed sub destinatarum ad Aulam precum et benignae Resolutionis inde venturae spe, esse effectum dilatum, cujus in materiis tam in contrarios sensus tractis acceleratio, non praeconsulta et exacte informata Aula, non videbatur e servitio suae Majestatis futura, utpote plures in populo confusiones et strepitus paritura. Mens autem trium tunc conjunctarum Religionum, nunc vero

duarum nempe Reformatae et Unitariae (quia Lutherana se ab ipsis separavit) de illorum sensu haec est.

1. Ubicunque Ministris vel Sacerdotibus cujuslibet religionis Decimae vel Quartae non vi Juris Regii, Donatione alicujus Regis vel Principis aut Legibus roborati, sed tantum ex spontanea illius Ecclesiae oblatione et consuetudine pro salario dari solent, ibi revera nemo tenetur sacerdoti vel pastori alterius Religionis quam suae dare; sed ubi vi juris Regum et Legum talia salaria sunt, debent manere illis, quibus per Donationes olim collata et per Diploma suae Majestatis ac leges Regni relicta sunt. Nec credimus suam Majestatem hoc Punctum aliter intelligere.

2. Cum Religiones credant suam Majestatem nec Diplomatis primi articulo 4 et 5, nec Resolutionibus anno 1693 die 14 Aprilis Art. VI et anno 1697 die 18 Aprilis emanantis praejudicare velle, illis ergo salvis hoc Punctum vel hodie obsequiose practicatur.

3. Nemo ab officiis et tribubus propterea quod Catholicus est excludi poterit, dummodo sit civis capax et eligatur eadem, qua Acatholicus quilibet, libertate. Unam Claudiopolim hic excipit contractus Reformatae et Unitariae Religionum, sed quem contractum licet ipsis, si volunt Claudiopolitani, dispensare, et catholicos illorum numero proportionate ad officia admittere, quod etiam suadetur.

4. Vocabulum istud: A b o l e v i m u s intelligunt Religiones, quod hoc non nunc, sed in Diplomate primo et secundo, et in citatis Resolutionibus sua Majestas perfecerit, quae uti Religiones tunc laeto corde amplexae, ita et nunc humillimo obsequio exosculantur ac benignam et aequam illorum praxin a sua Majestate uti humili cum fiducia expectant. Ita Reformati praesertim pro speciali quam in illius fine vident suae Majestatis clementia demississimas gratias agunt, nec praxin hujus Puncti, salvis illis, ullatenus detrectarunt nec detrectabunt.

5. Nec hactenus his caruerunt Domini catholici nec imposterum arcebuntur, dummodo omnia decenter et ordine fiant.

6. Praetensio illa subscriptionis, si politica vel honoris magis est quam conscientiae et religionis, non ignorant Religiones et praesertim illi, quibus socius subscribens additur sibi obsequii gloriam esse relictam. Si vero ab aequalitate vel paritate Religionum procedit, videtur illa requirere, ut omnes quatuor receptae Religiones ad talem subscriptionem aeque admittantur. Uti nomine Lutheranae Religionis Dominus Johannes Sachs superinde etiam protestatus est. Quare hic expectatur benignissima suae Majestatis determinatio.

7. Capellae de Fonte Jesu nominatae Status et Mandati de illa dati effectus pendet ab inquisitione legitima, cui se Telekii obsequentissime semper submiserunt et submittunt etiam nunc. De Domino Capellae in Vasarhelly nulla lis, si Catholicus frater, qui antea praetendebat, velit.

8. Quandoquidem pro Transylvaniae status ratione sapientissime et pro omnibus quatuor Religionibus aeque clementissime sua Majestas negotium Templorum in Diplomatis primi Articulo primo, in secundi vero Diplomatis articulo primo et ultimo determinavit et cupiunt Reformati Templum Borbandiense, cum illorum Diplomatum et Caesarei Rescripti anno 1701 die 12 Decembris emanati violatione, ipsis via facti ereptum restitui, cum satisfactione de vi et injuria et poena a sua Majestate in proxime citato de 12 Decembris anni 1701 Decreto resoluta.

Haec vero omnia quam longe aliter intelligant et explicent et practicari cupiant Domini Catholici, id ex relatione subnexa patebit. Quorum non aliud post tot tempestates videtur remedium quam illud, quod in relationis conclusione a sua Majestate humillime oratur, nempe ex Generali commendante et commissione Caesarea utraque Transylvaniam bene noscente et si plures adjungere illis suae Majestati placuerit erecta extraordinaria commissio ibidem fusius videnda. Miserum enim et valde triste est, legere id, quod Domini Fratres Catholici inter impressa duo Decreta Caesarea de suo addiderunt, et clementissimi Principis ac vere Patris manibus inconvenientissimi Fulminis termino usi sunt. Cui nos ut talia aspergamus Deus vel umbram cogitationis talis avertat a Nobis. Albae Juliae die XXVI Junii anno 1702. Ex parte Reformatorum subscripserunt: Comes Georgius Bánfi, C. Nicolaus Bethlen, Samuel Keresztesi [1]).

§ XVII. Tractatus iste cum similibus parum profuit Reformatis; nam quod ultro e suis cedebant, Catholici accipiebant, alia autem via facti occupabant, nec in futurum securitatem habebant ullam, cum articulis Diplomatis Regii sese non conformarent. Viennam igitur anno 1703 ablegant Deputatum suum Petrum Püspöki supremum Judicem Comitatus Albensis, qui querelas eorum pure religiosas Augustissimo Imperatori deferret, medelamque eorum cum lacrymis exoraret. Summa earum fuit:

1. Cesserant Reformati scholam Templo Bathoraeo contiguam, praeterea hortum scholae vicinum proprio aere emptum ad intimationem Frid. Comitis Zeau Commissarii, qui a sua Majestate alium impetraturum promiserat Reformatis, qui tandem praestitit nihil: demisse igitur hortum alium sibi dari supplicant et conditionum, quibus schola cessa est, adimpletionem.

2. A septem annis, beneficiis Ecclesiae Reformatae et Scholae celebriores privatae sunt suis; quae annuos 6689 Rhenenses faciunt, unde marcescunt et desolationi sunt vicinae; supplicant igitur humillime pro iis de Jure exhibendis et consolatione admaturanda.

3. Quinque religiosa Puncta, suae Majestatis sacratissimae paterna intentione emanata, Catholici contra mentem Sacri Diplomatis et idem

[1]) Extat in Compendio brevissimo Hist. Transylv. pag. 33.

secutarum Resolutionum interpretari et usurpare coeperunt. Recurrunt igitur ad suam Majestatem pro conciliatione eorundem Punctorum cum sacro Diplomate et Resolutionibus inviolabilibus. Si autem conciliatio suae Majestati displiceret, delegetur commissio extraordinaria ad complanandam controversiam, interea silentium et abstinentia a facti via omnibus imponatur.

4. Conquerebantur contra usurpationem redituum coeptam in quibusdam Ecclesiis, adversus Patriae leges et instrumenta Donationum. Protectionem igitur adversus violentos usurpatores, qui in Jura aliorum involant, orabant.

5. In Sacro Diplomate Religioni Catholicae Jus condendarum Ecclesiarum, at non occupandarum est impertitum. Sed quia Templum Borbandiense proprio motu et auctoritate aliqui Catholici occuparunt, ac inquisitionem super eruenda facti veritate impediverunt, supplicantur a sua Majestate seren. impartiales Inquisitores ac etiam Templi ad mentem Decreti suae Majestatis de 12 Decembr. anno 1701 emanati restitutio [1]).

Erant et alia quorum reformationem ab Imperatoria Majestate solicitabant; at praecipue petebant exauditionem considerationum suarum in quinque Puncta factarum; ea obtenta, quae Caesar audita quoque parte altera resolverit, iis morem gesturi. Non tamen impetrant priusquam Cardinalis a Kolonits Reformatorum Deputato ad desperationem de resolutione Caesaris alia, quam ipse diceret persuaso, aliunde diutinae solicitationis pertaesum, licet nulla de Tractatu potestate instructum, ad aliquem circa jam dicta quinque Puncta mentis suae consensum subscriptione manus propriae factum deduceret. Detulit hoc Deputatus ad suos Principales per literas et increpitus ab ipsis, qui demum coram Ministerio Aulico se potestate tractandi caruisse explicat. Cardinalis vero subscriptioni utut nulla potestate nixae inhaeret, superveniunt tumultus Hungarici sub finem et tam Commissionis Extraordinariae circa remedium miseriarum progressum quam Religiosorum resolutionem cum aliis omnibus suspendunt [2]).

Priusquam Reformatorum Deputatus Petrus Püspöki Enyediensis Vienna rediisset, civitas Enyed cum collegio Reformatorum anno 1704 die Palmarum jussu Rabutinii ferro et igni subjecta est atque cum castello et Templo incinerata. Quam cladem desolatae redditus patriae carmine deflevit, moxque morbo circumventus ut ejus exuviae juxta caesorum collegii civium corpora in exitu plateae Miriszlo tumularentur, monumentumque tanti casus, certa ad id legata pecuniae summa, a curatoribus erigeretur, quos pie obstrinxit, testamento cavit.

[1]) Ibidem ll. cc. pag. 35.
[2]) Ibidem ll. cc. pag. 8. 9.

§ XVIII. Imperatore Leopoldo die quinta Maji anni 1705 ex hac mortali vita discedente, Josephus jam pridem in successorem electus et coronatus in Regimine successit, qui die Xmo ejusdem mensis sequentes ad status et ordines Transylvaniae dedit literas.

Josephus &c. Illustres, Spectabiles, Magnifici &c.

Posteaquam ex Divinae Majestatis arcano consilio pro liberrima ejus in Reges et Principes orbis terrarum dispositione factum, ut sacratissimus Princeps Dominus Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator ac Germaniae, Hungariae Bohemiaeque Rex, genitor noster colendissimus, post exantlatos tot gloriosos conatus, morbo lethali correptus, die quinta mensis currentis Maji, vitam cum morte placidissime commutaret, quod reliquum erat, corpus ejus exsangue, more et ritu Augustae Domus nostrae Majorum, suis solemnitatibus humatum est.

Quemadmodum itaque tristissimus hic casus nos, Augustam Nostram Domum omnesque fideles subditos justissimo dolore afficit, sic etiam ad capessendas juxta sacri Romani Imperii Regni quoque Nostri Hungariae ac aliorum quoque Regnorum et Provinciarum nostrarum haereditariarum habenas, nec non procurandam, hoc praecipuo turbido rerum statu, populis nobis jam subjectis salutem nos vocavit. Quod ipsum vobis perbenigne significandum esse duximus, ut vos quoque inter alias Provincias nostras, tum tristissimam Domini et Regis vestri mortem, tum etiam felicem nostrum ad Imperatorios et Regios fasces aditum cognoscere possitis, nec non in decentis luctus significationem vosmet componere.

Assecuramus autem porro vos verbo nostro Regio, nos ullum Principis et Regis boni munus intermissuros, quin imo fidelissimos nobis Trium Nationum et Quatuor ibidem Receptarum Religionum status et ordines, reliquosve cujusvis gradus et conditionis subditos nostros in communi et particulari, tam sacra quam profana, quod spectat in earum Juribus, Legibus, Privilegiis, Immunitatibusque et Indultis, quae videlicet ab alte dicto Augustissimo Praedecessore et Genitore nostro desideratissimo, seu Diplomatice, seu aliis sacrum hoc Diploma secutis benignissimis resolutionibus et sanctionibus charae nobis Transylvaniae concessa et indulta fuere, clementissime non modo confirmaturos, verum et illibate conservaturos, omniaque et singula benigne promissa effectui mancipaturos esse paterne.

Quo chara haec nostra Provincia, simul cum Regno nostro Hungariae, quantocyus malis praesentibus liberata praedictis omnibus pacato frui et gaudere possit. In quem finem necessaria et media et vires praesto sunt, auxiliante Deo effectu suo haud caritura.

Quia vero benigne intelleximus charae nobis Provinciae partem sinceram necessitatibus Militiae nostrae in visceribus ejus degentis multifariam subvenisse et opem tulisse. Quicunque ergo vestrum sive in particulari sive in communi hoc turbato rerum statu, servitio nostro et bono publico ita exigente, argentum seu signatum seu rude, vel caelatum, seu aliud quidpiam in natura dictae Militiae nostrae durantibus hisce malis praestitissent vel praestarent, si casus ferret etiam in futurum, id totum a nobis pro insigni fidelitatis argumento non modo accipi, verum verbo nostro Regio assecuratos vos esse praesentibus nostris benigne volumus. Reddita Transylvaniae pace omnibus justam et plenam satisfactionem omni meliori modo quantocyus et quam certissime procuraturos et demandaturos esse, qui fidem et devotionem vestram ad praesens usque tempus constantem, utut multis machinationibus tentatam, sed nunquam eversam, ex aequo aestimamus, et propterea clementia nostra Caesareo Regia vos quam benignissime complectimur. Datum in civitate nostra Viennae Austriae die X mensis Maji anno Domini 1705. Regnorum Nostrorum, Romani XVI. Hungarici XVIII. Bohemici 1°.

Josephus.

Comes Samuel Kálnoki.
Ad Mandatum sacrae Caes. Regiaeque Majestatis proprium
Andreas Sz. Kereszti mp.

Eodem die inter alia ad Gubernium Regium clementissime mandata jusserat, ut generali amnestia proposita qui Patriae turbatoribus adhaesissent revocarentur, his verbis: „Quia vero exordium Regiminis nostri a clementia capere benigne constituimus, ideo vobis clementissime mandamus, ut communicatis cum spectabili ac magnifico Joanne Ludovico Rabutin Comite de Bussi, Generale campi Marschallo, unius Regiminis Desultoriorum colonello ac per Transylvaniam armorum nostrorum Praefecto, consiliis, benignissimam hancce voluntatem nostram iis, qui quocunque modo et de causa, sive sua sponte sive ab aliis persuasi sive miseriis forsitan adacti, Abalienatorum et Rebellium cohorti sese associassent, eo quo e servitio nostro et salute patriae vobis visum fuerit, modo publicare, deque generali omnium hactenus gestorum et patratorum Amnestia absque ullo discrimine seu respectu personarum et delictorum deque Gratia capitum et bonorum irrevocabili, ipso reditus ad fidem et resipiscentiam actu consequenda, sacro nostro verbo Regio assecurare velitis, in casu ulterioris pervicaciae certo certius justam animadversionem nostram Regiam sua culpa experturos."

§ XIX. Tumultus iste per Franciscum Rákotzi excitatus duravit per plurimos annos, qui Transylvaniam quoque in solitudinem redegit, bonis hominibusque spoliatam. Expilabant partim Hungari ipsi a Rege abalienati,

et consumebant, quae redigere in suam potestatem poterant. Partim consumpsit Rabutinius Generalis armorum Caesareorum Praefectus, natura ferox et praefervidus, qui malo Transylvaniam depascenti medicamentum adhibuit durius, neque clementia, ut jussus erat, temperare in tempore perrexit. Is enim ignis sententiae addixit loca plurima, utpote oppida Alvintz et Borberek, Torotzko, Zalakna cum quinque pagis, Castellum Halmágy cum duobus pagis, Gyogy, Jolt, civitatem Enyed cum collegio, Somlyo, Zilaj, ubi ne infantibus parsum est, Des, in sede Arannyas sex pagos, in sede Udvarhelly quadraginta sex pagos, in sede Háromszék viginti novem pagos, in his, qui fuga salutem quaesierunt, ii solum remanserunt aut quibus Executorum clementia pepercit, alias innocentes quoque ferrum et ignis aeque hausit. Similiter Bona incineravit omnium etiam eorum qui Cibinii sub ejus protectione erant, solius Gubernatoris quinquaginta sex acervos tritici combussit, et aliquot millia curruum foeni in Bontzhida, quid ergo in tota Provincia in aliorum Magnatum Possessionibus? Nec clementiores in naturalibus conservandis ejus adversarii erant.[1]). Fessi tandem armis et pressi calamitatibus confugerunt ad Regis clementiam vitae bonorumque gratiam promittentem, unde anno MDCCXI facta est Compositio Szathmariensis Regnique pax et tranquillitas.

CAPUT SEPTIMUM.

De Reformatis Transylvaniae Principibus Ecclesiarum orthodoxarum Patronis.

§ I. *Stephanus Botskai Princeps.* — Quanto profundior est calamitas, certius periculum, tanto est eminentior in eliberando Dei manus, illustrius ejus auxilium, memoriaque digniores, quos Deus e machina quasi producit in publicis ad res stabiliendas miseriis. Aequum igitur est, ut benigniorem eorum conservare studeamus memoriam, quos Deus ad tutandam in Hungaria Transylvaniaque suam gloriam in hac temporis periodo in theatrum clementissime produxerat. Tales erant Reformati in Transylvania Principes, qui per centum fere annos, non interrupta serie sese excipientes, regendae praepositi erant Transylvaniae. Primus eorum fuit

[1]) Gemitus Transylvaniae jam jam exspirantis.

Stephanus Botskai

Qui originem ducebat ex antiquissima Botskaiorum superius jam descripta [1]) familia. Patre genitus Georgio, in lucemque editus Claudiopoli anno 1556 die Veneris, eoque die fortunam auspicatus, omnes victorias reportavit, eo die in Principem inauguratus, a Turcarum Sultanno corona donatus, eo die urbes in Hungaria deditione accepit, et fere quicquid prosperi illi accidit, die Veneris contigit. Quod egregio carmine vates coaevus celebravit muroque domus Claudiopoli ubi vitales auras hauserat inscripsit [2]). A puero fere rebus Transylvanicis immixtus, sub Principibus Bathoriis omnibus interfuit. Cum tandem sub Rodolpho Joannes Jacobus Barbianus comes Bellijojae Protestantes in Hungaria opprimeret, bona etiam Botskaiana praedae militum exposuit. Botskai quaesitam ab Aula medelam et protectionem cum nec auditus non invenisset, signum adversus Praefectos militae Caesareae extulit, pedites ad se pellexit, Caesareanos sibi oppositos fudit et fugavit, Hungariamque occupavit anno 1604. Sequenti tandem anno a proceribus Hungariae et Transylvaniae in Principem eligitur ac ab Imperatore Turcarum in Principatu confirmatur.

Cum Medie in Transylvania comitia celebraret, privilegio ministrorum orthodoxorum viduas liberosque clementer donavit, quod Gabriel Bethlenius successor in Principatu anno 1618 confirmavit.

Privilegium ita est cum confirmatione:

Nos Gabriel Bethlen Dei Gratia Princeps Transylvaniae, Partium Regni Hungariae Dominus et Siculorum comes &c. memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod Reverendi Domini Stephanus Melotai ac Johannes de Keserüi Concionatores nostri Aulici exhibuerunt nobis et praesentaverunt in Personis universorum verbi Dei orthodoxae religionis ministrorum, ubivis in hoc Regno Nostro Transylvaniae degentium, annuentionales serenissimi quondam Domini Principis Stephani Dei Gratia Hungarorum Transylvaniaeque Principis et Siculorum comitis &c. piae reminiscentiae in pergamine patenter confectas et emanatas sigilloque ejusdem pendenti in cera rubea et manuscriptione roboratas. Quibus mediantibus idem Dominus Stephanus Princeps id universis et singulis verbi Dei ministrorum relictis viduis atque orphanis gratiose annuisse et concessisse dignoscebatur, ut ipsae viduae liberique universi, ubivis in praedicto Regno Transylvaniae tam diu donec nomen et titulum maritorum defunctorum gesserint, ab omni censuum, taxarum et contributionum, decimarum, nonarum et capeciarum pensione servitiorumque quorumlibet exhibitione liberae immunesque existant atque habeantur, tenoris infra scripti. Supplicant nobis debita cum Instantia

[1]) Superius Lib. II. Cap. V. § 17.
[2]) Extat Claudiopoli in domo Botskaiana.

ut nos easdem Literas omniaque et singula, in iisdem contenta, ratas, gratas et acceptas habentes, praesentibus literis verbotenus inseri et inscribi facientes, pro universorum praescriptorum verbi Dei ministrorum relictis viduis orphanisque perpetuo valiturum gratiose confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum annuentionalium tenor talis est:

Nos Stephanus Dei Gratia Hungariae Transylvaniaeque Princeps et Siculorum Comes &c. memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quod cum uxores, liberi, verbi Dei preconum post mortem et discessum, crebro propter temporis diversitatem, praesertim hac tempestate, in maximam et pene intolerabilem paupertatem simul et calamitatem devenire subque tectis aliorum misere et plane funesta facie divagari contingat, ad sedulam Reverendi Michaelis Ruberi Thasnadi, pastoris Ecclesiae oppidi nostri Enyed et Superintendentis Ecclesiarum orthodoxarum, verbi Dei preconis, pro partibus et in personis universorum Pastorum ubivis in hoc Regno Transylvaniae degentium, ex synodo eorum generali cum plena instructione ad nos ablegatorum, intercessionem serenitati Nostrae factam, tum vero pietate ac misericordia illa, qua erga tales viduas, orphanos et oppressos afficimur, moti atque adeo volentes eosdem gratia et favore pio nostro Principali prosequi, ut scilicet moesta et lugubris earum conditio aliquod specialis refugii et solatii decus capiat, id universorum et singulorum verbi Dei preconum seu ministrorum uti praemissum est Transylvanicorum relictis viduis atque orphanis gratiose annuendum et concedendum duximus, ut ipsae viduae liberique universi ubivis in hoc praedicto Regno Nostro Transylvaniae tam diu, donec nomen et titulum maritorum defunctorum gesserint, ab omni censuum, taxarum, contributionum, decimarum, nonarum et capeciarum pensione et servitiorum quorumlibet plebeorum exhibitione penitus exemptae et immunes liberaeque existant atque habeantur, prout etiam eximimus praesentium per vigorem. Proinde omnibus et singulis fidelibus nostris spectabilibus, Magnificis, Generosis et Nobilibus, comitibus, vicecomitibus et Judlium quorumcunque comitatuum capitaneis, Praefectis, Provisoribus, Castellanis arcium eorumque vicem gerentibus, prudentibus item ac circumspectis, Magistris civium, Primariis Regiisque Judicibus, Villicis et Juratis civibus quarumlibet civitatum, oppidorum, Villarum et Possessionum, cunctis etiam aliis Judicibus, Villicis et Juratis civibus quarumlibet civitatum, oppidorum, villarum et possessionum, cunctis aliis etiam Judicibus in dicto Regno Nostro Transylvaniae constitutis et commorantibus praesentes Nostras visuris, lecturis et audituris, harum serie committimus et mandamus firmiter, quatenus vos quoque easdem praefatorum verbi Dei ministrorum viduas, praesentes scilicet et futuras, cum suis liberis tempus infra per nos concessum, ad nullam censuum, taxarum et contributionum solutionem, decimarum, nonarum,

et capeciarum pensionem, servitiorum quorumlibet plebeorum exhibitionem a modo deinceps cogere et compellere praesumatis. Quin potius pro vestra pietate, in quantum fieri potest, necessitate ita exigente, eisdem pio et salutari sublevamine adesse velitis, secus non facturi, praesentibus perlectis Exhibenti Restitutis. Super qua quidem gratiosa nostra annuentia et immunitate praefatis omnibus Pastorum in Transylvania relictis viduis eorumque liberis praesentes literas hasce nostras Privilegiales, pendentis et authentici sigilli nostri munimine roboratas, gratiose dandas esse duximus et concedendas harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in civitate Nostra Medgyes die decima sexta mensis Septembris anno Domini millesimo sexcentesimo quinto.

Nos itaque praemissa hujusmodi supplicatione annotatorum Stephani Melotai et Johannis Keserüi, caeterorumque ac universorum et singulorum verbi Dei ministrorum in praedicto Nostro Regno Transylvaniae commorantium, nobis modo, quo supra, porrecta, benigne exaudita et clementer admissa, universas praescriptas literas annotati serenissimi quondam Stephani Dei gratia Hung. Transylvaniaeque Principis et Siculorum Comitis, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibus literis nostris confirmationalibus, de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas, quoad omnes earumdem continentias, clausulas, articulos et puncta, eatenus quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae viribusque earum veritas suffragatur, pro universis et singulis praedictorum verbi Dei ministrorum relictis viduis atque orphanis perpetuo valituras, gratiose confirmamus, acceptamus et ratificamus harum nostrarum pendentis et authentici sigilli nostri munimine roboratarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in civitate Nostra Kolosvár die XVI mensis Octobris anno Domini millesimo sexcentesimo decimo octavo.

Gabriel Princeps.

Gasparus Bölöni secretarius.

Anno 1619 sabbatho proximo post festum sacratissimae Pentecostes exhibitae, lectae, proclamatae et publicatae sunt praesentes literae in generali congregatione Dominorum trium Nationum Regni Transylvaniae Albae Juliae ad diem 5tum mensis Maji edicto Serenissimi D. Dñi ejusdem Regni Principis indicta celebrata, nemine contradicente [1]).

Magister Stephanus Frater ejusdem serenissimi D. Dñi Principis Transylvaniae Protonotarius. mp.

Hoc Privilegio hodiedum indultu Principum Regnantium verbi Divini ministrorum viduae orphanique gaudent.

§ II. *Apologia pro Principe Botskai.* — Compositis rebus Transylvanicis

---

[1]) Ex originali.

Botskaius in Hungariam profectus, cum res ejus omnes secundo fluerent alveo in medio victoriarum cursu pacem cum Imperatore fecit, in qua Reformatae et Lutheranae Religioni par catholicae concessa est libertas. Dicitur haec Pacificatio Viennensis, de qua pluribus actum est[1]), pacemque inter duos orientis et occidentis Imperatores sua mediatione conciliavit, belloque vicennali inter Christianos et Otthomannos finem imposuit. Malevoli tamen non intermittebant atro eum pingere colore apud Principes Christianos, traducereque eum Arianae aut ipsa pejoris Mohammedanae esse religionis; fuit vero et ipse et tota Botskaiorum familia jam ab olim Reformatae addicta religioni ad ultimum usque deficientem. Criminationes illae in tantum pupugerant Hungaros, ut comitatuum Legati et Ecclesiae Hungaricae sequentem ederent publice Apologiam:

Apologia et Protestatio Legatorum et Ecclesiarum Hungaricarum adversus iniquissimas Monacho-Jesuitarum criminationes, quibus serenissimum DD. Stephanum Dei Gratia Hungariae et Transylvaniae Principem gentemque Hungaricam in odia et contemptum potentissimorum Germaniae Principum inducere et adversus eos more Jesuitico conviciare volentes, Arianismi insimulare non sunt veriti. Barthphae excudebat Jacobus Klöz Anno 1606.

Quam verum sit illud Cypriani dictum, qui Lib. IV. Epist. 2. Hoc, inquit, opus est Diaboli, ut servos Dei mendacio laceret et opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, aut qui conscientiae suae luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur, docet satis quotidiana experientia. Ubi enim veritatem palam et aperte obruere non potest, mox in ipsos veritatis patronos et propagatores virulenter insurgit eosque per sua organa iniquis criminationibus gravat et lacessit, quo hominibus invisos reddere et in odia ac contemptum bonorum eos inducere possit sicque paulatim viam propagandae veritati praecludat. Cujus rei veritatem nos miseri et malis omnibus expositi Hungari nostro malo didicimus. Dum enim Christianissimus noster Princeps exemplum S.Regis Josaphat secutus 2 Paral. XIX, ubi primum Regnum adeptus est, id unum dies noctesque animo volveret, et hoc imprimis ageret, ut ab idololatria repurgatis in toto Regno Ecclesiis, vera ubique religio sincerusque Dei cultus restauraretur et verbum Dei remotis superstitionibus et traditionibus humanis pure ubique annunciaretur, Ecce satan, infensissimus Christi et fidelium ejus hostis veritatisque osor acerrimus, mox sua excitat organa, per quae sanctum hoc propositum intervertere et cursum veritatis impedire satagit. Christianae Germaniae Principes universumque orbem Christianum in nos

[1]) Superius Cap. 1.

tanquam haereticos concitando, hoc maxime nomine quod ipse Princeps Illustrissimus Arianus esset, nec alio fine nunc insurrexisset, quam ut pulsis ex toto Regno Catholicis blasphemum ac putidum Arianorum dogma spargeret et plantaret, imo gentem quoque Hungaricam ita esse barbaram et profanam, ut nulla ibi christianae Fidei ac Religionis sit facies, sed Judaismum, Muhammetismum, Arianismum aliaque pestifera dogmata vigere, persuadere omnibus conati sunt, cum ingenti Hungarici nominis contumelia et dedecore. Unde necesse omnino habuimus contra iniquissimam hanc calumniam brevem aliquam instituere Apologiam et toti orbi Christiano palam facere, quaenam Hungarorum sit confessio, quid de Deo aliisque Fidei christianae articulis sentiant, ne quomodo iniquis Adversariorum nostrum criminationibus christiani orbis Principes et populi remotiores persuasi, nos ab omni pietate alienos et Turcis similes esse putent, sed potius pro suis nos in Christo fratribus agnoscant et christianam nobiscum colant amicitiam, prout fidei unitas et summa in uno capite Christo conjunctio requirit.

Primum autem ut omnem Arianismi suspicionem a serenissimo Principe nostro et Ecclesiis nostris removeamus, fatemur et sancte affirmamus Deum coeli et terrae creatorem, universorumque conservatorem unum esse natura et essentia, trinum autem hypostasi seu Persona, nempe Patrem, Filium et Spiritum sanctum aequali potestati et gloria, prout symbolum Apostolicum cum S. S. docet et verba institutionis baptismi habent: ubi jubemur baptizari in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, tanquam unius veri et aeterni Jehovae. Detestamur itaque omnia haereticorum, Arii, Serveti, Samosateni, Stancari et aliorum Christi hostium ejusque Divinitatem oppugnantium et Sp. sancti hypostasin negantium dogmata et errores, nullamque unquam cum illis nos communionem habere velle sancte affirmamus. Cujus rei evidens satis testimonium esse potest hoc, quod nullum in tota Hungaria reperias, qui palam se Arianum esse profiteatur, et nedum ut Ecclesiam aliquam haberent.

In Transylvania tamen, quae diversa est regio, negare non possumus, quasdam adhuc in paucis quibusdam locis superesse hujus fermenti reliquias, quod Georgius Blandrata et Franciscus Davidis primum hujus blasphemiae fundatores in illo Regno excitaverant. Sciant tamen christiani illorum vires Dei beneficio ita nunc debilitatas et fractas, ut Principe isto christianissimo superstite brevi tollendam et eradicandam hanc blasphemiam speremus, sedatis aliquantulum his, quibus nunc undique premimur, calamitatibus bellicis.

Quod vero reliquos Doctrinae et Fidei Christianae articulos attinet, novos hic cudere nec volumus, nec debemus, cum jam olim ante annos

XXXIX Hungaricae omnes Ecclesiae Helveticae Confessioni subscripserint, in qua et nos nati et educati sumus. Quam quia ex verbo Dei veram esse didicimus et orthodoxam, etiam nunc libenter amplectimur et in omnibus punctis approbamus omnes, exceptis quibusdam comitatibus et Tractibus, qui cum Liberis Civitatibus in Articulis quibusdam a nobis dissidentes Augustanae se Confessionis gaudent vocitari, salva tamen inter nos permanente concordia et charitate Christiana. Sunt etiam praeter hos adhuc pauci Pontificiae seu Papisticae religionis privatim magis quam publice in privatis aedibus suam professionem exercentes.

Quae ideo commemorare libuit omnia, ut indignam monachorum et Jesuitarum criminationem ac calumniam falsam esse omnes Christiani agnoscerent, qui Judaismum, Mahometismum, Arianismum et alia falsa dogmata ac haereses impias apud nos vigere nugantur. Contra quos coram Deo, Angelis ejus et universo orbe christiano testamur, nos fidem et religionem divinam, cujus norma seu regula est symbolum Apostolicum, inviolate et sancte retinere, docere et annunciare, nec ullum Arii, Serveti, Samosateni aliorumque blasphemorum dogmatibus locum in Hungaria esse, sed doctrinam Evangelii pure ubique annunciare, verum Dei cultum passim obtinere.

Rogamus itaque omnes pios Christi fideles, ne iniquis adversariorum nostrorum criminationibus aures praebeant neve calumniis ipsorum locum dent; sed nos pro suis in Christo fratribus agnoscant, nobis faveant causamque nostram sicubi opus fuerit adversus malevolorum criminationes iniquas defendant. Quod etiam nos libenter facturos sancte pollicemur, ut sic omnes sentiant nos licet corpore remotissimos, unum esse in Christo, cui cum Patre et Spiritu sancto sit laus et gloria sempiterna, amen. Datum Cassoviae in libera civitate Hungariae die XVI Junii anno 1606.

Legati et Ministri Ecclesiarum
Hungaricarum [1])

§ III. *Botskai moritur.* — Eodem anno, quo sedecim annorum bello fessos Imperatores conciliaverat, in morbum incidit gravem, qui lente vires depascens fuit ille * lethalis die XXIX Decembris anni 1606, cum quinquagesimum nondum complevisset aetatis suae annum. Morbum fuisse quidam tradunt hydropem [2]), alii lento et tabifico veneno Michaelem Katai cancellarium fata Botskaii maturasse crediderunt; qui ob eam suspicionem in custodia detentus, mox ubi morbus in Botskaio fati vim habuisset, a militibus Praetorianis morte Principis efferatis in minima frusta concisus miserum in modum periit [3]).

[1]) Extat in typis descripta.
* illi (ed).
[2]) Kazy in Historia Regni Hung. pag. 64 65.
[3]) Revai in Cent. VI. pag. 115 et fere omnes alii.

Paucis ante ultimum diebus Testamentum condiderat, fidei in Deum, fiduciae in meritum Christi plenissimas*, ubi de Deo et merito Christi, cujus respectu peccatorum omnium remissionem a Deo impetraturum nihil dubitat, pulcherrimam edidit confessionem. Disposuit in rationem scholae Maros Vásarhellyensis, Debrecinensis et Varadiensis certam pecuniae summam. In rationem Historici Stephani Szomosközi, qui jussu ejus praecedentium Principum et etiam illius res gestas conscripserat, septem millia florenorum deputavit ad edendam Historiam, cujus curam diligentem testamentariis demandavit, ac nisi ederent in bonum publicum rationem in ultimo judicii universalis die reddituros: edita tamen non est. Conjugem habuerat Eustachii Hagymasi filiam Catharinam, quam relictam viduam a Nicolao Varkuts duxerat, prole caruit, imo etiam uxoris cum nulla in testamento mentio existat, eam jam ante morte sublatam censendum. Cassovia mortuum in Transylvaniam Albam Juliam ad tumulandum duas feretro praeferentes coronas, deduxerunt. Vexillo Albae Juliae Transylvanorum in majori Templo collocato inscriptum:

Memoriae et Honori
Serenissimi
Stephani Botakai
de Kis Maria
Dei Gratia
Hungariae Transylvaniaeq.
Sacri item
Romani Imperii
Principis
et
Siculorum Comitis
Mitis, Comis, Pii et
Mansueti
Obq. magni Momenti
Res gestas
Titulum
Patris Patriae
Promeriti.
Qui Postquam Ruiturum
Avitae Libertatis
Et salutis Hungaricae
Statum
Impeditum Praeterea
Religionis Orthodoxae
cultum
Correptis Vindicibus
Armis
Heroica Atlanteaque
Plane Virtute
Reparasset
Armaq. inter Potentiss.
Orbis Monarchas
Romanum videlicet et
Turcicum Imperatores
A Continuis XVI Annis
Dubio arduoque
Marte exercita
(Fessis Rebus Christianis
Succurrendo)
Authoritate Sua
Sustulisset et
Composuisset
Ingenti omnium Bonorum
Dolore
Clade Pennatium
Gravi

* plenissimum (ed.)

Et jactura Christiani
Orbis inenarrabili
VII Aegrotationis Mense
Non sine Suspicione
Insidiose surrogati
Veneni
(O Scelus o Nefas)
Inter continua ad Deum
Suspiria
Et ardentes Suas
Preces

Cassoviae Anno Christi
M. DC. VI.
X bris Die XXIX
Hora Quinta Matutina
Diei Veneris
Aetatis vero Suae XLIX
In Domino non Minus
Animose
Quam Pie et Placide
Obdormivit
Positum [1]).

Defleverunt immaturam ejus mortem carmine varii, ex quibus Joannis Rimai Poetae non insuavis nobilique loco nati ita sonant.

Ille ego magnanimis Heros virtutibus ortus,
Inclytae Pannoniae Christe corona tuae
Fida, tuo postquam pro nomine praelia gessi,
Armaque pro Patriae digna salute tuli.
Te Duce jam victor, Patriamque ruentibus armis
Suspendi adversae tristia bella manus.
Nunc victus valido non Marte, sed arte veneni
Pro Patrio, Victor, vincor ab arte, solo.
Christe mihi, mihi Christe salus, mea Christe voluptas
Cujus eram vivus munere quicquid eram.
Da (dare namque potes) dum molliter ipse quiesco
Succedat laudi fida corona tuae.
Qua Duce Pannonicas tua gloria sancta per oras
Crescat in immensum multiplicata Decus. —

J. Rimai.

Aliud alterius.

Ille ego Bochkaidum claro de sanguine cretus
Magna fui Hungariae spesque decusque meae.
Ardua pro Christi qui nomine praelia duxi,
Proque Deo et Patriae multa salute tuli.
Marte potens pressi victricia Caesaris arma,
Me Dominum agnovit Pannonis ora suum.
Me Duce Relligio cum Libertate triumphat
Aurea Pax toto me Duce in orbe viget.
Me Mars non potuit ferro domuisse cruento,
Fraus tamen oppressit me scelus atque Viri.

[1]) Extat impressum Openhemii an. 1612.

Quae mihi praeclaros Regni asportavit honores
Vitamque haec eadem sustulit ecce dies.
Disce meo exemplo, mortalia temnere quaevis
Cum Christo aetherei Regna tenere Poli.
A. S. R. S. C.

Vexillum equidem cum Inscriptione e Templo Alba Juliacensi cum aliis Memorabilibus periit, at vero dulcis apud gratam posteritatem Botskaii memoria sempiternum perdurabit.

De Sigismundo Rákotzi Principe.

§ IV. Valentinum Druget de Homonna virum militari prudentia clarum, opibus et clientelis florentem, religione in Deum ferventem commendaverat Botskai in tabulis ultimae voluntatis in Principem a Transylvanis eligendum. Verum ne ea commendatione liberae statuum electioni praejudicaretur, eo praeterito Transylvani anno 1607 die VIII Februarii Sigismundum Rákotzi elegerunt. Quem Princeps Botskai Transylvanis superioribus annis gubernatorem praefecerat, virum aetate gravem, pium, potentem, religiosum, olim victoriis adversus Turcas celebrem, at nunc chiragra podagraque ita correptum, ut manuum ac pedum ministerio prorsus destitueretur. Ortus erat Patre Georgio, cujus virtus maxime in praelio ad Szikszonem oppidum anno 1559 eluxerat, unde homini opes[1]). Sigismundus vero Patris haud degener filius variis inclaruit praeliis, eousque ut tandem Agriae daretur Praefectus; maxime vero victoria a Turcis anno 1588 ad Szikszonem iterum reportata, quam egregio carmine celebravit Salomon Frenzelius sub titulo: Victoria pusilli Christianorum exercitus, contra legionem Turcicam obtenta ad oppidum Sixo in Ungaria anno Christi 1588 die VIII Octobris[2]). Ea occasione dedicavit illi Franciscus Junius Biturix Professor Heidelbergensis tunc, tandem Leidensis, Tractatum inscriptum: Protoctisiae seu creationis a Deo factae et in ea prioris Adami ex creatione integri et ex lapsu corrupti historiam.

Laudat a pietate et munificentia longiori oratione, qui alumnos largo viatico instructos ad scholas celebriores discendi causa ablegaret et viris doctis in disciplinam daret, ut formarentur cum tempore in viros patriae utiles, quinque tunc quoque ejus alumni numerabantur in oris exteris: Valentinus Sarközi, Balthasar Miskölzi, Demetrius Ezlari, Joannes Garai, Franciscus Debretzeni, quos proprio

---

[1]) Kazy in Historia Regni Hung. pag. 72.
[2]) Extat Pragae an. 1588 edit.

sumptu in Ecclesiae ministerium alebat ac formari curabat. Carmen Junii cum brevius sit hic locum inveniet[1]).

Generoso et Nobili viro D. Sigismundo Rakoczi comiti comitatuum Borsod ac Hewes &c. supremo, sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis φρσαρχω Agriensi &c votum Epinicion.

Ungariae columen, proles veneranda Tonantis,
Praesidium gentis Christigenumque decus,
In cujus sacrum, ventosque et acinaca jurant
Trux Scytha, constituit cuncta movere caput.
Cui claros peperit gens perfidiosa triumphos
Materies laudis certa futura tuae.
Non ego pro meritis virtutis praemia tantae
Offero; sunt Musae divitioris opus,
Quod mea cura potis, quod adest, Generose Rakoczi,
Offero, parva tibi munera, parva mihi:
Munera parva, tuum seros doctura nepotes
Nomen, et officii pignora grata mei.
Excipe donantis placido mea munera vultu:
Supplicis excipiet vota secunda Deus.
Det Deus horrescat fortis virtute Rakoczi
Turcus atrox, Lunae signa cruenta ruant.
Det Deus aeterni per se spiramina verbi
Praevaleant, tollatque Hungaris ora caput
Victrix invictas tendens ad sydera palmas
Promoveat Christi Principis imperium.
Det Deus, aeternum toto lauderis in orbe
Turcorum terror Christigenumque decus.

Fr. Junius ponebat.

Apparet virum fuisse pium, munificum, in Deum ejusque ecclesiam zelosum.

§ V. Cum senio morbisque esset pene confectus Principatum invito a proceribus obtrusum, tandem admissum et ab utrisque occidentis ac orientis Imperatoribus confirmatum, brevi voluntarie exuit; anno enim 1608 in comitiis resignavit ac in Hungariam profectus quieturus in sua possessione, eodem anno etiam quo Principatum exuerat etiam vitam deposuit. Cum Transylvaniae praeesset, Tordae et in aliis civitatibus quibusdam locum pro sacro Dei cultu designavit Reformatis[2]).

In Comitiis Claudiopolitanis unionem inter quatuor receptas Religi-

[1]) In Operibus Junii Theologicis Tom. I. pag. 28.
[2]) Gelei in Dedicatione Tractatus Titkok Titka.

ones confirmavit, Jesuitas vero secundum articulos jam olim conclusos Regno exesse jussit, severeque mandavit ne amplius in Transylvania inveniantur [1]).

Conjugem habuit Barbaram Telegdi Nicolai Baronis Telegdi sororem an filiam Reformatae addictissimam religioni, prouti ex Bezae et aliorum illius aevi literis clarum est; quae pariter alumnos in exteris intertenebat oris proprio aere. Sunt qui scribant Romanis addictam sacris [2]), at eos errare certum est. Filios habuit Georgium, Sigismundum et Paulum, primum tandem cum tempore in Principatu successorem.

De Gabriele Bathori Principe.

§ VI. Gabriel Bathoreus erat Stephani Bathori de Somlyo, qui temporibus Sigismundi Principis metu imminentis et indigni supplicii in Pannoniam evaserat, ex Margaretha Majlat filius. Qui in tenera aetate utroque orbatus parente, in spem et haeredem amplissimarum et Regalium opum a Stephano Bathoreo avunculo, cognomento Etsedi, liberorum utriusque sexus solatio destituto, in liberalibus artibus et exquisita morum disciplina educatus fuerat; a quo etiam tantarum opum haeres, quantae tertiam Hungariae partem aequarent, ex asse nuncupatus erat [3]). Juvenis erat statura procera, ingenio versatili, ferox, inquietus. Electus in Principem tam familiae antiquissimae quam respectu opum, quas possidebat pene regales. Praecipuo commendatore et rerum promotore usus Gabriele Bethlen spectatae virtutis viro et Proceribus ac Nobilitati charo.

§ VII. Anno eodem, quo Principatum adeptus est, unionem receptarum in Transylvania Religionum confirmavit, sanxitque ut liberum esset sequi cuique eam quam vellet sine noxa religionem. Albae Juliae Templum desolatum in rationem Reformatorum suis et Provinciae sumptibus restaurari fecit [4]).

Claudiopoli, ubi hac aetate Unitarii soli omnia possidebant, in Platea divi Wolfgangi Templum diu in ruina haerens ac desolatum pro Reformatis concessit, acquisita quoque schola, quam fundis quoque stabilivit ac ornavit [5]).

§ VIII. Non potest negari virtuosum fuisse Bathorium juvenem, at adulatores et pessimi consultores eum effecerunt vino venerique deditum et sanguinolentum tyrannum, qui primum opes suas dilapidavit, tandem cum non haberet, unde sui sceleris aleret ministros, ad rapinas conversus

---

[1]) Kazy ll. cc. pag. 67 Approb. Constit. Part. 1. Tit. 1. Tit. II. Art. 1. 2. 3.
[2]) Kazy, ll. cc. pag. 72.
[3]) c. Boithi in Hist. de Rebus gestis Gabrielis Bethlen Lib. 1. MSS.
[4]) Kazy ll. cc.
[5]) Gelei in Dedicatione operis Titkok Titka.

proceres urbesque expilavit et libidini immolavit suae. Incusatus in Aula tam Caesarea, quam Porta othomannica, varie exagitatus, muneribus tamen et vitae emendatione promissa delinivit utramque. Cum vero Provinciales opprimere non intermitteret, tandem oppressus ipse a suis, quorum iram in se excitaverat temerata eorum conjugum pudicitia, interfectus Varadini anno 1613 die XXVII Octobris. Insimulatur hujus criminis etiam Detsius Minister Reformatus Varadiensis a modernis scriptoribus, qui erroris sui auctorem habent Joannem Nadanyi passionatum scriptorem, cujus avus morte tragica scelus illud luerat, is nominat Casparum Detsium loci concionatorem, cujus uxorem Princeps deperibat, percussores animasse[1]); at vero Caspar Detsi fuit unus e praecipua nobilitate et conjuratis, non concionator, nec unquam Varadini Casparum Detsi concionatorem fuisse, sed Stephanum: de quo ita coaevus Historicus Caspar Boithi scribit: „Fertur ea nocte Szilasius concionatorem Cathedrae Varadiensis Stephanum Decium, quem etiam Bathoreus ob piissimas correptiones indignis affecerat contumeliis, mortemque eidem comminatus fuerat, quid facto opus esset consuluisse, eumque Szilasium animasse. Verum enimvero viri per omnem vitam sanctissimi atque integerrimi modestia et eximia eruditio, cui simplices et candidos mores admirabili temperatos prudentia conjunxit, neminem, ne iniquissimum quidem rerum aestimatorem tam longe ab aequi et veri tramite discedere sinunt, qui sibi persuaderet innocentissimum et divinis plane meditationibus deditum sacerdotem, eo praesertim tempore, quo precibus devotis inter Deum et peccatores se interposuit et ad poenitentiam vitaeque emendationem populum cohortatus est, tam funesto se contaminasse consilio. Cujus rei evidens est testimonium, quod coram districto spiritualium Tribunali per omnes rei gestae circumstantias, et hominum fide dignorum testimonia examinatus, quantumvis ab aemulis falsorum rumorum crepitaculis premeretur, in nullam nihilominus ne levissimae quidem suspicionis notam gravissimus Jesu Christi servus incurrerit. Quanquam degenerem Tyrannum spirituali censura ferire ob incaestuosas et nefarias libidines jure suo secundum praescriptum in verbo Dei tenorem potuisset. Vivit adhuc bonus senex et de conscientiae suae puritate coram Deo et hominibus protestatur." Hactenus Boithi[2]). Annus mortis ejus isto notatus est chronosticho:

Ter novies remeans October luce corusca
AtroCI straVIt fVnere BathorIDeM.

Corpus interfecti per summum ludibrium carro rusticano, quem exsectus bos et vacca foeta vehebant, post aliquot dies impositum Etsedinum transmissum est. Unde in Basilicam majorem Bathoriorum, ubi prisca

[1]) Nad in Floro Hung. Lib. IV Cap. XVI. pag. 355.
[2]) De rebus gestis Gab. Bethlen. Lib. II. Mss.

virtute Illustrium Bathoreorum monumenta visuntur, delatum, in Templi sacrario absque sepulturae honore per annos quatuordecim jacuit, donec tandem a Bethlenio siccata ossa colligerentur, et solita celebritate in ipsa Basilica sepellirentur.

Conjugem habuerat Annam Horvat Georgii Horvat de Palotsa filiam, ex qua nullos susceperat liberos, imo etiam repudiatam in Arce Kövàr detinebat.

De Gabriele Bethlen Principe.

§ IX. Princeps Gabriel Bethlen originem trahebat suam ex antiquissima Bethleniorum et amplissima familia; quae, ut ex originalibus et solita sub authentia emanatis Regum Literis in ordinem digessit demonstravitque Alexius Bethlen praeterito seculo Regni Praesidens, fuit ex genere Regis Hungariae Abae tertio loco a sancto Stephano Hungariae Rege regnantis, qui dicitur etiam Samuel, oba, et ovo [1]). Ex ejus Prosapia extitit Comes Marhardus sub Rege Andrea, cujus Literae testimonium rei praebent; cui filii fuerunt Petrus Comes, Michael Protonotarius, Salomon et Laurentius cum praedicato de But. Laurentii filii fuerunt Bokon, Bencze, Tsak et Bethlen, qui ultimus se ex Regum Hungariae sanguine declarare volens pro Insigni adscivit serpentem in gyrum actum, in cujus ore visebatur globus cum aurea cruce. Hic originem dedit familiae Bethlen. Tres habuit filios Petrum, Nicolaum et Oliverium: Petro secundo genitus fuit Dominicus, Dominico Joannes, qui sub Sigismundo militia clarus exstitit. Hic uno sagittae ictu duos in collo trajiciens grues jussu Imperatoris in Insigne intulit, ita ut serpens caudam ori reflectens et auream crucem in vertice ostentans grues in collo trajectos sagitta complecteretur. Ab hoc Joanne orsus est Gabrielis Bethlen genealogiam deducere Caspar Boithi Historicus ejus Principis [2]). Filius ejus fuit Gregorius, Gregorio ex Margaretha Abrahamfi Dominicus Bethlen de But Vajvoda Transylvanus circa annum 1652, Dominico Gabriel, qui in praelio ad Mohats sex hastatorum millibus praefectus erat; post factus est Joannis Regis exercituum Generalis. Filius ejus fuit Lupus Bethlen, qui ex Drusiana Lazar genuit Gabrielem et Stephanum tandem Transylvaniae Principes.

§ X. Gabriel ab ineunte aetate militiam secutus sub Principe Sigismundo Bathori varia adivit pericula. Interfuit omnibus gravioribus ejus praeliis adversus Turcas, Germanos et Walachos, in Walachia adversus Sinanem, in campo Cibiniensi et ad pagum Miriszlo adversus Michaelem

---

[1]) Anonymus in scriptoribus Rerum Hung. pag. 21 cap. XXXII.
[2]) Historia Casp. Boithi de Rebus Gabr. Bethlen Lib. I. ab initio.

Vajvodam. ad pagum Goroszlo quinquaginta equites proprio aere conductos habuit et amisit anno 1601, adfuit Mosi Siculo ad Coronam, cum a perjuro Walacho proditus castris et vita exueretur. A Nobilitate et Turca offerebatur illi anno 1604 Principatus Transylvaniae, quamvis juveni; renuit et maluit Stephano Botskai opibus et clientelis potentiori cedere, cujus expeditionibus interfuit et res egregie promovit. Charus Botskaio, qui non tantum variis officiis et latifundiis ditavit, sed etiam Susannam Karoli Ladislai ex Clara Zrini filiam, sibi vero sanguine junctam, in matrimonium dedit, affinitateque sibi adstrinxit. Cum Botskai rebus eximeretur humanis, aberat tunc Bethlenius in Moldavia praefectus sex equitum millibus in subsidium Jeremiae Vajvodae missis. Cum rediisset in electionem Rakotzii non consensit, ut succederet Bathorius adlaboravit, apud quem primum gratus fuit et Aulicae Militiae praefectus; sed cum enormia ejus facta probare non posset, incurrit in ejus odium. Unde solum vertere coactus post Bathorii fata successor illi datus.

§ XI. Regimini admotus prima illi cura fuit, provinciam pene desolatam ac eversam in antiquum statum reducere et in ea religionem varie debilitatam necessariis firmare Legibus et ornare Privilegiis. Unionem in hunc finem inter tres Nationes et quatuor receptas Religiones non solum confirmavit, verum etiam servavit ipse et servari jussit cum aliis. Saxonibus nefario a Praedecessore oppressis Jura et Privilegia paterne restituit. Articulis Regni erant nimium constricti Catholici, quoniam mala per Bastam et Michaelem Provinciae illata illis suggerentibus vel cooperariis adtribuebantur, relaxationem ad intercessionem Matthiae Imperatoris, quatenus sine detrimento et praejudicio aliarum Religionum possit, promisit[1]). Praecipuus labor in eo statim enituit, ut doctos viros, tam in Politia quam in Ecclesia, quorum eminentiora capita Sigismundus Bathori decusserat, summaque eorum erat penuria, in provincia augere posset. Praemio proposito tam ex Hungaria, quam ex aliis Regnis in Transylvaniam attraxit. Nobilioris ingenii juvenes necessariis instructos viaticis in exteras Academias ablegavit, qui variis onusti scientiis in patria tandem Ecclesiam et Politiam ornarent. Fundavit tamen Gymnasium Academicum Albae Juliae, ut ita compendiosius scientiae ab omnibus eam anhelantibus hauriri possent. Evocavit magnis salariis ex imperio viros undequaque doctissimos, Joannem Henricum Alstedium, Joannem Henricum Bisterfeldium, M. Philippum Ludovicum Piscatorem, Martinum Opitium[2]) et alios, qui provinciam sibi commissam graviter exornabant. Tyrnaviae XXIV alumnos constituit e publico alendos. Varadini, Debrecini et Patakini scholae jam ante fundatae

[1]) Literae ad Imp. Matthiam 5 Septembr. a. 1615 Albae Juliae datae.

[2]) Delegerat, etiam vocaverat hos literati orbis heroas Bethlenius, qui tandem praeter Alstedium et Opitium post ejus fata scholam Albensem ornarunt.

incrementa sub eo acceperunt. In pagis Magistros pro erudiendis liberis promiscuae multitudinis constituit, Ecclesias proventibus et Privilegiis dotavit, sicque in florentem reduxit statum. Pacem Provinciae et Ecclesiarum Dei interturbatam pacificationibus utilissimis et tempori accommodatis composuit. Portam othomannicam donariis demulcere studuit, occidentales armis ostentatis terruit. Commercium literarium cum Regibus ac Principibus, imprimis vero Electoribus Palatino et Brandeburgico alternabat, extant plures datae ad Melchiorem Cleselium Cardinalem de rebus Theologicis literae, et ad Pareum Professorem Heidelbergensem. Sacra Biblia aliquoties in castrensibus expeditionibus inter medios armorum strepitus a capite ad calcem pervolvit. Selectissimos insuper libros, selectam veluti Bibliothecam, in curru in hunc finem disposito, memorabili exemplo continuo secum circumtulit. Res gestas suae aetatis per historiographum, utinam a successoribus non suppressum, curiose consignari curavit. Examini V. D. Ministrorum cum in messem Domini exmitterentur interfuit, disputationes attente audivit, in dubia resoluta inquisivit. Auctores doctissimos praecipue autem historicos Hungarice loquentes fecit [1]).

§ XII. *Privilegium verbi Dei Ministrorum in Siculia.* — Inter tot patriae vicissitudines ac turbas, Ministri Blandratae et Francisci Davidis opinionibus imbuti populosissimas in Siculia occuparant Ecclesias simulando se orthodoxae veritatis ministros, quod ubi Princeps advertisset, expediit superintendentem Reformatum Joannem Dajka Keserüi seculari brachio adjutum, qui inquireret in doctrinam et vitam Ministrorum mercenariosque in fenestra clam obrepentes secerneret a Pastoribus. Fecit quod jussus erat, provinciam obivit, ab ovili lupos procul abegit, fideles Christi servos illis substituendo [2]). Asuetam tumultibus inquietamque Siculorum gentem paulatim ut mansuetiorem redderet scientiisque expoliret, Ministros in quatuor Tractibus Kezdi, Orbai, Sepsi et Erdövidéke inservientes speciali supra alios privilegio donavit. Quod quia singulare est, prout a successoribus Principibus quoque confirmatum est, exhibendum censeo.

Nos Georgius Rákotzi Dei Gratia Princeps Transylvaniae, Partium Regni Hungariae Dominus et Siculorum Comes. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quod Reverendus Georgius Csulai Ecclesiarum orthodoxarum in Transylvania superintendens, pro partibus in personis Reverendorum tam orthodoxae quam unitariae Religionum seniorum, caeterorumque universorum V. D. Ministrorum scholarumque Rectorum in sedibus Siculicalibus Sepsi, Kezdi, Orbai et Miklosvár, partibus item Udvarhelly, et Comitatu Albensi

[1]) Videri haec possunt in Literis Joan. Dajka Keserüi ad Pareum apud Henricum Alting in Hist. Eccl. Palat. pag. 227. Czwittingerum pag. 67. Historia Reform. p. 356.

[2]) Steph. Gelei in Praefatione libri, cui Titulus est Titkok Titka.

Transylvaniae sub senioratu Sepsi degentium et commorantium, exhibuit et praesentavit nobis literas quasdam confirmationales, privilegiales celsissimi quondam Principis Dñi Georgii Rákotzi Dei gratia Principis Transylvaniae, Partium Hungariae Domini et Siculorum Comitis &c. D. Patris et Praedecessoris nostri pie defuncti in pergameno patenter confectas et emanatas sigilloque ejusdem pendenti authentico in cera rubra communitas, continentes in se alias literas super certis quibusdam immunitatibus eorum a serenissimo olim Principe Dño Gabriele Bethlen alias Principe Transylvaniae &c. eisdem concessas, quibus mediantibus idem praedictus Princeps D. Pater et Praedecessor noster pie defunctus easdem literas omniaque et singula earundem contenta, sub certis modis et conditionibus punctatim seu articulatim in eisdem insertis clementer confirmasse dignoscebatur, tenoris infra scripti, supplicans nobis humilime, quatenus nos quoque literas easdem confirmationales Privilegiales, omniaque et singula earundem contenta, literis nostris verbotenus inseri et inscribi facere ac pro ipsis eorumque haeredibus et successoribus universis perpetuo valituras consensum nostrum benevolum pariter et assensum illis praebere confirmareque clementer dignaremur. Quarum quidem Literarum tenor talis est:

Nos Georgius Rákotzi Dei Gratia Princeps Transylvaniae, Partium Regni Hungariae Dominus et Siculorum Comes &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod pro parte et in personis Reverendorum Stephani Sikó in Sepsi et filiali Miklosvár, certisque partibus Udvarhelly et Comitatus Albensis, Blasii Dalnoki in Kézdi, Nicolai Kövér Besenyei in Orbai sedibus Siculicalibus orthodoxorum Seniorum. Item Gregorii Sz Ivani similiter Senioris Unitariam (ut vocant) religionem profitentium, caeterorumque universorum Ministrorum et Rectorum Scholarum praetactarum utrarumque religionum in tribus illis sedibus Siculicalibus Sepsi, Kesdi, Orbai degentium et commorantium exhibitae sunt nobis et presentatae certae quaedam literae Serenissimi quondam Principis Domini Gabrielis Bethlen Dei Gratia Transylvaniae Principis &c. felicis memoriae Praedecessoris nostri in pergameno patenter confectae emanataeque et sigillo ejusdem Domini Principis in pendenti in cera rubra impressive communitae et roboratae confirmationales; quibus mediantibus idem quondam Dominus Princeps, nonnullos articulos mutuo invicem ipsorum Pastorum communibus votis et suffragiis sancitos, de et super Domorum ipsorum ab omnium censuum, taxarum et contributionum, pensionis, servitiorumque qualiumcunque exhibitionis, bellicarum expeditionum ingressus, ac Magistratus secularis Jurisdictionis exceptionem, ipsorumque Ministrorum ac Rectorum Ecclesiastico munere fungendorum vel vero vacandorum, vitae ac conditionum regulis, relictarumve ac orphanorum eorundem post decessum ipsorum

ex hac luce, quoad Domus &c. conclusis, haereditates hujusmodi ipsorum statu et conditione editos acceptasse, approbasse ac confirmasse dignoscebatur tenoris infra scripti, supplicatum nobis exstitit humillime, quatenus Nos quoque easdem literas Privilegiales, omniaque et singula in iisdem contenta, ratas, gratas et accepta habentes, literis nostris verbotenus inseri et inscribi facere, ac pro ipsis eorumque haeredibus ac successoribus universis perpetuo valituras gratiose confirmare dignaremur. Quarum quidem tenor Literarum seu verbalis continentia sequitur hunc in modum:

Nos Gabriel Bethlen Dei Gratia Princeps Transylvaniae, Partium Regni Hungariae Dominus et Siculorum Comes &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod licet nostra hac aetate perraro ac etiam paucissimi reperiantur Principes, qui humanissimarum et optimarum disciplinarum studia earumdemque Professores benevolentia aliqua complectantur. Saepe enim plerique doctos viros, ut videmus, negligunt, contemnunt ac etiam odio habere consueverunt, adeo ut crebrius adulatoribus Aulas Principum, quam ipsis oratoribus patuisse conspeximus. Verumtamen veteres contrarium omnino faciebant atque ut Romanos praetereamus (qui doctissimorum quorumque virorum consensu mortales omnes virtute, gloria atque animi praesentia excelluerunt), nonne vetustissini illi Principes ac Reges eruditissimis viris delectati sunt, cum illis etiam summa benevolentia et amicitia conjunctissime victitarunt? Eosdem enim adhibebant in consiliis maximarum rerum; illis auscultabant. illos observabant venerabanturque. Talis erat ut reliquos taceamus Croesus Lydorum Rex, qui cum studio civilis sapientiae flagraret et cerneret barbaras illas nationes, quibus imperabat, viris clarissimis omnino carere, excitatus Anacharsis fama, non dubitavit ad eum Athenas unum ex familiaribus suis expedire, qui illum ad se accerseret, non contemnendamque auri vim eidem deferret. Talis quoque erat Alexander ille Magnus, quem universus mundus admirabatur et metuebat, qui nunquam doctissimorum virorum consortio se carere passus est. Si igitur potentissimi quoque Monarchae morum vitaeque suae inspectores doctissimos tanto in pretio habuerunt, quanto magis nobis personarum spiritualium (quarum medio Deus optimus maximus humanam salutem administrare voluit) exemplo veterum immemores esse non decet, easdemque negligere. Intelligentes itaque honorabiles viros, universos et singulos Presbyteros ac concionatores quarundam Ecclesiarum passim in tribus sedibus Siculicalibus Sepsi, Kezdi et Orbai existentium Orthodoxae Fidei, ac eisdem ut vocant Arianae Religionis, unum verum Deum et Mediatorem Jesum Christum profitentes, adjunctos Ministros hactenus non sine fructu maximo plebem Dei instituisse, nunc vero posthabita eorum Ecclesiastica immunitate a personis secularibus, multis in rebus ordinibus ipsorum repugnantibus interturbari, seque muneribus eorundem immiscere.

Imo non deessent etiam quidam eorum, qui effraenata in ipsos licentia et audacia usi, nulla rerum Divinarum habita ratione, maximis molestiis acerbisque insultationibus ipsos Ministros et Rectores Scholarum afficientes etiam ad onera civilia ac plebea suscipienda bellicasque expeditiones subeundas cogere et compellere sibi praesumere non dubitarent. Nos vero, quibus non minus religionis cultusque Divini, quam aliarum rerum cura incumbit, hisce Ministrorum incommoditatibus ac etiam periclitationibus concitati, non alienum a nostris institutis esse putavimus, quin debitam hujus rei rationem iniremus, ac de certis quibusdam Articulis immunitates eorum spectantibus per eosdem communibus votis et suffragiis editis et conclusis, nominibus et in personis Reverendorum Petri Siculi Torjai, Stephani Koppan et Johannis Leerde seniorum, caeterorumque universorum et singulorum Ministrorum et Rectorum Scholarum praedeclaratarum, pro confirmatione eorumdem nobis in forma libelli supplicis exhibitis clementer prospicere dignaremur, tenoris infrascripti. Quorum quidem tenor talis est verbalis in hunc modum loquentes.

Primo. Cernimus a summo rerum cunctarum Moderatore universam totius mundi machinam ea lege, modo et ordine dispositam esse, ut alter alterius vim et naturam sustinere ejusque officio fungi vel ei immisceri nequaquam possit. Si enim nox vicem diei et dies iterum noctis tenebras subiret, flamma in undas et aqua in ignem converterentur, caeteraque elementa naturam suam in contrarium permutarent, nihil prius exinde, quam omnium rerum subitanea corruptio subsequeretur.

Ut autem status et ordo Ecclesiasticus uno recto tramite temperetur et Ecclesiastica dignitas in secularem conditionem quovis temporis in articulo transfigurari nequeat: Ideo statuimus communi decreto ut si qui Ministrorum ac Rectorum praetactarum Ecclesiarum ac Scholarum aliquas domos et haereditates, aviticas, emptitias vel alio quocunque (justo tamen et legitimo) titulo partas et acquisitas habuerint, ubivis eaedem extiterint intra id tempus, donec possessor earundem muneri Ecclesiastico addictus fuerit, sive sit in officio continue, sive vero aliquamdiu eodem vacari ipsi necessum fuerit. Nihilominus tamen ratione talium haereditatum, tam ipsi, quam etiam orphani eorundem vestigia parentum sequentes, imo etiam inquilini eorum, ab omni censuum, taxarum et contributionum tam ordinariarum, quam extraordinariarum subsidiique et lucri Camerae Fiscalis solutione, servitiorum quorumlibet plebeorum et civilium exhibitione, ac bellicarum expeditionum, tam generalium, quam partialium ingressu, immunes et exempti habeantur. Neque in illos Magistratus secularis ullam

Jurisdictionem praetendat aut aliquod dominii et potestatis exercere possit et valeat. Quin imo peculiaris inter ipsos usus continuus Ecclesiasticus in perpetuum observetur.

Secundo. Tempore pacis de bello cogitare ac in humanis agentibus de posteris aliquid meditari consultum semper censuimus. Itaque si qui praefatorum Ministrorum et Rectorum dispositione mentis divinae hac luce (ea enim lege sumus conditi) privarentur, in tali casu Relictae et Viduae eorundem, donec nomina maritorum suorum defunctorum mediantibus nuptiis secundis non immutaverint, praemissa immunitate semper et ubique uti possint ac valeant.

Tertio. Partes ipsae in uno corpore, licet diversa habeant munia, nihilominus tamen ad conservationem totius corporis omnes earundem partium actiones tendere videmus. Unio et concordia ab omnibus sanis et piis hominibus non solum laudatur, verum perpetuis encomiis quoque extollitur. Inde ab initio, quo singulari Dei beneficio propulsis tenebris inspirante gratia Spiritus sancti praemissae Ecclesiae tam orthodoxae quam unitariae Religionis illuminatae extiterint, orthodoxa et Religio unitaria in ipsis Ecclesiis libera fuit. Ipsi autem Ministri et Rectores, licet diversae extiterint religionis, attamen mirabili concordiae nexu uniti, dependentiam unusquisque habuerit a suo Episcopo et seniore, unione eorundem salva semper remanente.

Quarto. Incuria et socordia validissima quaeque et optime fundata aedificia corruere et collabi saepissime animadvertimus. Quod praecavere satagentes, Visitationes Ecclesiarum singulis senioribus in sua Dioecesi annuatim semel authoritate Principis et annuentia adjuncto si necesse fuerit brachio seculari exercere licitum sit.

Quinto. Legem animam civitatis merito dixere veteres Philosophi; sine ea enim uti domicilium animae, absque ipsa anima, ita etiam nulla Respubliea vel societas aliqua consistere potest. Ut autem praedeclaratus coetus antefatorum seniorum Rectorumque in omnibus suis actionibus et operationibus legibus divinis et humanis ad normam justitiae temperaretur: Ideo controversiarum et litium legitimae compositiones et examinationes diebus quindenis in quibuslibet sedibus et senioratibus observentur.

Nos itaque praemissa supplicatione nobis modo quo supra porrecta, benigne exaudita et admissa, praescriptos Articulos, non abrasos, non cancellatos, nec in aliqua parte suspectos, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibus literis nostris verbotenus sine augmento vel diminutione aliquali insertos et inscriptos, quo ad omnes earundem

continentias, clausulas, articulos et puncta, eatenus, quatenus iidem rite et legitime existunt emanati viribusque eorum veritas suffragatur, acceptavimus, approbavimus et ratificavimus, ac pro praefatis senioribus, Ministris et Rectoribus eorumque successoribus, haeredibus et posteritatibus ipsorum utriusque sexus universis perpetuo valituras confirmavimus harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante.

Datum in civitate nostra Mediensi die decima mensis Augusti anno Millesimo sexcentesimo decimo quarto et subscriptum erat a dextra Gabriel Bethlen, a sinistra vero partibus Simon Petsi Cancellarius, paulo inferius Caspar Bölöni Secretarius.

Nos itaque praemissa supplicatione nobis modo, quo supra porrecta, faventer exaudita et clementer admissa praescriptas literas Privilegiales, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes praesentibus literis nostris de verbo ad verbum (excepta duntaxat dorsali earumdem adscriptione, qua mediante publicationis earundem occasione nonnihil per officiales earundem trium sedium eadem Privilegia ipsis concessa, limitata ac plerisque in articulis cassata et invalidata, licet expost per iterum eumque serium mandatum dicti domini Principis patenter ad eosdem officiales super abrogatione praemissa ipsorum limitatione, cassatione et invalidatione emanatum nobis in specie productum, viribus restituta fuisse videbantur) sine diminutione, augmento vel variatione aliquali, insertas et inscriptas, quoad omnes earundem continentias, articulos, clausulas et puncta eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae viribusque earundem veritas suffragatur, ratas, gratas et accepta habentes, acceptavimus, approbavimus, ratificavimus ac pro praefatis Stephano Siko, Basilio Dalnoki, Nicolao Köver Besenyei et Gregorio Szentiváni senioribus ac universis Pastoribus et Ministris, Rectoribusque Scholarum in Ecclesiis orthodoxis ac unitariis in tribus illis sedibus Siculicalibus Sepsi, Kezdi et Orbai existentibus, habitis, commorantibus, modernis videlicet, ac ipsorum quoque successoribus et haeredibus universis perpetuo valituras gratiose confirmavimus, his duntaxat superaddictis conditionibus:

Primo. Ne videlicet modernus Rectorum vacantium numerus in dies in ampliorem excrescere abususque per hoc temporis in successu exinde irrepere sinatur.

Secundo. Ne iidem Rectores neglectis utriusque status conditionibus, tamen sub nomine Ecclesiastico fucorum ad instar vitam ducere permittantur.

Tertio. Quod haeredes et posteritates Pastorum ac Rectorum vestigia parentum in Ministerio non secuti, more aliorum nobilium, bonis equis

armisque optime instructi fidelem patriae ac nobis successoribusque nostris universis operam navare debeant sintque adstricti.

Quarto. Quod Ministri (ut vocant) Unitarii in tribus iis praefatis sedibus Siculicalibus commorantes, eo quo jam nunc ex communi regnicolarum constitutione in usu est, a modo dehinc quoque successivis semper temporibus dependentiam suam, quo ad moralia seu externam disciplinam a superattendente orthodoxo habeant, eique soli non vero Unitario ipsorum superattendenti visitandi ipsos potestas concedatur. Verum si quid ipsis cum eo negotii in rebus religionem ipsorum concernentibus interveniat, suo illum loco requirere debeant.

Quinto. Quod ad Quindenas celebrandas non tam stricte sint obligati, ut eas certis etiam de causis intermittere minime liceat. Prout acceptamus, approbamus, ratificamus et confirmamus conditionibus sub praemissis harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in arce nostra Fagarasiensi die decima mensis Maji anno 1647. Et subscriptum erat a dextra Georgius Rákotzi et sinistra vero inferiori margine Johannes Szalárdi Vice-Secretarius mp.

Nos itaque praemissa supplicatione antedictorum seniorum caeterorumque verbi Divini Ministrorum ac scholarum Rectorum, medio praenominati Reverendi Georgii Csulai apud nos humiliter facta, benigne exaudita et admissa, easdem literas confirmationales, Privilegiales omniaque et singula in iisdem contenta, sine diminutione et augmento aliquali non abrasas, non cancellatas, non in ulla sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibus literis nostris insertas et inscriptas, quoad omnes earundem continentias, clausulas, articulos et puncta, eatenus quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earundem veritas suffragatur, ratas, gratas et accepta habentes, pro iisdem praedictis senioribus ac verbi Divini Ministris scholarumque Rectoribus, haeredibus et successoribus eorum universis, perpetuo valituras gratiose approbavimus, confirmavimus, ratificavimus, nostrumque illis consensum benevolum pariter et assensum praebuimus, prout acceptamus, approbamus, ratificamus, consensumque et assensum benevolum illis praebemus, harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in civitate Nostra Alba Julia die decima tertia mensis Julii anno 1654. Georgius Rákotzi.

Literas easdem ubi regimen Transylvaniae ad Domum Austriacam transiisset censurae subjecit Tabulae Regiae et Gubernii anno 1698 die XXVI Novembris, locoque suo in omnibus punctis et clausulis reliquit Leopoldus Imperator.

§ XIII. *Literae Armales posteros V. D. M. concernentes.* — Sapientissimus Princeps, qui magno zelo erga doctos viros et pios verbi D. Ministros flagrabat, de eorum posteris aliis etiam literis voluit providere, ut vocant,

Armalibus, quarum medio V. D. Ministrorum liberos statum secularem amplectentes, ipso facto, in conditionem verorum Nobilium et indubitatorum transtulit. Literae sunt sequentis tenoris:

Nos Gabriel Dei Gratia sacri Romani Imperii et Transylvaniae Princeps, Partium Regni Hungariae Dominus, Siculorum Comes ac Opuliae et Ratiboriae Dux.

Excelsa Principum consuevit dignitas inter caetera suorum operum gesta, hanc curam habere praecipuam, ad idque studiosius intentionem suam dirigere, ut, suorum subjectorum conditione et statu pensatis, unumquemque juxta labores meritos ad altiores honores, gradus felicioresque provehat successus, sed et ad uberiorem honestae dignitatis attollat famam. Ex hoc enim Principum augetur fastigium, quo dignioribus conspiciuntur praesidere personis. Eapropter cum jam inde ab origine felicis inaugurationis et suscepti Regiminis nostri nihil magis in votis habeamus, quam ut primum omnium nostram in omnibus rebus erga Deum testari pietatem, ejus Ecclesias modis omnibus ampliare ex eoque Divini Numinis gloriam propagare, atque in seras transfundere posteritates valeamus. Dignum sane et aequitati justitiaeque omnino consentaneum fore judicavimus, ut eos etiam, qui rebus divinis vacarent ac ad salutem et vitam sempiternam consequendam facem veluti praeferrent hominibus, omni honore et praemio cumularemus. Quemadmodum enim in universorum et singulorum in Regno nostro Transylvaniae existentium verbi Dei orthodoxorum Preconum, seu Ministrorum filiis et filiabus ipsorumque haeredibus et posteritatibus utriusque sexus universis ornandis, nunc id ipsum ostendere voluimus, ut scilicet non ipsi tantum, sed posteri quoque universi per jam fatos sacrorum administratores, hunc virtutis et industriae caperent fructum. Ad singularem itaque et fide dignam nonnullorum fidelium consiliariorum nostrorum relationem ac intercessionem dictorum universorum et singulorum in Regno nostro Transylvaniae degentium verbi Dei orthodoxorum Preconum seu Ministrorum omnes filios et filias de principalis nostrae potestatis plenitudine et gratia speciali, antea etiam non ex obscuris oriundos parentibus eximendos ac in coetum et numerum verorum, natorum et indubitatorum Regni nostri Transylvaniae et Partium Hungariae eidem annexarum Nobilium annumerandos, aggregandos, cooptandos et adscribendos duximus. Decernentes et ex certa nostra scientia animoque deliberato concedentes, ut iidem praefatorum universorum et singulorum in Regno nostro Transylvaniae commorantium verbi Dei Orthodoxorum Preconum seu Ministrorum filii et filiae omnes ipsorumque haeredes et posteritates utriusque sexus universas * a modo in posterum quoque

* universae (ed).

omnibus illis gratiis, honoribus, indultis, libertatibus et immunitatibus, quibus caeteri veri, nati et indubitati Regni nostri Transylvaniae et Partium Hungariae eidem annexarum Nobiles, quomodolibet de jure et ab antiqua consuetudine usi sunt et gavisi utunturque et gaudent, uti, frui et gaudere perpetuis semper temporibus valeant atque possint. In cujus quidem nostrae erga ipsos exhibitae gratiae et clementiae, ac principalis munificentiae testimonium veraeque et indubitatae Nobilitatis signum haec Arma seu Nobilitatis insignia: Scutum videlicet militare erectum coelestini coloris, in cujus campo sive planicie Leo dimidius ex nubibus tumultuantibus emergens, uno, sinistro Altari removens Biblia sacra, alteri dextro pedibus anterioribus Angelus descendens, acinacem cui ad latus sinistrum haec verba aurea scripta leguntur Arte et Marte dimicandum praebere visitur. Scuto incumbentem Galeam militarem contegit Diadema Regium variis unionibus pretiosissimisque margaritis exornatum, a summitate vero Galeae Feniae sive Lemnisci hinc inde ad utramque scuti oram pulcherrime defluentes, illud decenter ambiunt exornant, prout haec omnia in principio sive capite praesentium Literarum nostrarum pictoris manu et artificio propriis suis coloribus recte et decenter depicta esse cernuntur. Eisdem praeannotatorum verbi Dei orthodoxorum Preconum seu Ministrorum filiis et filiabus, ipsorumque haeredibus et posteritatibus utriusque sexus universis benigne danda duximus et conferenda. Annuentes et ex certa nostra scientia animoque deliberato concedentes, ut iidem a modo imposterum futuris et perpetuis semper temporibus eadem Arma seu Nobilitatis insignia more aliorum Regni Nostri Transylvaniae et partium Hungariae eidem annexarum Nobilium, sub iisdem Juribus et Praerogativis, Indultis, libertatibus et immunitatibus, quibus caeteri veri nati et indubitati Regni nostri Transylvaniae et partium Hungariae eidem annexarum Nobiles, vel natura et consuetudine hactenus, quomodolibet de jure usi sunt et gavisi utunturque et gaudent, ubique in praeliis, certaminibus, hastiludiis, torneamentis, duellis, monomachiis ac aliis omnibus et quibuscunque exercitiis militaribus et Nobilitaribus, nec non sigillis, velis, cortinis, auleis, annullis, vexillis, clypeis, tentoriis, domibus, generaliter vero quarumlibet rerum et expeditionum generibus, sub merae ac sincerae Nobilitatis titulo; quo ipsos ac haeredes et posteritates ipsorum utriusque sexus universos ab omnibus cujuscunque status et praeeminentiae homines existant insignitos, dici, nominari haberique et reputari volumus, ferre, gestare, illisque uti, frui et gaudere haeredesque et posteritates ipsorum utriusque sexus universi valeant atque possint.

In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes literas

nostras pendenti et authentici sigilli nostri munimine roboratas et communitas memoratorum universorum et singulorum in Regno nostro Transylvaniae commorantium modernorum et futurorum verbi Dei orthodoxorum Preconum seu Pastorum omnibus filiis et filiabus haeredibusque et posteritatibus ipsorum utriusque sexus universas clementer dandas duximus et concedendas. Datum in civitate nostra Alba Julia die XIII Julii anno Domini Millesimo sexcentesimo vigesimo nono [1]).

Gabriel mp. L. S.

Stephanus Kovachoczi
Cancellarius mp.

Anno D. 1630 publicatae proclamatae in oppido Enyed loco videlicet solito celebrationis Judiciorum Comitatus Albensis per Casparem Boithi Comitatus Albensis juratum Notarium mp. L. S.

§ XIV. Potiorem vitae partem Princeps hic in bello peregit, disciplinam militarem a temporibus Matthiae primi Regis Hungariae inter Hungaros evilescentem et fere intermortuam resuscitavit, antiquamque in bello Hungarorum gloriam ipsis restituit. Praeliis justis, duabus et quadraginta vicibus aut interfuit aut praefuit [2]). Multa, quae hic dignissime referri possent, pertinent ad historiam civilem. Laudi illi cessit in Hungariae Regem electo, cum coronam et Regni insignia ad manus haberet, ob studium pacis Ferdinando Imperatori resignasse, quare in Theatro Europaeo hoc disticho est celebratus anno 1622:

Sceptra mihi laus est oblata fuisse; sed illa
Possideant alii, nec meminisse juvat.

Nono et quadragesimo aetatis anno tentari morbo coepit, quo etiam superatus est. Testamentum condiderat memorabile, ubi multa et fere fidem superantia legavit Romanorum Imperatori Ferdinando secundo, Hungariae Regi Ferdinando Tertio, Gustavo Adolpho Sueciae Regi, Electori Brandeburgico, conjugi suae Catharinae, Regni Proceribus et Consiliariis, cognatis, benevolis, servitoribus, equos generosos cum phaleris et ornamentis Regiis, Arma, supellectilia et vestes in auro, argento, gemmis, moneta signata, in patenis, discis, poculis, crateribus et variis formis utensilium. Quae omnia se adhuc vivo seorsim in Arcibus deposuit. Privatis personis collata Devae, in rationem conjugis segregata Fagarasini, quae vero Regni, Ecclesiarum et scholarum necessitatibus deputaverat Szomosujvarini ad fidelissimas manus [3]). In rationem Ecclesiarum contulit ultra LXXVI florenorum millia [4]). Quaedam ex his speci-

---

[1]) Ex originali.
[2]) A Brachelius in Hist. sui temporis pag. 41. Kazy Hist. Reg. Hung. Lib. III pag. 235.
[3]) Vide vitam Joannis Kémény ad an. 1629 MSS.
[4]) In vita N. Bethlen MSS.

ficabo ex Tabulis testamenti. Collegio Reformatorum Albensi nunc Enyedini residenti ultima voluntate sequentia contulerat:

1. Sex florenorum millia pro aedificiis necessariis in rationem docentium ac discentium; in Academiam enim collegium istud transformare conabatur. Verum expeditionibus bellicis praepeditus ac tandem morte aedificia inchoata perficere non potuit.

2. Viginti florenorum millia, unde Professores et Alumni intertenerentur annuatim, ita quidem ut in civitates ea summa distributa penes Interesse elocaretur, capitalis nunquam interverteretur, sed pro fundo maneret perpetuo. Inde hodiedum est Professorum Collegii et aliquot Alumnorum intertentio.

3. Taxam civitatis Debrecinensis bis mille florenos annuatim facientem, quae ad annum usque 1680 fuit administrata.

4. Vineam in Promontorio Tokaiensi Hétszölö dictam cum jure Regio, quam Catharina Princeps cum successoribus intervertit.

5. Oppidum Enyed cum omni suo censu et decimis, cum pagis Miriszló, Fel Enyed, Musina, Détse Hidas, Besenyö et portione Henningfalvensi.

Praeterea scholis Cassoviensi et Claudiopolitanae singulis seorsim trecentos florenos, Debrecinensi et Varadinensi quadringentos, M. Vasárhellyensi, Rivulinae, Szathmár Nemetinae ducentos, Enyediensi et Desiensi centum quinquaginta; verbi Divini Ministris Joanni Dajka Keresüi superattendenti, Petro Alvintzi Cassoviensi, Joanni Tzegledi Etsediensi, Stephano Katona Gelei Aulico Ministris, centenos Ducatos seorsim singulis, et singulos calices aureos. In rationem Nosocomiorum mille trecentos sexaginta florenos. Actoribus super funere mille ducentos, pro pauperibus totidem tunc dividendos, studiosis ibidem praesentibus octingentos, militibus Praetorianis duorum mensium stipendium et reliqua [1]).

§ XV. Placide obdormivit Albae Juliae anno aetatis XLIX, Regiminis XVII, Salvatoris nostri MDCXXIX die XV Novembris, inimicis gaudium, Ecclesiae Christi luctum, Regno ob Catharinae muliebrem inconstantiam reliquit turbas et confusiones. Liberos equidem Michaelem et Gabrielem a Susanna Karoli conjuge priore susceperat, at mustea adhuc in aetate fati violentia ereptos: a Catharina vero Brandeburgica nullos. Provinciam pauperem, viris excultis orbatam, acceperat: at vero viris arte militari clarissimis, Politica et Ecclesiastica scientia instructissimis, auro denique, argento et omnibus bonis divitem a se reliquit. Monumentum in Templo Albensi majore ubi sepultus est collocatum ita se habet:

Serenissimus ac Celsissimus Princeps Gabriel Bethlen

---

[1]) E testamenti Tabulis apparet et Vita Joan. Kemeny, qui tunc Thesauro in Fagaras pro Catharina deposito praeerat. MSS.

Dei Gratia quondam sacri Romani Imperii et Transylvaniae Princeps, Partium Regni Hungariae Dominus, Siculorum Comes ac Opuliae et Ratiboriae Dux &c. postquam rebus auguste gestis in Regem Hungariae eligi meruisset, et tali titulo (salute Patriae sic poscente) abdicato remque pacemque redintegrasset, inita tandem cum Augustissima Electorali Domo Brandeburgica affinitate res Transylvanorum Marte ac Arte florentissimas reddidisset, aqua intercute placide hic in Regia sua obdormivit anno Christi MDCXXIX die XV Novembris aetatis suae XLIX[1]).

De Stephano Bethlen.

§ XVI. Gabriele Bethlen vivis exempto uxor Catharina successit, quae pridem in generali statuum consessu Princeps declarata fuit. Suscepit fasces Gubernatore Stephano Bethlen defuncti germano, paucis tamen tantum mensibus dignitati praefuit; dum enim Proceres ambitione variisque respectibus sub muliebri imperio laborarent, illa vel regere vel regi nescia Principatum in Stephanum Tsaki, in quem et amorem transtulerat suum, conferre meditabatur, at Regnicolae in Comitiis elegerunt Stephanum Bethlen, cui et homagium praestiterunt. Qui jam filium et generum clam ablegaverat ad Georgium Rakotzi opibus et clientelis potentem, invitabatque ad capessendum Principatum suamque offerebat illi operam, nescius sortem in se casuram. Erat Rakotzius in itinere versus Transylvaniam, cum electionem Bethlenii resciret. Cum vero factio ea, quam fovebat Catharina (quae oderat Stephanum, cui subesse debebat secundum electionis conditiones), Rakotzio faventior esset, Stephanus ultro Principatum resignavit, ne ad arma deveniendum esset, liberamque iterum statibus electionem reliquit, ut ita dissipata per varias factiones Provinciae membra in unum coirent. Maluit esse privatus sine sanguine, quam cum ejus effusione in Principatu confirmari.

§ XVII. Uxor illi fuit Christina Tsáki Gabrielis filia, ex qua quatuor filios totidemque susceperat filias. Gabriel et Voltangus pueri adhuc rebus humanis exempti. Stephanum et Petrum Gabriel Princeps filiorum loco habitos, in exoticis oris doctrina et experientia reddiderat excultissimos. Stephanus vitae sociam sibi adsciverat Georgii Szétsi filiam Mariam, improlis tamen decessit anno 1632 die XXIII Decembris. Petro in uxorem convenerat Catharina Illyésházi Casparis filia. Sine liberorum solatio is quoque juvenis decessit. Atque ita ex linea recta Gabrielis et Stephani Principum in sexu masculo haeredes relicti sunt nulli[2]). Jactari tandem

[1]) Kazy in Hist. Reg. Hung. Lib. III. pag. 236.
[2]) Joan. Kemeny in Vita S. Mss.

desiit Stephanus Bethlen quoque senior, qui varia per omnem vitam fortuna usus, sui tamen qua erat animi moderatione, potens, aetatis sexagesimo sexto anno, Domini vero 1648, sepultus in Templo Albensi. Monumento ipsius sequens elogium inscriptum est:

Hic Stephanus Bethlen senior jacet: inclyta Dacum
Progenies, Patriae vera corona suae.
Illi prima, Deo laudes dare, pascere servos
Christi, cura fuit: caetera pacis amor.
Pacis amore suos, dederat quos Dacia, fasces
Exuit, et patriam pacis amore beat.
Quis super hunc lacrymas solvat? quis vulnera sanet?
Hunnica vix superant pulpita, templa, scholae [1]).

De Georgio Rákótzi.

§ XVIII. Georgius Rákótzi, filius Sigismundi, primum Gubernatoris, tandem etiam Transylvaniae Principis, sub Bethlenio Principe copiarum ejus Dux. Post fata Gabrielis Bethlen, ubi Regnum in manibus Catharinae Brandeburgicae periclitaretur, volentibus ita Regni Proceribus in Regimen successit anno 1630. Male hanc ejus in Principatum successionem ferebat Romanorum Imperator, qui mittebat Palatinum Nicolaum Eszterházi ad eum e Transylvania proturbandum cum valido exercitu. Cui Stephanus Bethlen Junior Hajdonum peditumque omnium Generalis occurrit ad aggeres Rokomáz et dissipato ejus exercitu recedere in Hungariam coegit. Sequentibus annis inciderat in controversiam cum Stephano Bethlen seniore, cujus partes Turca armis tutabatur volebatque in Principatum reducere; verum Turcarum quoque exercitum ad Szalontam fudit et fugavit, unde parta pace et quiete Regnum suum sub toto Regiminis tempore ab hostili incursione salvum retinuit defenditque.

§ XIX. Passus erat se induci a Suecis et Hungaris anno 1644, ut bellum Caesari inferret, quod tandem felici pacificatione finiit, cujus articuli Corpori Juris Hungarici sunt inserti. Accumulandis opibus Princeps animum adjecisse nimium traditur, qui tamen largus et liberalis fuit erga Ecclesias.

In praecipuis civitatibus existentes Ecclesias magnae molis donaverat campanis. In rationem Valachorum qui tunc uniti cum Reformatis erant Novum Testamentum et alios libros necessarios edi curaverat [2]). Claudiopoli Reformatorum statum florentiorem reddiderat, quos dimidia etiam civitatis decima ornavit [3]). Quid pro Reformatis in Hungaria praestitit,

---

[1]) Extat apud Kazy in Hist. R. Hung. Lib. VI pag. 120.
[2]) Docent Literae e Capitulo Albensi extractae.
[3]) In Tractatu Steph. Gelei Titkoli Titka in Praefatione.

jam superius ea vidimus. Effecerat in confoederatione cum Gallo et Sueco, ut Transylvani quoque Westfalicae includerentur Pacificationi. Laudi huic Principi cessit amor studii Biblici vel apud exteros, qui septies et vigesies ordinaria lectione inter tot armorum strepitus universa perlegit Biblia; ideoque Alphonso Arragonum jungitur Regi [1]).

Parta undique Regno quiete et pace, anno aetatis LV, Regiminis XVIII, Salvatoris nostri MDCXLVIII mortalitatem et Principatum exuit. Monumentum argenteae Tabulae incisum fuit sequens a necessariis positum. Monumentum serenissimi celsissimique Principis, Domini Georgii Rakotzi primi, Principis Transylvaniae, potiorum Regni Hungariae Partium Domini, ac Siculorum Comitis, Principis summa sapientia, sancta temperantia, incredibili vigilantia, incomparabili pietate, admirabili felicitate laudatissimi, optimi Patriae defensoris, acerrimi publicae pacis vindicis, addictisimi Musarum Moecenatis, sincerissimi Ecclesiae Patroni, cum ineffabili Orbis Christiani damno, Albae Juliae anno MDCXLVIII Octobris XI hora antemeridiana, aetatis LV, mense IV die III sanctissime defuncti, X Januarii anni sequentis honorificentissime humati [2]). Eodem plane tempore Poloni comitia Varsoviae celebrabant Regem electuri, magnaque eorum pars coronam Rakotzio deferebat, at Regi Regum placuit loco coronae terrestris ornare eum coelesti.

§ XX. Conjunx illi obtigerat Susanna Lorándfi Michaelis filia, mulier doctissima et sanctissima; quae opes animumque ad edendos optimos convertit auctores: in hunc finem celebrem erexit typographiam Patakini in Hungaria, quam post fata mariti et filiorum sub gravi anathemate legaverat scholae Patakiensi tunc omnium artium scientiis florentissimae. Nurus tamen ejus Sophia Bathori cum ad Pontificios rediisset intervertere verita non est [3]). Ipsa quoque Susanna Lorándfi scripserat libellum quoddam de rebus fidei in rationem Domesticorum; unde occasio nata est quibusdam famoso ejus nomen proscindendi libello; cujus rei meminit Princeps in Literis ad Palatinum Regni Hungariae et queritur laesi nominis restitutionem praeteritam fuisse et neglectam. Amaros istius satyrae fructus tandem plurimi degustare coacti sunt [4]). Filii fuerunt Georgius natu major in Principatu successor et Sigismundus, qui ingenio fuit jucundo, hilari excultusque in omnibus scientiis, moderatus, affabilis, ad magna quaevis perficienda natus. Anno 1651

---

[1]) Cattenburg Spicileg. Theolog. Christianae pag. 44.
[2]) Kazy Hist. Regni Hung. Lib. VI. pag. 121.
[3]) Veres tromfosdi pag. 82. Titulus ille est Libri tunc editi.
[4]) Confer. Kazy Hist. Regni Hung. Lib. V pag. 53, 58.

pene pompa Regali in conjugem sibi adjunxit Friderici V Regis Bohemiae et Electoris Palatini filiam, Henriettam, quae sequenti anno simul cum marito variolis extincta est. Sepulchro Sigismundi inter alia incisa sunt: Sigismundus florentibus annis integer, maximarum virtutum concursu inclytus, admissa communi lege Henrietta, conjuge sanctissima, Friderici Palatini Rheni filia, tantae jacturae propemodum impatiens, inter vivos vivus esse desiit anno MDCLII secunda Februarii[1]).

De Georgio Rákótzi Secundo.

§ XXI. Vivente adhuc patre in Principem electus a statibus Regni, eo e vivis exempto actutum in Regimen successit. In exordio Regiminis magnam gloriae famam consecutus erat, militem in armis, Provinciam in fide, vicinas Regiones in foedere continebat atque in potestate habebat. Lupum Basilium Moldaviae Principem volubilem et chameleonte mutabiliorem et ipsa factione factiosiorem, in Porta Otthomanica Principem iniquissime deferentem, primum in ordinem redegit, mox pilos tantum non animum mutasse deprehensum Regno exturbavit, suffecto in ejus locum Stephano ejusdem cancellario, cui a Turca confirmationem quoque procuravit. Walachiae Vajvodam sede sua ejectum, punitis ejus subditis restituit. Auxilia Polonis in periculo versantibus in tempore non requisitus submisit, dissipatisque Kozaccis et Tartaris pacem Reipublicae conciliavit. Quibus magnam sibi gloriam acquisivit, circumvicinas vero gentes terrore perculsas ad venerationem sui nominis adegit.

§ XXII. Leges Regni publicas nullo ordine connexas, per eximios Patrii Juris peritos sub titulo Approbatarum Constitutionum Regni Transylvaniae digestas, edidit, prouti Leges civiles Romanas et Constantinus Magnus et Theodosius Magnus in ordinem redigere tentaverant, tamen Justiniano ea gloria relicta fuit: ita Praedecessores tentaverant quod Georgius perfecit. Praefationem conclusionemque istius operis et rem ipsam et illius aetatis Jurisperitos declarantes, huc transferre necessarium puto.

Nos Georgius Rákoczi Secundus, Dei Gratia Princeps Transylvaniae, Partium Regni Hungariae Dominus et Siculorum Comes &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis. Quod cum inter praecipua recte regendi et regnandi requisita justitiae tropheum erigere et astraeam terris revocare haud minimum esse, et hoc non nisi beneficio Legum pro re nata elaboratarum et recte dispositarum obtinere posse noverimus, sollicite eam ob rem, et a Dominis regnicolis sollicitati, studio tam utili et cum primis Principi et Magis-

[1]) Kazy ll. cc. pag. 167.

tratui Christiano competenti ab ipsis Principatus nostri auspiciis non nihil intenti fuimus in id consiliorum nostrorum vela extendentes; quo pacto justa et necessaria haec solicitudo ad Numinis Divini gloriam et publicam ditionum nostrarum quietem et emolumentum optato terminaretur colophone. Si quidem minus nos fugiat, recte dispositas et bono ac usui communi accommodatas leges instar animae esse. Ut enim haec corpori vigorem et nitorem, imo ipsum esse suppeditat, ita illae rebus publicis et dominantium thronis stabilimen et robur adferre solent, Principes fidelibus suis reciproci amoris vinculo connectunt, instillantes et ingenerantes cordibus eorum observantiae mutuae zelum, in unum corpus coagulant. Unde et pacis amoenitatem et Imperiorum incrementa scaturire experientia testis est. Nec mirum, authore enim Deo natae a Mose Protonotario exceptae, et subsequentibus seculis, secundum diversas nationes, regna et urbes, per viros ingenio plurimum valentes acquisitae, variatae et moribus hominum applicatae, progressum sumpsere. Quorum altos titulos et nomina clara, siquidem nil nisi extrema mundi periodus delere possit, recensere minus necessarium ducentes, unius Justiniani magni illius Imperatoris meminisse juvat, qui Arte ac Marte potens, tantum operae in methodica Legum dispositione impendit, ut totum Juris Civilis syntagma a nomine ejus Justinianum audiat.

Nec defuit hoc in gente nostra Legum studium, ut Decreta Regum antiquorum attestantur, maxime sub Vladislao Rege, collaboratore Magistro Stephano Verbötzi (qui Authoris Juris Tripartiti nomen illo apud nos labore meruit). In eundum scopum magni illi viri operis Quadripartiti compilatores vigiliis suis collimarunt, et postmodum Ferdinando I et Johanne Regibus, de summa rerum infelici eventu concertantibus, gens nostra diu victoriosissima, intestini et externi belli fluctibus miserandum in modum obruta, et ad incitas redacta. Haec vero Patriae pars, quae hodie Regni Transylvaniae titulum obtinet, sub peculiari Principatu, sibi salutem quaerere non sine furore Martiali coacta, quamvis inter arma sileant leges, nihilominus earum curae deditissimam fuisse multis consuetudinibus et Decretis pro re nata ingeniose adinventis declaravit. Hac autem nostra tempestate celsissimus etiam Princeps, Dominus Pater et Praedecessor noster, excelsi nominis, eadem legum componendarum propensione ductus, sancita avitica ex publicis comitatuum et civitatum Archivis et Protocollis colligi et erui procuraverat, nisi gravia regnanti negotia otia ei rei sufficientia subtraxissent, et rebus pacatis, triumphanti vitae fila abrupta fuissent. Consimili etiam voto et conamine ante eum laudatissimus Princeps Gabriel Bethlen in anno 1619 legibus ordinandis manu et consilio admoto, non contemnendum Juridici Processus specimen ediderat, cujus ductus in dicendis juribus et hodie plerumque observari solet. Verum ut

illud necessitate fatali interruptum, ita hoc pro praesenti rerum statu, justo compendiosius esse, nec priscorum statutorum succum plene exhausisse, nec sat distincta methodo rerum momenta discriminasse videtur: plenius itaque et distinctius aliquod Juris Enchiridion meditati, quo semota confusionum caligine, et judicum et litigantium, sed et juris dicendi studiosorum commodo consuleremus, in comitiis superioris anni (qui nobis obitu fratris charissimi et nostro ac nostrum morbo desperato nonnihil novercatus est) certum antiquorum et recentium Decretorum ab anno videlicet 1540 ad hunc praesentem in unum systema colligendi modum, virtute publicae constitutionis praescripsimus, nominatis ad id idoneis et jurium ac consuetudinum Patriarum peritis viris, quorum industria laudabili propositum istud eodem ipso anno suum etiam sortitum est finem. Angoribus tandem Deo propitio anni illius superatis, ut primum praesens 1653 affulsit, actutum ad XV Januarii mensis, Dominis regnicolis trium Nationum Regni nostri Transylvaniae et annexarum Partium Hungariae, Diaetam Anniversariam, in hanc civitatem nostram Albam Juliam tractandis rebus publicis, et examini ac dispositioni collectorum Articulorum indicere, e re esse visum est. Quibus congregatis et praecedaneis comitiorum solennitatibus more modoque consueto peractis inter caetera negotia publica, revisioni collectorum Articulorum opera multa impensa est, ac primum etiam privatim in senatu examinati, et in convenientem ordinem redacti, formam libelli accepere. Qui ut climatior prodiret, cum iterato Dominorum consiliariorum examine trutinatum, tandem in consessu etiam Dominorum Regnicolarum publice lectum et relectum et ad amussim jurium rerumque Patriarum recognitum in tales sectiones, non logico quidem, sed usuali ordine partiri visum est. Primo etiam cura rerum Ecclesiasticarum disponitur. Secundo negotia Principum statum et Fiscum concernentia pertractantur. Tertio dominos regnicolas tangentia rerum momenta indigitantur. Quarto causae forenses in suum ordinem rediguntur. Quinto Edictorum publicorum series subjicitur. Quibus ea etiam, quae juxta Propositiones nostras in praesenti hoc conventu in articulos concludenda fuerant, ut rerum occasio jubebat, inserere placuit, totumque opus in forma libelli pure conscriptum, Domini status et ordines trium Nationum Regni Transylvaniae et annexarum Partium Hungariae nobis obtulere, demisse supplicantes, cum ipsi libellum illum, publico calculo toties examinatum, jurium suorum et justitiae administrationi proficuum et in omnibus clausulis consonum agnovissent, Nos etiam idem et omnia in eo contenta admittere et approbare, eisdemque et eorum haeredibus ac posteritatibus pro legibus et consuetudinibus valiturum authoritate nostra Principali roborare et confirmare dignaremur. Cujus quidem libelli tenor sequitur in hunc modum: Hic recensetur totus

iste Legum publicarum liber et tandem concluditur.

Nos itaque, qui nihil prius potiusque habemus, quam Ditiones nostras legibus et statutis aeque ac armis regere et defendere, accepto tali constitutionum systemate, votisque ac supplicationibus Dominorum regnicolarum benevole exauditis, cum opus illud nihil nisi antiquis et recentioribus Decretis et Juribus consonum experiamur et rem earum cum legibus et sancitis prioribus et recepta consuetudine, methodo licet diversa, usui quippe accommodatiori, contineat, non potuimus non illi assentiri, imo quo ad omnes continentias, articulos et puncta, ratas gratas et accepta habentes, pro Dominis regnicolis et eorum posteris universis valituras acceptavimus, approbavimus et confirmavimus, promittentes nos benigne omnia in illis contenta, tam nos ipsos observare, quam per alios observari facere; prout acceptamus, approbamus et confirmamus, harum nostrarum chirographo, et sigillo nostro munitarum vigore et testimonio Literarum mediante. Datum in civitate nostra die XV Martii anno 1653, Principatus vero nostri quinto. Spectabilibus, Magnificis, Generosis ac Egregiis Stephano Haller de Hallerkö Küküllöiens. Francisco Rhédei de Kis Rede Maramarosiens. Stephano Serédi de Görtsön Arcis et Praesidii Nostri Szathmariensis Capitaneo Supremo, et Kraszna ac Szolnok Mediocris, Johanne Kemeny de Gyerö Monostor, exercituum nostrorum campestrium Generali, Consiliario Aulae nostrae ac Arcis et Districtus Fagarasiensis capitaneo supremo, Decimarum universarum Arendatore etiam supremo, et Albensis Transylvaniae (qui in adornando isthoc opere plurimus fuit). Francisco Bethlen de Keresd, Aulae Nostrae Magistro supremo, et dicti Albensis Transylvaniae. Stephano Sulyok de Szopor, Thesaurario nostro et Hunyadiensis. Acacio Bartsai de Nagy Bartsa Districtuum Karansebesiensis Lugosiensis Bano, in Judiciis Locumtenenti nostro, et Hunyadiensis. Gabriele Haller de dicta Hallerkö Arcis et Praesidii Nostri Boros Jeneiensis capitaneo supremo et de Zarand, comitatuum honores tenentibus. Item Thoma Bassa de Zabola trium sedium Siculicalium, Sepsi, Kezdi et Orbai, ac Stephano Petki de Királyhalma, sedium itidem Siculicalium Tsik, Gyergyó et Kaszon capitaneis supremis, consiliariis nostris, operis praetacti examinatoribus, censoribus et approbatoribus. Item Johanne Bethlen de dicta Keresd, comite supremo comitatus Tordensis, Georgio Vitéz de Bikallya, Francisco Orban de Lengyelfalva. Petro Jorma de Giroth et Stephano Szent Páli de Homorod Sz: Pal. Tabulae nostrae Judiciariae Assessoribus, Magistro Georgio Lázár de Gyalakuta, Protonotario nostro, Stephano Virginas de Várad in Partibus Hungariae Regno nostro Transylvaniae annexis, et Martino Sarpataki de eadem, in memorato Regno nostro Transylvaniae causarum Fiscalium Directoribus; nec non Stephano Körösi, Michaele Károlyi, de dicta Varad et Francisco Farkas

de Bögöz. Prudentibus item et circumspectis Johanne Rayzner civitatis nostrae et sedis Saxonicalis Cibiniensis consule, ac Johanne Literato civitatis etiam nostrae Bistriciensis syndico, collectionem Articulorum industrie operantibus [1]). Egregie isto opere Legum perfecto de Transylvania Princeps meritus est.

§ XXIII. In tantum Transylvania bello paceque ac praecedentium Principum vigilantia excreverat, ut sua mole jam nutare videretur propiorque fato, dum Principis amicitiam et succursum hinc Suecus cum Kozaccis ambiret, inde Respublica Polona expeteret, placuit confoederatio cum Suecis adversus Polonos. Igitur anno 1657 in Januario expeditionem suscepit, ipsa rerum natura remorante per Alpes nive geluque rigentes Poloniam non sine multarum rerum jactura ingressus. Craccoviam Regiam ipsam occupavit, nec defuit in initio successus. At vero Suecica militia adversus Danum revocata, in Polonorum autem succursum exciti Tartari, suopte Christianis infensi, missae quoque ab Imperatore Romanorum auxiliares copiae, Transylvanus in solo peregrino adversus tot hostes perdurare non potuit, Princeps cum paucis suorum in Transylvaniam evasit, relicto exercitu suo Joanni Kemeny exercituum Generali, at vero fame enervatus cum frustra per Podoliam reditum rimaretur, obsessus a Tartaris, tandem se illis liberam dimissionem fide interposita spondentibus dedidit. Nulla habita ratione fidei ubi arma posuerunt in captivitatem abripiuntur Tartaricam, atque ita flos Nobilitatis Transylvanicae periit in expeditione Polonica. Solus Joannes Bethlen commendans Craccoviensis fidei suae commendatos ter mille viros salvos in patriam reduxit.

§ XXIV. Obstabat Turcarum Sultannus Rakotzii in Poloniam expeditioni; cum vero ejus voluntati se non accommodaret nec expeditioni supersederet, mandavit Transylvanis, ut alium sibi Principem eligerent, more patrio investiendum et confirmandum remoto a Regimine Rakotzio. Electus est Franciscus Redei a Statibus Regni invitus, qui Regimen acceptare prorsus noluit. Rakotzius etiam privatam perosus vitam dignitatem exuere noluit; unde evenit, ut Tartaros, Turcas et Valachos Turcarum Imperator in Transylvaniam immiserit, eamque ferro et igne totam evastaverit, inque cineres redegerit. Centum millia et amplius Christianorum tribus illis annis e Principatu Transylvaniae perierunt [2]). Saepe quis pro fumibulo tabacchi et pro scutica in castris divenditus est [3]). Ita castella, templa, civitates in cineres resederunt, ruderaque aedificiorum obstinatam adhuc illacrymantur Principis temeritatem. Praelium cum Turcis iniit ad Vaskapu, ubi victus, mox ad Gyalu et Jenes

---

[1]) Confer Praefationem et conclusionem Approbatarum Constitutionum.
[2]) Joan Bethlen Lib. II pag. 62.
[3]) Toppelt in Dedicatione Libri origines et occasus Transylvanorum.

iteravit, et vulnus accepit, ex quo VI Julii anno 1660 Varadini obiit [1]).

Uxor illi fuit Sophia Bathori de Somlyo nata Catholica, quae ob dignitatem Principalem vivente marito reformatam se simulavit, quo e vivis sublato ad Romano-Catholicos rediit; inque eorum religione filium unicum Franciscum educavit. Quomodo tandem Ecclesias florentissimas in Hungaria oppressit, jam superius enarravimus.

De Francisco Rédei.

§ XXV. Otthomannica Porta, unde Transylvani dependebant, cum severe Transylvanis Rakotzii propter inobedientiam degradationem demandasset et alterius in ejus locum secundum patrias Leges electionem, dignus omnium statuum calculo habitus est Franciscus Rédei, qui illa ornaretur dignitate et in principale eveheretur fastigium. Fuit hic vir pius, probus, mitis, apud omnes charus et inter Regni proceres opibus et clientelis potentissimus, filius Francisci Rédei illius, qui sub Principibus Botskai et Bethlen Generalis exercituum, Capitaneus Varadiensis et Aurei Velleris Eques erat. Electus in Principem anno 1658, cum Rakotzius Principatum retinere pedibus manibusque niteretur, Rédei ultro dignitatem abdicavit anno eodem, et in Hungariam profectus continebat se in suis possessionibus, praecipue autem in arce Husztiensi, quam jure uxorio possidebat, moram trahens. Uxor illi fuit Drusianna Bethlen, Stephani Bethlen de Iktar Senioris filia, quae ex paterna Domo mascula prole orba principales plane divitias illi attulerat. Filium unicum habuit Ladislaum supremum in Trisedibus Capitaneum, qui, properato vivis exemptus fato, parentes acerbo funeri mersit. Magnus fuit Musarum patronus et Literatorum Moecenas, multa in rationem collegii Debrecinensis contulit, praecipue autem fovit scholam Szathmáriensem, cui circa annum 1666 amplissimos e suis possessionibus reditus, Molendinum, cum duobus pagis contulit et ad alendos scholae illius alumnos ordinavit; at sequentibus temporibus e faucibus Reformatorum iis ereptis ad usus proprios converterunt Jesuitae [2]).

De Achatio Bartsai.

§ XXVI. Achatius Bartsai sub regimine Georgii Rakotzi secundi fuit Karansebesiensis et Lugosiensis Banus, Comitatus Hunyadiensis Comes supremus, consiliarius et statuum Praesidens. Ablegatus ad supremum Purpuratum cum Joanne Luts Saxone a Regni statibus ut illi supplicaret, desisteret internecione delere afflictam gentem, anno 1658 in Principem

[1]) Wagner Hist. Leopold. pag. 84. Kazy Lib. VIII pag. 240.

[2]) Historia Reformat. pag. 618.

designatum, Transylvanis eligendum jussit, simulque cum copiis Turcicis cinctum ad comitia remisit.

Mutabilem et inconstantem se in Principatu gessit, modo dignitatem Principalem retinere velle visus, modo ultro aliis concedere, donec ita titubanti simul vita et dignitas ablata est[1]).

Paulo ante mortem cudi fecerat monetam cum inscriptione: De Profundis clamamus ad te Domine, in aversa parte: Serva nos quia perimus[2]). Sub obsidione Cibiniensi aliam procuderat in memoriam cum hac inscriptione: Achatius Bartsai D. G. Pr. Tr. Pa. Re. Hu. Do. Sic. Com. 1660. Sub oppressione Rakotziana Regni Transilv. et obsidione Cibiniensi. Deus providebit[3]).

De Joanne Kemény.

§ XXVII Joannes Kemény originem duxit ex antiquissima Keményiorum familia, patre ortus Balthasare. Post literarum studia cum annorum esset sedecim, Principis Gabrielis Bethlen Aulae ministeriis mancipatus, rebus ejus magnis admodum adhuc juvenis interfuit. Post fata Bethlenii in servitio Catharinae Brandeburgicae mansit, donec Rakotzius regimen suscepit. Rakotziorum tandem Principum per viginti annos primus Aulae Minister exstitit, variisque honoribus ac legationibus cumulatus, supremus etiam subinde exercituum Campestris Generalis. Cum exercitum Rakotzius in Polonia amisisset, Keményius cum aliis Proceribus Regni eodem fato involutus per Tartaros in captivitatem abductus, biennium in Crimiensi carcere haesit: ubi interea historiam vitae suae et res gestas Principum Bethlenii et Rakotziorum, quibus ipse interfuit, scripsit. Libertati restitutus, cum Provinciam fluctuare inter aemulos Principes videret, Rakotzium, qui dignitatem exuere nollet, et Bartsaium, qui regimini praeesse nesciret, abiit in Hungariam matrimonium contracturus, continuitque se Arannyas Medjesini. Mortuo Rakotzio, qui Bartsaium ferre nolebant, praecipue autem Siculi, quos varie vexaverat et excarnificaverat Casparus Bartsai ob fidelitatem in Rakotzium, plurimi e Proceribus, imo et ipse Bartsai Principatum Joanni Kemény detulerunt anno 1660, cujus conditiones cum eligeretur extant in compilatis constitutionibus[4]). At Turca virum artibus bellicis clarissimum ferre prorsus noluit, igitur anno 1661 supremus Vezirius Transylvaniam ingressus cum innumerabili Tartarorum Turcarumque multitudine Provinciam evastabat, Keményiumque persequebatur,

---

[1]) Joh. Bethlen Hist. Transylv. Lib. III. pag. 227.
[2]) Wagner Lib. II. pag. 92. Nova Dacia pag. 88.
[3]) Köleseri in Auraria Romano Dacica Cap. III. pag. 146.
[4]) Part. II Tit. I art. IV pag. 13.

qui in Hungariam progressus se periculo subtraxit. Principatum vero Turca obtulit Francisco Rédei, et ejus filio Ladislao, sed ille nec minis nec promissis induci ut acceptet potuit, nec ex arce Husztiensi egressus est[1]). Offerebat etiam Stephano Petki, Paulo Beldi, at neutri placuit ea dignitas. Fama est apud vulgum nota Judici M. Vasarhellyensi, et Lucae Herman Augustanae Confessionis superintendenti praelonga insignitis barba eam dignitatem detulisse: tandem e castro suo Ebesfalva Michaelem Apafi in castra evocatum et deductum in Principem eligi curat per nobiles praesentes, sicque rebus utcunque compositis e Provincia discessit.

§ XXVIII. Keményius animadvertens irreconciliabile Turcarum odium, auxilium per legatos solicitabat a Leopoldo Romanorum Imperatore. Suscepit causam Imperator et per legatos tentabat Keményii reconciliationem cum Turcis: responsum habuit: Keményium vivere ultra non posse, si ejus causam tuendam Caesar susciperet, pacem violatam videri[2]). Promisit tamen decem auxiliariorum millia et etiam praestitit quaedam duce Generali Montecuculli, in itinere fame et peste maxime enervata. Apafium exautorare volens se Principatu et vita privavit ad pagum Szölös, ubi equo effusus a multitudine obtritus[3]). Fuisset Keményius si fata sivissent, confessione omnium bonus Princeps, commodis moribus, sedata indole; qui rei militaris magnam variis expeditionibus experientiam comparaverat. Extremis autem diebus cum nihil rite ageret, erroresque cumularet erroribus, stupori prudentioribus et amicis fuit.

De Michaele Apafi.

§ XXIX. Originem traxit Princeps Michael Apafius ex antiquissima Apafiorum familia; quae natales suos simul cum Bethlenia, cujus ramus esse censetur, ad Abam tertium Hungariae Regem Christianum, S. Stephani Regis sororium, refert[4]). Proavus Michaëli fuit Georgius Praefectus Aulae Joannis Regis Hungariae. Avus Nicolaus Comes Comitatus Kükölöiensis, pater Georgius sub Gabriele Bethlen consiliarius, fratres germani, Georgius, Stephanus et Balthasar, qui mortuus in captivitate Crimeensi. Ipse quoque pars cladis fuit exercitus Rakotziani in Polonia, qui abductus in captivitatem a Tartaris lytro persoluto libertati est restitutus post diuturnos carceris squallores. Modum liberationis tradiderunt nonnulli factum miseratione matronae Turcicae,

---

[1]) Kazy Lib. VIII pag. 246. Wagner Lib. II. pag. 96.
[2]) Wagner Lib. II. pag. 93.
[3]) Wagner II. cc. pag. 103.
[4]) Wolf, Bethlen Hist. Lib. V pag. 249. vide § IX superius. Czwittinger in Voce Apafi pag. 17.

quae fidem matrimonii ab eo pacta, brevi post obierit[1]). Verum id non est; alia enim ars liberationem minori quam Dominus ipsius cogitatione praefiniverat, lytro factam juvit, nempe quod explorator Tartarus alter, qui ideo in Transylvaniam missus fuerat, ut fortunas Apafii propius cognosceret, pecunia corruptus, tenuiora omnia, quam res erat, retulisset. Unde explorator ille apud suos durare timuit: moxque Apafium parabili lytro liberatum secutus, ex ejus liberalitate, ut meruerat in Transylvania sustentatus et etiam mortuus Albae Juliae[2]).

§ XXX. Constituerat in Principem famigeratus ille Vezirius Ali Passa, qui Transylvaniam ultricibus flammis involvens in cineres redegit, quem hodieque antiqua murorum rudera loquuntur. In castra sua trepidantem abreptum ubi Principem nominasset, obstupuit alia omnia in animo versans, nec excusare se valens Provinciae gubernandae praeficitur anno 1661 et Kis Sellykini in comitiis confirmatur.[3]) Erat vir natura mitis, et ultra sortem ac dignitatem lenis; unde evenit ut Magnates plurimi ejus lenitate abusi se invicem sub Regimine ejus oppresserint. Inciderat in ejus aetatem horrenda in Hungaria Protestantium persecutio; quae multos Magnatum ac Nobilium ob religionem patria fecit extorres; quos Apafi susceptos hospitio et opibus juvit. Variasque pro iisdem adornavit Legationes ad Augustiss. Imperat. et Hungariae Regem, et ad Portam Otthomannicam, imo etiam armis circa annum 1678 restituere conatus est; at finem propositum, cum debita illi subordinatio non servaretur, assecutus non est. Multi enim ex Proceribus suam captabant in aliorum miseriis ditescendi occasionem, et privatum quaerentes commodum, publicum everterunt bonum.

§ XXXI. Sacram Scripturam in delitiis habuit. Literatos fovit. Theologiam Marci Frid. Vendelini ipsemet in linguam Hungaricam transtulit ac edidit anno 1674. In religione Reformata ad mortem usque constanter et pie perseveravit. Inventi sunt tamen nugacissimi quidam scriptores, qui ad posteros transmittere veriti non sunt, eum deserta confessione Reformatorum ad Romano Catholicos defecisse, quod nil nisi commentum est. Hoc idem de aliis affirmant Principibus Viris Georgio Rakotzio secundo, Emerico Tökölio, et nostra nunc aetate de omnibus Magnatibus, qui sunt alicujus nominis, ut eo fuco incautam plebem facilius a veritatis via seducere possint. Diu precari et diu ad mensam sedere in consuetudine habuit; unde aliquando Leopoldus Imperator ejus

---

[1]) Hoffman in Lexico ad Vocem Transylvania. Caroli Memorab. Eccles. Tom. II. pag. 269.

[2]) Franciscus P. Papai Epist. LIX ad Joh. Jacob. Hoffman MSS.

[3]) Joh. Bethlen Lib. III. pag. 284.

legato per jocum dixit: Vester Princeps semper orat et semper potat[1]).

Per varios casus et per tot rerum discrimina praefuit Transylvaniae XXIX annis, exemptus tandem rebus humanis, cum se suamque Provinciam Domui Austriacae submisisset anno MDCXC die XV Aprilis, aetatis vero suae LVIII.

§ XXXII. Conjunx Apafio obtigerat Anna Bornemisza Pauli filia, quae educata erat in Aula et Ministerio Principissae Susannae Lorandfi pietate in Deum nulli secundae, quae etiam fuit pia, prudens ac circumspecta, mala saepius ex lenitate et facilitate mariti emergentia, sua providentia sufflaminabat, et procerum dominandi libidinem sua prudentia temperabat. Haec circa annum 1686 incidit in morbum animi corporisque vel in Historiarum monumentis vix occurrentem, qui nec Medicorum peritia nec Theologorum solertia tolli potuit. Laborabat membrorum corporis contractione et animi perturbatione, cujus mali causa sagarum artibus attribuebatur; habita est diligens et severa in sagas inquisitio, feralibus flammis quae ea suspicione gravabantur consumptae miserandum spectaculum praebuerunt. In criminis hujus suspicionem tanquam coryphaea venerat Pauli Beldi ante titulo rebellis e Provincia pulsi ac sublati Magnatis vidua, quod ex ore ejus aliquando auditum sit: Se tandem aliquando quovis modo Principissam esse futuram. Hinc carceri in arce Deva inclusa inter spem et metum vitam cum morte commutavit. Interim Principis uxor ea phantasiae turbela laborabat, ut omnes muscas pro sagis intueretur, nec ulla ratione eas pati potuerit. Si quas aedes ingredi vellet, summa ab Aulicis cura muscae abigi debuerunt, quarum odorem si utensilibus vel ipsa absente consedissent, subolfaciebat, nec ferre poterat. Hinc semper novae mensae, novae mappae, orbes, cultri, cochlearia, linteis albis involuta ad manus Aulicis esse debuerunt, quibus ubi semel usa fuit, amplius adferri non potuerunt et usui accommodari[2]). Biennium in eo statu conflicta tandem pie in Domino defuncta anno 1688. Carmen funebre Francisci P. Pápai M. D. et Professoris Enyedensis e manuscripto, ut nactus sum, exhibere dignum censeo.

Soliloquium Emortuale.

Celsissimae Transylvaniae Principissae Dominae, Dominae Annae Bornemisza &c in Castro Ebesfalva pie in Domino Jesu defunctae Anno 1688 mense Augusto. Ex Cant. II. 3. In umbra ejus summe desidero, ut sedeam.

---

[1]) Smeizel in Histor. Transylv. Lib. III. § 442 MSSc.

[2]) Smeizel ll. cc. § 456. Supersunt adhuc qui in eo statu viderant.

Vita fluens, scripto tandem contermina fini,
Queis ego te pretiis cumulem, queis laudibus ornem
Et queis pro meritis, quaeso? seu prisca requiram,
Nupera seu memorem, nihil est, nisi tradita late
Materies fugiendi hinc, et jam lapsa dolendi.
Prima quidem nec nota satis, nec carpitur aetas
Quam solam paulum solata est cura Parentum.
Caetera non una est mihi divexata cicuta.
Mustea enim fueram lactentis ab ubere, quando
Excipit Aula sinu, tenerae et fit posthuma nutrix,
Cujus alumna diu, cujus sortita peregi
Fida ministeria, a pedibus deposta Susannae
Lorandfi, merito quam postera grandior aetas
Hanc Dominam Matremque mihi, sic glorior, ut ni
Hanc laudem, virtutem omnem officiumque rescindam.
Inde thorum, matura viro, nomenque capesso
Apafidum de stirpe, tuum Michael, decus unum.
Hic quoque non ita, laeta diu, distinxit amores
Nunc coeptos Regni infelix concussio, quando
Hos patriae fines, haec dulcia funditus arva
Et Martis rabies, Vulcanique horrida strages
Evertere, domum quasi et extersere repente.
In partem hic damni venio, atque amitto maritum
Ad Scythicos, multis distractum passibus isthinc
Dura captivum sub conditione penateis.
Sed nostri Deus ille memor, qui nos sine nobis
Produxit, vinclis validis et compede ruptis
Reddidit ablatum Domui cum foenore solem.
Sole novo cumulans, frontem diademate cingens,
Carceris ac sordes regali murice tergens
Et funes sceptro fortuna dispare mutans
Josephum ut petulans fratrum furor et Potipharis
Carcer in augustum culmen tulit, ut Pharaonis
Servator terraeque foret, fratrumque patrisque.
Sic iterum bonus arrisit post nubila Phoebus.
Experior laetumque thorum, tum fertile sceptrum
Felix alternis mox prole virentibus annis.
Non at in humanis fixum, non stabile quicquam
Nemo vel ipse sibi, non propria viscera, nati,
Dum peperi, Libitina tibi, tibi Parca litavi
Parca, immitis anus, praeda cumulare paravi
Protinus ad lanam surdas ignara sorores.

Quot nati nataeque fere tot funera, totque
Languorum causae maturavere sepulchrum.
Et nisi et hic iterum teneri Deus ipse misertus
Affectus sexusque mei, miseratus et orbam
Prolis honore Domum, nobis quae glisceret, unam
Scintillam haeredem indulgens, facilisque dedisset,
Dudum moerorum cessissem mersa profundis.
Macte igitur virtute puer, charissime verum
Macte Magistratu Michael, scitissime Princeps,
Tu vitae stacte, senii tu balsama nostri,
Tu facilem solus praestas post funera tumbam.
Namque ego nec sine me, nec mecum vivere possum,
Nolo, volo; volo, nolo; aliud fastidia longe,
Mens aliud suadet, petor et negor ipsa per ipsam
Et supero, et superor, mox fastidita reposco,
Conspirans in multa volens, in plurima nolens.
Exul et ipsa meae Domui sic fio, mihique.
O quantas furias, morborum quanta flagella
Et sine mensura et numero conterrita gusto.
Quare age marcentem Malus mea surrige et aegram
Sub carnis squallore animam, pia tegminis umbra
Nullibi sum, nisi sim tecum, mihi nubilis arbos
Te pariter diuturna sitis, Te tristis orexis,
Te lassi cupiunt artus, requiem omnibus unam.
Rore illam pelles, maturis fructibus istam,
His patulae frondes pensabitis unguine vires.
Nil in Te natum non utile, Tu bona tota es
Delectasque juvasque simul, quia dum bona pulchra es,
Prae cunctis hominum natis formosior exis.
Quidni ego Te cupiam deserti errans ovis hujus
Non Patriae Patrisque satis memor, indice ni Te
Ejus quae sinus es, profugos quae colligis ad Te.
Dum patriam linquo, invenio Te, sat mihi dum Te
Almum tam tegmen, tam laeta cacumina prenso.
Erige marcentem, non desero, surrige fessi
Dum cordis vigor est aliquis, nec totus abivit
Spiritus, adde tuam me deficiente salutem.

Liberi Apafio fuerunt Gregorius, Franciscus, Susanna, Maria, Georgius, Michael, qui praeter ultimum omnes in infantia sublati sunt.

De Michaële Apafi secundo.

§ XXXIII. Mortuo Principe Apafi seniore successit filius homonymus

in Principatu, qui anno 1681 jam electus erat a Statibus, a Turca vero confirmatus anno 1684. Quoniam vero Transylvani jam Hungariae Regi sese submiserant, confirmari debebat etiam per Aulam Imperatoris. Viennam in hunc finem expeditus est Paulus Nágy, qui Principis confirmationem solicitaret, requisitis in hunc scopum Reformatorum Principum legatis, Regis Angliae, Ordinum Belgii, Electoris Brandeburgici, ut cooperarentur. Aula pro tunc confirmationem distulit, in futurum vero bene sperare jussit. Anno eodem mense Augusto Tökölius per invias alpes, saxorumque crepidines Transylvaniam ingressus praelio militiam Caesaream et Provincialem vicit; ubi cecidit Michael Teleki Generalis Militiae Nationalis, captus Heislerus et alii quam plurimi, amissus totus belli apparatus, in interiora Provinciae penetrans Comitia Provincialibus indixit, et in Principem Transylvaniae Ceresztyen Szigetini prope Cibinium electus est, at eodem autumno per Badensem Provincia ejectus.

Post praelium ad Zernest Nicolaus Bethlen Legatus Transylvanorum missus est Viennam, qui Diploma de subjectione Transylvaniae a Caesare expeteret, confirmationem Principis Apafii urgeret et alia necessaria concluderet. Diploma conceptum et confectum est, cooperante in eo praecipue Nicolao Gotfredo Danckelman Legato Electoris Brandeb. viro pio, prudente et religioso[1]). Diploma illud dicitur Leopoldinum, quod in Transylvania publicatum per Comitem Veterani Generalem in Transylvania commendantem. Confirmatio Principis dilata est, sed regendae Provinciae gratia constitutum est Gubernium e duodecim Consiliariis.

§ XXXIV. Interea juvenis Apafi Princeps in externis Academiis institui debebat et quibuslibet artibus ac scientiis Principi necessariis imbui, ut Provinciae et Dei Ecclesiae utilis tandem praeesset rector. At vero mala propinquorum et consiliariorum quorundam consilia matrimonii vinculo innexum pessumiverunt. Duxit Catharinam Bethlen Gregorii Bethlen filiam, inconsulta Aula et iis quorum intererat scire. Indignata est Aula, contristati Principes Reformati, qui alias de matrimonio ejus provisum volebant. Multis intercessionibus factum est, ut matrimonium Aula nullum esse declarare negligeret, tandem e conferentia scriptum est: Suo, quem sibi stravit Princeps utatur lecto. Matrimonium conceditur, sed non benedicitur[2]). Adhuc in ore Provincialium superest Residentis Belgici dictum, qui inter alia, ubi infaustum hoc matrimonium exaudisset, scripserit Apafio: Duxisti Catharinam, amisisti Transylvaniam; qui in eo falsus vates non fuit. Nam anno 1696 evocatur ad Aulam, ubi comparet relicta in Transylvania conjuge, proponitur illi nomine Caesaris: ut usque ad pacem cum Turca,

---

[1]) In vita Com. Nicolai Bethlen Lib. II. Cap. XIX in medio,

[2]) Idem ll. cc. Cap. XX in medio.

Transylvania abstineret, Athname seu Diploma Turcicum de Principatu sibi datum Caesari redderet, pro acquisitis paternis bonis alia in aliis ditionibus et provinciis haereditariis acciperet, 12000 florenorum pensionem annue haberet, titulo Principis uteretur, usque dum dabitur occasio exaltandi eum in S. R. I. Principem. Inque sua religione ubicunque in Regnis et ditionibus Caesaris, cum praescitu tamen Aulae, domicilio electo liberrime viveret, pace facta plura adhuc obtenturus. Apafius deprecatur abstinentiam a Patria innocentiamque suam declarat. Respondetur illi: Hoc nulla sua culpa, sed publici tantummodo boni, ipsiusmetque securitatis et salutis causa velle Majestatem. Et dum res haec pendet anno 1699, fit pax cum Turca, manet interea Apafi in Aula, consideratisque temporis circumstantiis prioribusque sibi pollicitis, ea Caesari in mentem revocat. Titulum S. R. I. Principis et annuum 10000 florenorum beneficium seu pensionem obtinet, Diploma Turcicum sibi datum Caesari reddit[1]). Ab eo tempore mansit Viennae privati instar hominis inglorius ad annum 1713, quo 1 Febr. vitae et miseriae finem imposuit, uxor ibidem supervixit ad annum 1725, quo inter mortales esse desiit. Cadavera in Transylvàniam illata Almakerckini Possessionis Apafianae, ubi etiam familiae Monumentum fuit, expectant adhuc sepulturam.

CAPUT OCTAVUM.

De illustribus Magnatum familiis in hac temporis periodo Reformatae religioni addictis.

§ I. Hac aetate omnium Procerum, qui Reformatae Ecclesiae membra ac patroni fuerunt, personalem suscipere descriptionem infiniti esset operis, resupinae autem negligentiae crassaeque ingratitudinis nullius meminisse: dabo saltem catalogum illustrium quarundam familiarum interserta etiam personali nonnullorum descriptione, at brevissima, ad occupandum lectoris animum, ne nudum spectare cogatur hic sceleton. Qui praemonitus hic esse debet, non me omnes hic recensuisse illustres Reformatorum familias, sed eas tantum, quae mihi legenti historias hujus aevi occurrerunt, at fuisse plures mihi nunc ignotas dubium non

[1]) In compendiolo Hist. Transyl. pag. 8 in Append. Hist. Diplomatiae.

est. Neque hic Nobilium familias numerari, sed illustres tantum patriae Procerum, ordine alphabetico, non habito respectu ad dignitatem, recensere.

Apafi. Fuerunt in illustri hac familia multi heroes Reformati, qui regnante Michaële Apafi primo defecerunt, totaque tandem Apafiorum familia anno 1713 in Michaele Apafi Principe Secundo.

Bakos de Osgyan: hinc Joannes et Gabriel claruerunt sub Rakotzio primo, Gabriel Generalis exercituum ejus constitutus anno 1644 in expeditione adversus Imperatorem.

Balassa. Antiquissima fuit Balassarum Comitum familia de Gyarmat et Kékkö. Plurimi inde heroes Arte et Marte celebres extiterunt. Fama Valentini perennat in cantionibus a se concinnatis, typis saepe saepius editis, qui in Poësi tam Latina quam Hungarica excellebat. In ejus laudem sequentes edidit versus Joannes Balog Tolnaeus S. et P. Ecclesiae Ungvariensis:

Diique Deaeque simul coelo nova praelia miscent,
Certatim petitur, cuique Balassa Valens.
Nosse velis, qui sunt et quae sunt? Accipe paucis:
Mercurius, Mavors, Pallas, Apollo, Venus.
Mercurius linguam, Mars ensem, Cypris amorem,
Ingenium Pallas, carmen Apollo rogat.
Ille sciens, vates, orator, fortis, amatus
Sit licet: Haec mihi sunt cuncta Minerva refert:
Sum Dea bellipotens, sapiens sum, sum quoque pulchra,
Nostra Valentinus castra Balassa colat.

Banfi de Losontz. Magno numero semper et hac aetate inclyti heroës ex familia Banfia prodierunt. Opibus et clientelis nominatissimus erat Dionysius consiliarius et supremus comes ac capitaneus Kolosvariensis. Quem ferre quidam aemuli non valentes sinistre apud Principem detulerunt, et istius lenitate et facilitate abusi anno 1674 innocentem criminis quo accusabatur vita exturbarunt. Filius fuit ejus Georgius, quem Leopoldus anno 1692 Gubernatorem Transylvaniae praefecit, an. 1696 Comitis titulo ornavit, qui mortuus est an. 1708 Cibinii. Ex hac familia fuit Sigismundus consiliarius, variis Legationibus functus, Collegii Enyedensis Curator fructuosus. Cujus vexillo funebri sequentes versus in memoriam sunt adscripti:

Banfiadum de stirpe bis octo exercite lustris
Hic tandem Sigismunde jaces, clarissime sanguis,
Roboris exemplar juvenilis et inde senilis
Longi languoris magnum et memorabile funus.

Ille olim magnis admotus honoribus, Alto
Gabrieli primum innotuit, custosque cubilis
Audiit, hinc meruit Catharinae pocula primus
Fida ministrare, a dapibus praeire Susannae
Lorandfi, quantae Dominae! si pristina confers
Rakociis charus magnis, et magna merentem
In comitem adscivit Doboka, in socerumque vocavit
Bartsai Princeps, Aulae primumque magistrum.
Quinque ipsum patriae Domini rerumve potiti
Consilio sancto admorunt, tituloque bearunt.
Postremo hic Michael, quo nunc spirante valemus,
Apafius, qui praeterea huic in jure dicavit
Prima Ministeria ac comitem praefecerat Albae.
Dum gerit haec, Portam Otthomanni quater in tenui re,
Budam bis vidit, conclusus carcere septem
Turribus infami, bonus in patriae bona Codrus
Haec tulit, at vitae saturum praesentis, ad unum
Invitans Christum, melius desiderat aevum.

Basa, unde Thomas Basa sub Principibus Rakotziis et Apafio consiliarius et etiam Capitaneus supremus Trisediensis.

Barkotzi, regnante Gabriele Bethlen hinc Ladislaus Barkotzi Comes comitatus Zempleniensis, vir eximius.

Bartsai. Hinc Achatius, qui post varios in Regno honores in Principem quoque est electus, Andreas, Casparus, Michael sub Apafio Consiliarius vir prudens, probus, pius.

Bathori. Haec familia in sexu virili defecit in Gabriele Bathori anno 1613: hinc etiam fuit Aura Bathori insignis heroina Dionysii Banfi conjunx.

Battyani. Ab initio Reformationis illustris haec familia Reformatam sequebatur religionem, anno tandem 1634 Comes Adamus Battyani Consiliarius et Generalis inferioris Hungariae ad Romano-Catholicos transiit, evasitque magnus Ecclesiarum Reformatarum et Augustanarum persecutor.

Beldi de Uzon. Ex hac familia erat sub Principe Bethlenio Clemens Beldi Consiliarius, et in arte militari clarus. Cujus filius fuit Paulus Beldi sub Apafi Principe Consiliarius et exercituum Generalis, vir ingenio, opibus, clientelis et nobilium favore potentissimus, qui aemulorum invidia diu maceratus ac vexatus discessit ad Portam Otthomannicam, ut res suas et Transylvaniae ibi cum Imperatore agens corrigeret, at vero Purpurati ibi quoque pecunia corrupti: ille ibidem detentus et paulo post non sine suspicione veneni mortuus est an. 1678. Filii fuerunt Clemens et David, filia vero Susanna Pauli Vesselenyi uxor.

Bethlen. Multi ex hac familia hac aetate heroes verae religionis sequaces et patroni. Talis erat Joannes Wolphangi ex Anna Kemény filius, qui bimulus a patre relictus pia matris vitricique cura ita educatus et institutus, ut in doctissimum evaserit virum. Cujus testis est Historia Rerum Transylvanicarum ab ipso conscripta et publicata, res gestas, quarum pars magna fuit, ab anno 1629 ad annum 1663 complexus*, et ejus continuatio decem annorum historiam complectens in MSSto. Magnis rebus domi militiaeque gestis sub Principibus adhuc Rakotziis inclaruerat, sub Bartsai tandem Apafi Principibus vita Comite Cancellarii munere functus est. Fuit Collegiorum, Ecclesiarum et pauperum curator, pater et nutricius. Collegium Albense quod in cineres resederat auctor fuit Principi, ut Enyedinum transponeretur, ibidem difficultates subinde emergentes prudenter sustulit, mille florenos ad oppidum deposuit, ut ex interesse quidam studiosi interteneretur. Quinque florenorum millia in fundum sustentationis Collegii Udvarhellyensis convertit, ex Schola triviali in illustre Gymnasium transformavit. Bis mille florenos Scholae M. Vasarhellyensi contulit, hospitalia in possessionibus pro miserorum sustentatione erexit, mortuus est tandem anno Christi 1678 aetatis LXIV.

Tres habuit filios magnis muneribus claros Nicolaum, Paulum et Samuelem. Nicolaus diligenter in pueritia studiis incubuit, tandem studiorum causa commoratus Hejdelbergae, Ultrajecti et Lugduni Batavorum, suscepit peregrinationem in Angliam, Galliam et Venetias, qui varias addidicit linguas et ita se excoluit, ut nemo superior, pauci pares existimarentur. Fuit supremus Curator Ecclesiarum et Collegiorum amplius quadraginta annis. Scripsit Apologiam adversus criminationes de Ministris ad Galeras Neapolitanas damnatis. Maxima floruit apud Imperatorem Leopoldum gratia, tandem anno 1704 invidorum et aemulorum nequitiae vix quod non succubuit; detentus enim in aresto derepente prope erat utoccideretur, sed ubi Aula Wiennensis rescivit, mandavit, ut Wiennam mitteretur. In ultimis vitae annis ubi innocentia ejus declarata fuerat dimissus fuisset, at redire noluit, Scipionis instar ut ingrata patria ne ossa quidem habeat, mortuus ibidem an. 1716, postquam vitam suam et res patriae sermone Hungarico et Gallico descripsisset.

In eadem familia Francisci ex Catharina Kemeny filii fuerunt Wolfangus, Gregorius et Alexius, hic Regni Praesidens mortuus est, iste Generalis militiae Transylvanicae fuit, cujus filiam Catharinam duxerat Apafius secundus, ille magnis virtutibus

* complexa (ed.)

praeditus et forma excellens fere alter Absolon XXV annos natus consilio sanctiori adlectus, scripsit Historiam Transylvanicam inde a clade Mohatsensi bonis documentis fertilissimam ideoque omnibus doctis gratam, mortuus Regni Cancellarius anno aetatis XXXXVIII, Domini vero MDCLXXIX. Sequentibus cum versibus deflevit vir literatissimus Fr. P. Pápai M. Dr. et Professor Enyedensis:

Caetera quis nescit? jacet hic jacet inclytus heros
Heroum sanguis, tradux conformis avorum
Bethlenidum; quantae stirpis, si prisca requiras
Quos proprio tenuit pretio, non degener, unus
Heroum mysta ingenuus, talemque fatetur
Et pietas et prisca fides, juvenisque senecta
Corporis et forma eximia. At quae gratia mentis?
Qualis erat, cum jura daret, vel scita referret?
Principis at qualem suspexit Regia, quando
Ad populum hinc, vel contra, ultro citroque mearet?
Cuncta Magistratum sapere et spirare videntur.
A prima pube adfuerat tantum instar in ipso
Quem flendo colimus, cujus sicca ossa rigamus.
Scipio magne Domus, Magnorum gloria fratrum
Ignis quem patriae casus dubiique probarunt
Semper inextinctum semper cupimusque negatum.
Certe hic mos miseris mortalibus inveteratus
Odisse hunc vivum, quem mox post funera, quaerant
Et lugere licet, frustra multumque dolere:
At revocare gradum minimum falcemque referre
Sola potestatis divinae portio, nulli
Mortali nullo penitus concessa momento.
Quid nos? num duro obnitemur vertice saxo?
Nitimur incassum. Jacet hic jacet inclytus heros.

Berenyi[1]).

Bornemisza. Unde Jodocus B. capitaneus Husztiensis sub Gabriele Bathori, Paulus sub Rakotzio primo magnis honoribus perfunctus, cujus filia fuit Anna Born. Principis Apafii conjunx et Catharina Born. Dionysii Bánfi uxor, quae sublato violenta morte marito inedia ita se maceraverat et emaciaverat, nil hebdomadatim praeter duo ova, panem et aquam in sustentationem sumens, ut vix a Theologis potuerit revocari ad antiquum statum, ut patientia perduraret in adversis.

Botskai. Hac aetate fuerunt ex hac familia Gregorius, Andreas, Nico-

[1]) Confer huc Histor. R. Hung. Kazy Lib II. pag. 131.

laus et alii: tandem anno 1672 in Stephano Comite Zempleniensi, magno religionis zelota defecit.

Daniel de Vargyas. Haec familia Unitariam ut plurimum secuta religionem; fuerunt tamen etiam Reformati, talis erat Joannes Daniel sub Rakotzio primo Consiliarius, Capitaneus Udvarhellyensis et Collegii tunc Albae nunc Enyedini residentis curator supremus.

Dersfi de Szeredahelly.

Devéki.

Eszterházi de Galanta. Nicolaus Eszterházi fuit primus, qui religionem Romano Catholicam intulit in familiam Eszterházianam, Reformatorum antea confessioni semper adhaerentem. Filius erat hic Francisci, ob mutata sacra a patre exhaeredatus, igitur juvenis variorum Aulas secutus, et servitiis mancipatus. Postremo Francisci Magotsi Aulae ministris adjunctus, non ante discessit, quam, sublato a nefariis Magotsio, ejus potiretur vidua et cum ea amplissimis opibus. Rem Jongelinus[1]) ita describit. Neque prius Magotsio Nicolaus, quam ipse Magotsius vitae fortunisque, conjugi Nicolaoque ipsi valediceret. Unde Magotsio fatis functo, rem bono Deo ita disponente, non modo fortunarum Magotsianarum haeres, sed et Magotsianae viduae Ursulae Dersfiae maritus effectus, ob desertam amore fidei paternam haereditatem caeterasque aeternae saluti minime proficuas spes, ea demum sortitus erat latifundia, eos honorum apices, quos et vicina regna, et tota vixdum satis mirata est Hungaria. In Palatio autem Regni Hungariae ita traditur: Post fata sui Patroni, ducta in connubium ultro se offerente Xenii loco, Ursula Dersfia de Szeredahelly Magotsii superstite vidua, amplissimas adeptus fortunas, ad majores quoque honorum gradus pervenit[2]). Filios suos in Romana educavit religione, qui tandem insignes religionis evaserunt Evangelicae adversarii.

Farkas.

Fekete de Frits. Hinc Petrus Fekete sub Principe Gabriele Bethlen exercituum Generalis, Laurentius et alii. Clara autem Joannis Bethlen consors in monumentum pietatis, pro studiosis in Collegio Enyedenai intertenendis, egregiam summam testamento disposuerat. Quae majori ex parte interversa, pars aliqua superest. Alumnus ea fruens Feketista vocatur.

[1]) In Catalogo Palatinorum pag. m. 162.
[2]) Palatium Regni Hung. pag. 105.

Forgats de Gymes. Reformatorum Lutheranorumque sequebantur religionem plures ex hac illustri familia etiam hac aetate, veluti Petrus, Michael, Sigismundus, qui religionem Romanam amplexus tandem evasit in Regni Palatinum [1]).

Gilányi. Hinc Gregorius, qui ex Hungaria Transylvaniam ingressus anno 1655 [2]) continuus erat ad latera Principis Apafii, sororem germanam matrimonio sibi junctam habens. Cum prolis solatio careret, Ecclesiam Reformatam haeredem scripsit: reliquit autem pecuniae paratae quindecim millia, in bonis aliis decem, atque ita viginti quinque.

Gyulafi de Rathot: hinc Ladislaus.

Gyulai. Hinc Franciscus sub Rakotziis consiliarius. Filius ejusdem homonymus sub Apafio itidem consiliarius.

Haller de Hallerstein. Hinc Gabriel Haller exercituum Generalis sub Bethlenio, et alii. Romanam autem religionem illustri familiae intulit Stephanus an. 1638 [3]).

Homonnai. Fuerunt ex hac familia egregii Reformatam sequentes religionem viri. Celebratissimus est Valentinus Druget Homonnai exercituum Stephani Botskai Generalis, rei militaris peritissimus, quem Botskai post sua fata in Principem commendabat eligendum. Fuit judex Curiae Regni Hungariae, Regiae Majestatis Consiliarius, Comitatuum Zempleniensis, Maramarosiensis Comes, Arcis Huszt Dominus, Ecclesiae Dei defensor et propugnator acerrimus, Religionis Christianae adsertor constantissimus. Mortuus est anno aetatis XXXII, Christi Salvatoris MDCIX, die nona Novembris non sine suspicione veneni ab invidis propinati. Illacrymati sunt viri optimi praematuram mortem varii carminibus, ex quibus in memoriam haec pauca depromam.

1. Postquam te genuit lavitque Ungvaridis undis
Euphrosyne verum nomen adepta Parens.
Bartphanae puerum post haec fovere virentem
Hinc et Eperjesides Te docuere Deae.
Ast ubi concessa est annis prudentia major,
Ornarunt thalamos Talya Palochya Tuos.
Tum Ducis officium Tibi contulit Hungara tellus,
Judicis hinc Regni munus habere dedit.
Mors tumulo corpus, mentem Deus addit olympo.
Famam * rite solum personat atque salum.

[1]) Vide Palatium Regni Hung. pag. 98.
[2]) Compil. Constit. Part. III. Tit. XII. Art. III. pag. 49.
[3]) Kazy in Historia Hung. pag. 132.
* Fama (ed).

2. Siccine, Drugetiae decus indelebile gentis,
Dormit Homonnaea dictus ab urbe Valens.
O Patriae Pater, o currus Auriga ruentis,
Cur immatura morte peremptus obis?
Sat vixti fateor, quia sat bene: miles ut acer,
Prudens utque senex, ut juvenisque pius.
Attamen ante diem nobis ereptus abisti,
Hei mihi multorum fletibus aucte Virum.

3. Hic Druget ille Valens; satis est, quam plura referres:
Notior ille solo, gratior ille Polo [1]).

Johannes Balog Tolnai Senior et
P. Eccl. Ungvariensis.

Haeredem unicum reliquerat filium Stephanum. Ex eadem familia in sexu sequiori fuit Maria Druget, Homonnai Georgii viri magnifici Szétsi conjunx.

Horvát de Palotsa, hinc Georgius, qui sororem Botskai in matrimonio habuit. Stephanus sub Bethlenio exercituum Generalis.

Huszár.

Ibrányi. Michael Ibrányi Capitaneus Varadiensis sub Rakotzio.

Illyesházi. Familia haec Augustanam sequebatur confessionem. Praecipuus erat hac aetate Stephanus Regni Palatinus, qui cum improlis esset Casparum fratrem adoptavit; cujus filia Catharina facta est conjunx Petri Bethlen de Iktar.

Josika de Branyitska.

Kabos.

Kákoni. Stephanus Kákoni L. Baro Consiliarius et Thesaurarius Gabrielis Bethlen.

Kalnoki. Wolfangus K. maximus patronus Ecclesiae in Bölön.

Kamári.

Kapi. Andreas et Georgius Consiliarii.

Kassai. Stephanus K. Consiliarius sub Rakotzio.

Karolyi. Hinc Susanna Karoli, Bethlenii Principis conjunx. Michael.

Kátai de Tsege Káta, hinc Franciscus vir insignis.

Kemeny de Gyerö Monostor; hinc Balthasar, Simon, Petrus, Joannes, Ladislaus &c.

Kende.

Kendefi de Malomviz.

Keresztesi. Hinc Petrus, Samuel Statuum Praesidens.

Klobusitzki.

---

[1]) Extant ad calcem Libri Királyi Ajándék.

Kollotovit.

Korlat.

Kun de Osdola.

Lázár. Hinc Emericus, Georgius.

Lisztius. Hinc Joannes et Stephanus regnante Bethlenio.

Lorandfi. Hinc Principissa Georgii Rakotzi uxor, pia, sapiens, quae editis in publicum libris est celebris. Erexerat typographiam Patakini, in rationem Collegii Reformati, quae ab ejus nuru Sophia Bathori Jesuitis est attributa. Michael &c.

Magotsi. Hinc Franciscus Consiliarius Regis Hungariae, Partium Regni Hungariae Superiorum generalis Capitaneus, Comitatuum Bereg et Torna Comes, religionis Reformatae columen decusque, Nutricius Ecclesiarum benignissimus. Anno aetatis XXX, salutis vero nostrae MDCXI, die XXI Novembris in coelestem patriam evocatus, variis honoratus est Epitaphiis. Unum ex iis, ubi beata etiam aliorum celebratur memoria, hic exhibendum censemus:

Plangite, Pannoniae Proceres, Juvenesque Senesque,
Plangite, justa satis causa doloris adest.
Occubuere Simon Forgáts, Tsákique Doboque
Dersfius et Nyári Martis alumne jaces.
Et Báthori Judex Regni vere inclytus heros,
Cui Deus atque Themis maxima cura fuit.
Tu quoque, Botskaidum decus immortale, domasti
Ausonii postquam facta nefanda Lupi.
Ante diem fragiles liquisti corporis artus,
Dum lue pestifera pocula tincta bibis.
Falluntur tamen hic caedis fraudisque magistri:
Quicquid agant, vera haud sternitur ense fides.
Botskaidum semper manet indelebile nomen.
Qui patriam servat non potis ille mori.
Nec te mors totum eripuit, Sigismunde Rákotzi,
Agria cujus adhuc parta trophaea stupet.
Hos sequeris tu Priniadum non ultimus ordo
Cum solvis Stephano fata suprema tuo.
Tuque Sepusiaca Turzonum stirpe create
Tökölioque suae gloria summa Domus,
Tu quoque Homonaides nulli virtute secunde,
Qui poteras titulum Regis habere jaces.
Sed quis tot patriae casus et funera versu
Enumeret? lacrymis obruor ecce novis.
Funera namque prius quam Patroni audio morbum,
O carbone mihi saepe notanda dies!

Funera tangentis mediae vix limina vitae.
Audio Magotsii patria tota dolet
Et merito: Patriae culmen, columenque salutis
Judicio, factis egregiisque fuit.
Pectore virtutem, non tantum stemmate gessit,
Quod jactant multi, sed sine laude viri.
Consiliis fueras Nestor, patriaeque Pericles,
Pelides gestis, Tullius eloquio.
Te Procesque gemunt properata morte peremptum,
Te Populus, Templa et martia castra gemunt.
Tu cum Pannonidum generalia sceptra teneres
Pax et Jazygibus Pannoniisque fuit.
Ast ubi tu jussus sceptrorum ponere curas
Qui casus patriam, quaeve pericla premunt!
Hinc Regni varii motus, hinc tristia bella
Damna urgent, ullo vix reparanda die.
Hungarus in propriam gentem (miserabile dictu)
Ensibus infestis bellum agitare parat.
Quo quales periere Duces, quot bruma necavit,
Quas famis atque sitis saepe tulere vices,
Dacica terra refert, Hunni madefacta cruore
Militis, et Siculi plus satis arva docent[1]).
Deflet Nobilium Hungariae clarissimus ordo
Et Bathori cujus Marte petitus honos.
O Patriae cives, o tristia funera plebis,
Talia quis belli semina tristis alit?
Threiciis canibus satis est cingi undique: saevos
Haud ovium domi opus lacte fovere lupos.
Haec tu prospiciens voluisti avertere, verum
Eripuit coeptis te fera Parca tuis.
Hanc tibi sed quamquam eripuit mors invida vitam,
Virtutis laudes tollere nulla potest.
Vixisti gratus patriaeque bonisque Deoque.
In patria vivit laus tua mensque polo.
At tu Dersfiadum prognata stirpe Dynastum
Ursula, Magotsii fida marita tori,
Pone modum lacrymis: satis est pia jura marito
Solvisse et sancta fata litasse prece.

---

[1]) Respicit Poëta ad cladem Sigismundi Forgáts, qui tempore Gab. Bathori Transylvaniam cum castris ingressus, e Siculia tentabat reditum in Hungariam per alpes Moldavicas, ubi fame major exercitus pars periit.

Non certe periit: sed ad aetheris astra praeivit,
Limina nam vitae prosperioris adit.
Botskaidum semper manet indelebile nomen
VIVet MagoChIDes: SIC qVoqVe HoMonnaIDes.

Honoris et debitae gratitudinis ergo Patrono et Mecoenati perpetuum colendo Georgius Korotz Szepsinus M. P. [1])

Mariási de Markusfalva. Sigismundus, Paulus &c.

Matskasi. Hinc Franciscus et Balthasar sub Apafio Consiliarius et variis legationibus clarus.

Melit de Briber.

Mikes, unde Paulus Mikes sub Apafio.

Nadanyi de Keres Nadány.

Nadasdi. Hac aetate Paulus et Thomas erant Reformati, Franciscus Augustanae Confess., qui ad Romanam religionem transiens factus est maximus Reformatae et Luth. religionis adversarius.

Nagy de Borja; hinc Stephanus et Thomas consiliarii.

Nalátzi de Nalatz.

Nemes de Hidvége: hinc Joannes sub Apafio consiliarius et variis legationibus adhibitus, Capitaneus in Haromszék. Thomas &c.

Nyari de Bedeg. Militari prudentia clari hinc fuere comites.

Osztrozit de Geletintze. Augustanam sequebantur religionem. Nicolaus fuit Lib. Baro et Coronae custos.

Pereni Comites.

Petö.

Pekri.

Petnaházi. Hinc Stephanus et David militiae Duces clari.

Petrötzi. Fuit Confess. Augustanae.

Prepostvári, etiam.

Radak.

Rakotzi. Unde et Principes.

Rátkai.

Redei. Hinc Franciscus Capitaneus Varadiensis, Gabrieli Bethlen charus, cujus filius Franciscus electus erat in Principem.

Revai. Comites Turotzenses.

Seredi.

Sombori.

Sulyok. Franciscus Sulyok.

Szekely. Sub Apafio consiliarius fuit Ladislaus.

Szilvasi de Tsészelitzke.

Szentivanyi.

---

[1]) Edita Oppenheimii an. 1612 cum aliis Epitaphiis.

Szetsi. Hinc Georgius.
Szirmai.
Szinnyei de Szinnye Ujfalu, Christophorus.
Szunyog.
Telegdi.
Teleki de Szék. Michaël Teleki sub Apafio consiliarius familiam illustravit titulo sacri Romani Imperii Comitis; a Leopoldo an. 1690 Transylvaniae designatus erat Gubernator, at fato praeventus est.
Toldi de Szalonta.
Torotzkai de T. Szent György.
Tököli de Kesmark. Hinc Stephanus et ejus filius Emericus, qui post illatam Transylvanis ad Zernest cladem fuit etiam in Principem electus. Augustanam secuti sunt religionem.
Török de Ening. Familia haec inde ab aurora Reformationis Reformatam amplexa et secuta est religionem. Amplissimas possidebat civitates: defecit tandem in Stephano haerede masculo carente, sub Principe Gabriele Bethlen.
Turzó de Bethlen falva, Augustanam confessionem sequebatur: hinc Georgius et Stanislaus Palatini Regni Hungariae.
Tsáki de Keresszeg.
Tsapi de Eszeny.
Tsefei.
Tserényi.
Tsernel.
Valkai.
Varkuts.
Vesseleni. Hac aetate excellebat Paulus.
Vitéz. Unde Gabriel, Franciscus, Andreas.
Ujfalusi.
Zai.
Zitsi.
Zolyomi de Albes; memorabilis fuit David Zolyomi Nicolai filius et alterius Nicolai pater, qui dum eo usque crevisset ut Principi Rakotzio formidabilis videretur, in captivitatem conjectus, Kővárini ad mortem usque fuit detentus.
Zrini. Hinc circa an. 1610 Reformati erant Nicolaus et Georgius.

Fuerunt plures sine dubio Magnatum familiae, in Hungaria et Transylvania, hoc temporis circulo Protestantium religioni addictae, quae me in hoc Regni angulo retrusum exque libris solis sapientem latent, a peritioribus catalogo illustrium familiarum inserendae.

CAPUT NONUM.

De praecipuis verbi Divini Ministris ac maxime iis, quorum memoria, scripto aliquo in publicum edito, conservata est.

Non est mihi animus, singulos in hac temporis periodo viventes V. D. Ministros in catalogum referre; plures enim erant tam in Hungaria quam in Transylvania viri omni doctrinarum genere exculti, quam ut recte id fieri posset. Memorabo solum eos, quorum memoria edito aliquo opere servata aut notabili aliquo facto vita est illustrata. Sequar autem hic ordinem literarum.

Alvintzi Petrus. Fuit civis Enyedensis filius, qui studiis deditus magno ardore in scientias ferebatur. Bis discendi et experiundi causa regiones exteras adiit, tandem an. 1603 Ministerio sacro consecratus, Pastor Varadiensis factus est: inde Cassoviam vocatus anno adhuc 1634 Ecclesiae Dei ibidem magno fructu et populi applausu praefuit. Verbo et scripto decertabat pro fide orthodoxa sanctis semel tradita adversariosque potenter refutabat; unde celebre in Hungaria nomen ejus evasit, praecipue ex operibus adversum Petrum Pazmannum Cardinalem editis. Edidit opera varia, prout ex Responsionibus Pazmanni apparet; mihi tamen se non obtulerunt praeter 1) Postillam, quam ad Evangelia, duobus voluminibus in quarto, Dominicalia an. 1632, 1634 edidit, inscripta* Annae Telegdi Comitis Stephani Nyári de Bedeg conjugi. 2) Responsionem ad anonymi quinque Epistolas. 3) Concionem praemissam copulationis solennitati, cum Petrus Bethlen de Iktar matrimonio jungeret sibi Catharinam Illyesházi.

Apáti Nicolaus. Generoso prognatus patre Debrecini in Hungaria, ibidem literarum fundamenta posuit. Tandem studiorum augendorum causa Lugdunum Batavorum se contulit, ubi omnes scientias, maxime vero Theologiam excoluit. Edidit opera 1) de pretiosis Aharonis gemmis. 2) Vitam triumphantem civilem, sive universam vitae humanae Peripheriam, ad mentem illustris Herois et Philosophi D. Renati des Chartes ex unico centro deductam, Amsterodami an. 1688 in octavo[1]).

Apatzai Tsere Johannes Phil. et S. S. Th. Doctor, ortus est de Apátza, gnaviter autem studiis in schola Claudiopolitana ac tandem in Collegio Albensi incubuit. Unde attraxit amorem Stephani K. Geleji

[1]) Vide Czvitting in Spec. Liter. Hung. pag. 22.

* inscriptam (ed.)

superintendentis Reformatorum, qui viatico bene instructum dimisit ad Academias Belgicas, ibi tanto incubuit ardore studiis Philosophicis, Philologicis ac Theologicis, ut pulcherrimam sui nominis famam acquireret, Sparta quoque illi Professoris offerretur, at ex obligatione in patriam redire debuit. Ubi factus primum in Collegio Albensi Rector Physicam, Astronomiam et Geographiam docuit. Mox transpositus Claudiopolim Jus et Theologiam discipulis dedit, anno 1659 morbo phtisico sublatus, brevi secuta eum conjunx, quam in Belgio sibi junxerat. Scripsit et edidit Ultrajecti an. 1653 1) Encyclopaediam lingua vernacula. 2) Logicam itidem vernacula lingua, artis terminos tentabat efformare; alii tamen eum secuti non sunt, quod mirandum.

Ats Michaël Pastor Ecclesiae Jaurinensis in Hungaria. Scripsit libellum lingua Hungarica Boldog Halal Szekere, de Arte bene moriendi, quo libro eximiam peperit sibi nominis famam, qui editus est anno 1700 [2]).

Batai Georgius. Fuit Pastor Claudiopolitanus ac tandem Zilahiensis. Commendavit posteris memoriam suam, duobus scriptis lingua Hungarica libris, Lydio Lapide Spirituali et Meta electorum, anno 1666 in octavo editis.

Báthori Michaël, quem e collegio Debrecinensi sumptibus suis ad Academias promoverat comes Franciscus Redei. Redux in patriam factus est concionator aulicus Patroni sui, inde Sz. Jobensis, mox Husztiensis ac tandem Debrecinensis. Edidit conciones quasdam sub titulo: Hangos Trombita, an. 1664 in 8.

Beregszászi Stephanus, unus ex praecipuis Ministris Reformatis, qui Posonium citati titulo Rebellionis, at revera Religionis, mortis sententiae subjecti et ad Triremes Neapolitanas damnati sunt.

Betskeházi Stephanus, Pastor Püspökiensis Hebraice et Graece doctissimus, cui versionis Bibliorum cura cum Georgio Ts. Komaromi commissa fuit.

Dalnoki Benkö Martinus, Scholae M. Vasarhellyini florentis moderator, qui Hungarica civitate donavit Flori Historiam Romanam ediditque an. 1702 in 12mo.

Debreceni Ember Paulus. Cursu Academico absoluto fuit Pastor et Professor Patakiensis, dein Losontziensis, Szathmáriensis ac demum Debrecinensis. Egregia edidit opera lingua quidem Hungarica 1) Siclum Sacrum seu conciones anniversariis Festis accommodatas. 2) Garizim et Ebal, seu Tractatum de Electione et Reprobatione. Hunc librum e sermone Hungarico in Latinum transfudit

[2]) Confer Czvitting ll. cc. pag. 13.

ac refutare conatus est Martinus Regis anno 1707. Collegerat Debrecenius historiam Hungarorum Ecclesiasticam, quam tandem Fridericus Adolphus Lampe sub titulo: Historia Ecclesiae Reformatae in Hungaria et Transylvania, Trajecti ad Rhenum an. 1728 edidit in 4to.

Debrecinus Kalotsa Joannes, edidit 1) lingua Hungarica Taddaei Conciliatorium Biblicum, Trajecti an. 1658. 2) Vindicationem selectorum N. T. locorum a cavillis hostium fidei, Franekerae an. 1658. 3) Interpretationem Cantici canticorum lingua Hungarica, quam collegit ex Deodati Pastoris Genevensis annotationibus Italicis, an. 1693.

Debretskei Ambrosius, Pastor Varadiensis, scripsit et edidit commentarium in Epistolam Pauli ad Romanos lingua vernacula an. 1603 in 4.

Dregely Palanki Joannes, Pastor Tallyensis, edidit opera cum his titulis: 1) Conciones in Catechesin Palatinam; 2) Catena salutis, 3) Sacra Medicina, 4) Speculum Mysticum.

Dési Martinus, vide catalogum Professorum Enyedensis Collegii.

Enyedi Johannes, Pastor Ecclesiae Kezdi Vásárhellyensis, ubi scripsit libellum de conversione sub titulo: Vox coelestis, editum anno 1657. Inde Vajda Hunyadinum translatus anno 1665 edidit tractatulum vernaculum cum titulo: Aperta divinarum promissionum Aurifodina.

Filepszállási Gregorius, V. D. Minister in Tornyos Nemethi, eximium scripsit libellum precatorium cum hoc titulo: Praesidium Christianorum, an. 1694 Cassoviae edidit.

Filitzki Johannes. Cum bellis Turcicis et intestinis omnia miscerentur in Hungaria, Pragae in Bohemia studiis operam dedit. Inde profectus in Germaniam Herbornae, Marpurgi, Heidelbergae Basileaeque ea continuavit ac perfecit. Ad Poeticen natura inclinavit ediditque in publicum varia carmina: 1. Genethliaca, 2. Gratulatoria, 3. Propemptica, 4. Philothesia, 5. Symbola, 6. Prosphoneses, 7. Epithalamia, 8. Paramythetica, 9. Funebria, 10. Epigrammata. Adgratulati sunt illi varii. Goclenius ita:

Quaeris Johannis carmen sit quale Filitzki?
Et nitidum verbis et grave rebus habes.

Petrus Lotichius Poeta eximius hoc encomium illi posuit:

Commendas Patriam non vana laude, tuosque
Impariter scriptis o Filefalva modis.
Legimus ingenuae, Vates, monumenta juventae.
Quanta senex olim carmina, quaeso, dabis[1])?

[1]) Czvittinger pag. 146.

In patria factus est Professor Patakiensis circa an. 1622.

Füsös Johannes, V. D. Minister in S. Patak, edidit Speculum Regum, ubi tractat de virtutibus in Regentibus necessariis.

Geleii Katona Stephanus, videndus in catalogo Superintendentium Transylvanorum.

Harsányi N. Jacobus. Fuit hic in juventute Michaelis Apafi, tunc pueri, tandem Principis informator: inde jussu Principis Rakotzii linguam Turcicam edoctus, ut formaretur in interpretem ad Portam Otthomannicam; vertente tempore in patriae turbis Academias Germanicas adiit, redux factus Professor Varadiensis. Discessit tandem ex patria et Consiliarius Electoris Brandeburgici fuit, qui ad orientem correspondentiam ipso medio exercebat: anno 1676 adhuc vixit [1]).

Harsányi Mauritius Stephanus, Pastor Ecclesiae Rima Szombathiensis, vir doctus et prudens, unus ex illis V. D. Ministris, qui Posonium citati et ad Triremes divenditi sunt. Eliberatus Belgarum intercessione diu in Helvetia apud Heideggerum resedit, ubi Historiam persecutionis Ministrorum interea composuit.

Hegyesi Stephanus, fuit vir politicus, Administrator bonorum Principis Apafi. Scripsit librum lingua Hungarica sub titulo Magnum pietatis Mysterium seu de vera et aeterna Deitate unius Dei Patris, Filii et Sp. Sancti, ordine pulcherrimo, nomen suum his literis B. I. H. I. divinandum reliquit, Boros Jenöi Hegyesi István facientibus. Latine scripserat adversus eos, qui Johannis Cocceji dogmata denigrabant et discipulos ejus molestabant. Extat in Manuscripto.

Huszti Stephanus, M. Doctor et V. D. Minister, Hungarice edidit Hortum Paradisi Johannis Arnd an. 1698 et Manuductionem ad coelum Johannis Bona Cardinalis anno 1705.

Katona Emericus, qui ortus erat Ujfalvini in Baronia: didicit Patakini inde Vittebergae, Hejdelbergae, redux in patriam factus est Professor Patakiensis an. 1599, mox Pastor Sigismundi Rákotzi, inde Göntziensis, demum Kereszturiensis, ubi an. 1610 aetatis XXXVIII mortuus est. Scripsit 1) de libero arbitrio, 2) Antipapismum quinque in partes distributum, 3) Tractatum de Patrum, Conciliorum ac Traditionum auctoritate circa fidei dogmata [2]), cultus item ac mores vivendi.

Keresztúri Paulus, Pastor Aulicus Principis Rakotzii et omnium fere Magnatum communis in Transylvania praeceptor. Callebat optime

[1]) Nicol. Bethlen in Vita Sua Mss. et Historia Ref. pag. 638.
[2]) Czvittinger pag. 200, Hist. Reform. pag. 344.

Artem Didacticam et exercebat cum fructu discipulorum sine pari Linguam Latinam et quas ipse ignorabat brevi sine taedio puerorum, pariter et alias scientias facile edocebat. In docendo observavit, 1) ut cum pueris blande indulgenterque velut pater agebat et sibi non metum verum favorem apud ipsos conciliabat. 2) Modum docendi in classibus receptum secutus non est, sed omnia ad puerorum captum et utilitatem facilitavit, observavit maxime: omnia sponte fluant, absit violentia rebus. 3) Scribere et legere lingua nativa docuit incipientes. 4) Quum legere tunc docuit etiam scribere pueros. 5) Voces ediscendas cum pueris scribi curavit. 6) Vocabula et phrases ex memoria reddere non coegit severe, verum saepius legendo et relegendo, nunc Latina mox Hungarica, chartula obtegendo memoriae imprimi fecit. 7) Regulas Grammatices, Syntaxeos, Prosodiae docuit equidem at brevissime; maxime exercuit discipulos in stilo. 8) Stilum formabat ex vocabulis et phrasibus jam memoriae impressis, saepe vero simplicia tantum dabat vocabula, v. g., Homo, Ignis, Aqua, Terra, Arbor &c. jubebatque ex iis formare conceptum aliquem, mox Latine vertendum; per solertiores corrigebat hebetiores atque ita inter istos excitabat aemulationem. 9) Prosodiae regulis paucas horas impendit, sed via monstrata breviter ad scribendos versus discipulos applicuit in iisque exercuit. Rhetoricam autem non multum curavit. 10) Majores scientias redigebat in Quaestiones et Responsiones, quas saepius repetendo effecit familiares. Ubi profectus observavit, argumenta et syllogismos formare jussit, et in iis exercuit. Ipse edidit opera sequentia nativo sermone: 1) Christianum lactantem sive Catechismum. 2) Christianum adultum, sive Tractatum de fidei articulis. 3) Pasturam Spiritualem, sive Psalmi XXIII explicationem concionibus complexam. 4) Semitam rectam sive conciones morales. 5) Dialogum Sacrum. Mortuus est an. 1655 aetatis suae LXVI.

Keresszegi Stephanus, Pastor Debrecinensis et superintendens cis-Tibiscanus, edidit Concionum de Fidei Christianae articulis promptuarium secundum ordinem Catecheseos Palatinae, an. 1630 in 4to, librum laude dignissimum.

Ketskemeti Alexis Johannes, Pastor Patakiensis et Tractus Zempleniensis Senior. Edidit quasdam conciones Festales an. 1615, item commentarium ad Prophetiam Danielis an. 1621 editum.

Komáromi Tsipkés Georgius, S.S. Th. Doctor, Pastor et Professor Debrecinensis linguarum originalium callentissimus, qui dum Trajecti

studiorum causa commoraretur doctam sub ductu Leusdenis Hebraicè recitavit orationem, a doctis laudatam. Varia reliquit ingenii monumenta, veluti 1) Scholam Hebraicam, Trajecti an. 1654 editam. 2) Hungariam illustratam, seu Explicationes vocum Hungaricarum. 3) Disputationem de bis mortuis. 4) Philosophiam Hungaricam. 5) Conciones sub titulo: Vera Fides. 6) Aliquot centurias concionum qua Funebrium, qua Festalium. 7) Tractatum egregium cum titulo: Novitas Papismi. 8) In vernaculam transtulit Theologiam Volebii. 9) Transtulit etiam universam sacram Scripturam ex Hebraeo et Graeco fonte, quae edita est Leidae circa an. 1719. Exemplaria cum in Hungariam deferrentur detenta sunt et confiscata, nec unquam eliberata.

Köleséri Samuel, Professor Varadiensis, tandem Pastor Debrecinensis. Varia edidit opuscula, veluti 1) Pomum Aureum, ubi conciones ad occasiones varias exhibuit. 2) Lydium Lapidem Hypocritarum, qui veram profitentur religionem. 3) Cardinem salutis, ubi articuli Fidei ad salutem necessarii vertuntur. Pater erat Samuelis in Philos. Medicina et Theologia Doctoris, in Transylvania post varia officia Consiliarii sub Carolo Sexto.

Laskai Johannes, fuit V. D. Minister in Aula comitis Stephani Bethlen, qui etiam in Principem erat electus. Hungarice versam edidit Panacaeam Vedelii an. 1644. Item Tractatulum edidit de Quaestione: An tempore pestis fugere liceat? Titulus est: Cito, Longe, Tarde.

Lisznyai Kováts Paulus, post studia in collegio Patakiensi peracta, praefuit Scholae Cassoviensi, inde Academias Germanicas adiit, in patriam redux factus est Professor Debrecinensis, ubi edidit Chronicon Hungaricum, item Chronologiam sermone latio an. 1684, opus pulcherrimum.

Margitai Petrus, fuit vir doctus, Pastor autem Szathmariensis, qui ingenii monumenta reliquit 1) Conciones in orationem Dominicam, 2) Commentarium in Prophetiam Jonae, 3) Conciones Exequiales an. 1632 editas.

Martonfalvi Georgius. S. T. Doctor, Professor Varadiensis ac tandem Debrecinensis. Edidit in usum juventutis Scholasticae Dialecticam, Theologiam Didacticam et Elenchticam, Historiam sacram, quae quidem a morte ejus est edita.

Medjesi Paulus, Pastor in Aula Susannae Lorandfi Principissae, vir doctus. Regimen Episcopale voluisset permutare in Presbyteriale, unde turbas excitaverat quasdam cum caeteris ejusdem sententiae asseclis, quas tamen cito ingruens patriae calamitas composuit. In hunc finem ediderat Dialogum Politico Ecclesiasti-

cum Bartphae an. 1650. Edidit et alia opuscula 1) Lelki ABCe spirituale Alphabetum, seu Principium fidei et religionis. 2) Facem ardentem de Authoritate SSrae an. 1645. 3) Gaudium Sanctorum Patrum, ubi demonstrat existentiam Christi ante nativitatem a S. Virgine an. 1640. 4) Praxin pietatis quam Anglice composuerat Ludovicus Bailius et obtulerat Carolo Primo Angliae Regi, cum hoc versu:

Tolle malos; extolle pios; cognosce te ipsum;
Sacra tene; paci consule; disce pati.

Liber iste verae doctrinae et consilii, quo Christianus in vita sua dirigitur, et piarum precum cum sit penu, igitur est acceptissimus ejusque editio saepius iterata est.

Melotai Nyilas Stephanus, Pastor Ecclesiae Szathmáriensis et Vicinarum superintendens; ex ejus consilio schola Szathmariensis erecta est. Gabriel Bethlen vocavit in Transylvaniam et factus est Pastor primarius Albae Juliae. Sequentia reliquit opera: 1) Agenda, seu Formulam administrandi sacramenta et copulandi neogamos, 2) Compendium ejus, 3) Coelestis Doctrinae sarrimentum an. 1617. 4) Speculum Trinitatis, ubi refutat librum Georgii Enyedi et doctrinam de SS. Trinitate confirmat, an. 1622 in 4to.

Miskoltzi Casparus. Dum in Belgio studiorum causa moraretur, conscripsit exiguum libellum de Puritanis et Independentibus in Anglia cum hoc titulo: Independentismus Anglicus an. 1654. In patria cum esset Pastor N. Banyensis an. 1689 et omnia persecutionibus ferverent, simul cum collegis et scholae tum florentissimae Rectore ac studiosis inde proturbatus est aetatis an. LXI. Transylvaniam ingressus, cum sine vocatione Görgényini moraretur, Historiam animalium Franzii in linguam Hungaricam transtulit. Factus tandem an. 1691 Pastor Igeniensis; inde Pastor et Senior Udvarhelyensis an. 1695, ubi sequenti an. 1696 placide in Domino obdormivit.

Molnár Albertus. Natus est Szencini in Hungaria an. 1574. Didicit Jaurini, Göncini, Debrecini, tandem Vittebergae, Hejdelbergae, Herbornae, Altorfii, Marpurgi &c. et potiora Europae loca peragravit. Opera edidit varia, quorum catalogus esto:

1. Lexicon Latino Graeco Hungaricum, cum Dictionario Hungarico Latino, ter a se in Germania editum Francf. ad M.
2. Grammatica Latino Hungarica, Hanoviae an. 1610.
3. Syllecta scholastica
4. Institutionem Juventutis } Norimbergae 1644.
5. Analecta aenigmatica sphyngi Theologico Philosophicae Hejfeldii addita an. 1607.

6. Bibliorum Hungaricorum versionem Hungaricam recognovit et bis edidit Hannoviae an. 1608, Oppenh. 1612.
7. Psalmos versibus Hungaricis illigavit et melodiis gallicis Gaudimelianis adaptavit an. 1607.
8. Catechesin Palatinam recognita versione edidit.
9. Librum precatorium.
10. Calvini Institutionem Christianam Hungarice loquentem fecit et edidit an. 1624.
11. Summum Bonum, seu Discursus de summo Bono.
12. Postillam Sculteticam seu conciones ad Evangelia Dominicalia e Germanico edidit an. 1617.
13. Concionem secularem Abrahami Sculteti e Germanico Hungarice edidit an. 1617 et Principi Bethlenio dedicavit. Tunc sequenti laudatus est modo: Epigramma in labores Clariss. et Doctissimi Viri Dn. Alberti Molnár Szenciensis, Rectoris scholae Oppenhemicae fidissimi, secularem concionem Sculteticam Ungarice evulgantis.

Pannonicae gentis Molnár laudabile nomen,
Fama, decusque tuum, lausque perennis erit.
Hoc patet ex scriptis, quae largiter ipse dedisti,
Lexica, Grammaticen, munera grata scholis.
Post Davidis Psalmos placuit tibi vertere rhythmis,
Queis populus celebrat facta stupenda Dei.
Inde typis rursum pulchris Sacra Biblia profers;
Hinc vox laeta Dei, lexque tremenda patet.
Postea sermonum Sculteti suave volumen
Arte tua didicit Pannonis ore loqui.
Nunc iterum patriae Scultetica Dona ministras
Atque Duci Daciae mittis amante stylo.
Pro quibus aeternum nomen laudemque mereris
Postque tuis meritis praemia digna feres.
Perge precor patriam donis decorare petitis,
Ut tua vita solo fulgeat atque polo.

Benedictus M. SzentKiralyi scripsit
Hejdelbergae 4 Jan. 1618.

Post varias peregrinationes et patriae bono perfectos labores mortuus est Albae Juliae, ubi Joh. Henricus Alstedius sequens illi posuit Epitaphium:

Hungariae cunas; curas calami, thalamique
Debeo Theutoniae: Dacia dat tumulum.

Joh. Henricus autem Bisterfeldius ita scripsit:

Szentz me progenuit; Musarum semina prima
Cassovia insevit; tum Debrecina schola
Nutrix prima fuit, sed Vittemberga secunda
Argentina, a qua laurea nexa mihi est.
Gallia quam colui, fida ac Helvetia, tandem
Roma meis studiis praebuit hospitium.
Hinc reducem blande me Norica terra recepit,
Heidelberga diu mater et alma fuit.
Juvit et Herbornae pia Musa, sed inclyta prorsus
Mauritii Herois cura favorque cluit.
Istis subsidiis patriae servire paratus
Lexicon instructum, Grammaticamque dedi.
Hungarice per me loqueris, Calvine: secundo
Sancta labore meo Biblia tersa nitent.
Pignora certa dedi, poterit quis addere prelum
Ingenui studii posthuma plura mei.
Musa mihi favit, sed non Fortuna, fuitque
Teutonia auxilium, sed patria exilium.
Quam precor ut nostrae soboli det tanta laborum
Premia: certo ex his commoda quanta capit.

Nagyari Benedictus. Fuit V. D. Minister in Boros Jenö: edidit opusculum quoddam egregie elaboratum cum titulo Verae Religionis Christianus, ubi vera Fides cum causis et circumstantiis explicatur, Varadini an. 1651.

Nagyari Josephus, filius Benedicti, Pastor Michaëlis Apafi et Fagarasiensis, vir acer et practicus in applicandis concionibus sine pari. Extant ejus opera in MSSto.

Nánási Stephanus, celebris concionator Rivulinensis; edidit egregium opus sub titulo: Secretum cordis, szü Titka, ubi fallacias mentis humanae et peccatorum excusationes egregie denudat an. 1670.

Nemeti Michael, peracto cursu Academico consecratus est sacro ministerio an. 1670, factus Minister in Göntz, unde fervente in Hungaria persecutione pulsus venit in Transylvaniam; ubi a Claudiopolitanis vocatus ibidem Pastoris et Professoris officia quandoque adimplevit. Plurima reliquit diligentiae suae monumenta: 1) Grammaticam Hebraicam, 2) De salute in Reformatorum Religione, 3) Lydium veritatis lapidem, 4) Res judicata Lydii lapidis, 5) Speculum Trinitatis, seu de tribus in una essentia Divinitatis personis an. 1673, 6) Speculum Evangelicum, 7) Resolutio Psalmorum an. 1679, 8) Clavis Promptuarii coelestis, 9) Centuria exequialis, 10) Fulci-

mentum Pastorale, 11) Dominica Evangelica, seu conciones ad Evangelia Dominicalia, 12) Appendix concionum Dominicalium an. 1686. Meminit etiam operum prelo praeparatorum, at nunquam editorum, uti 1) de commentario ad Acta Apostolorum: quem equidem prelo subjecerat, at inde exire mors ne inopina Autoris, aut calamitates patriae ingruentes, non concessere. Prelo subjectum docent Carmina aggratulatoria Fr. P. Papai M. Dris et Professoris Enyedensis, qui ita: Ad rev. ac clariss. virum D. Michaelem Nemeti Ecclesiae Claudiopolitanae Pastorem, Meditationes suas in Acta Apostolorum edentem.

Mercedem posuere tibi sudore parandam
Fata tuo, quando tot publica symbola luci
Viventi concessa dari propiusque videnti,
Fundamenta Dei ac adducti tempora Christi
Res et Apostolicas post Christi tempora gestas,
O Nemetiadae Michael pars inclyta gentis
Gaude, magnorum multum contermina virtus
Est tua; nec cessa potiusque audentior ito.
Non aetas est longa diu. Deus adde labori
E terris nomen, e coelis carpere flamen.

2) De duabus concionum centuriis miscellaneis. 3) De centuria Festali. 4) Clypeo Reformatae Religionis. 4) Conciones de aeterna Christi Divinitate. 5) Refutationi* libri Georgii Enyedini concionibus complexa. 6) Torcular veritatis Evangelicae, ubi quidam Sodomae botrus premitur. 7) Statua Nabugodonosoris. Opera ista lucem vidisse mihi non constat: acquisiverat equidem sibi typographiam, at mors operibus edendis terminum posuit.

Nogradi Matthias, Pastor Bojomensis, et ad Sár Rete Superattendens, Psalmum LI ex Anglico in Hungaricum cum commentario edidit an. 1672.

Otrokotsi Foris Franciscus, fuit ex illis V. D. Ministris, qui Posonium citati et post varios cruciatus in exilium pulsi, ad Galeras Neapolitanas divenditi et inde per Belgas eliberati sunt. Hic in patriam redux praefuit Ecclesiis Gyöngyosiensi et Cassoviensi, inde profectus in Belgium et Angliam opusculis quibusdam edendis incubuit. Ediditque 1) origines Hungaricas, Franekerae an 1692. 2) Irenicum seu Pacis Consilium pro unione et concordia Protestantium an. 1692 3) Tubam Quintam Apocalypticam, ubi locustas interpretatur de Jesuitis, Amst. 1692. 4) Sententiam mediam et pacificatoriam

* Refutatio (ed).

an. 1690. 5) Responsionem ad Quaestionem: ubi fuit Ecclesia Reformata ante Lutherum, Zvinglium et Calvinum, Amst. 1695. 6) Conciones et Preces quasdam Hungarice Claudiopoli. Post varia fata cum ex ejus ambitione res non fluerent neque Ecclesiae Cassoviensi restitueretur, transiit ad Catholicos, ubi edidit varia opuscula cum adhuc esset Reformatus elaborata, at sibi ipsi dissonantia, edidit et maledicta in Ecclesiam Reformatam imprudenter conjecta. Romam profectus nactus est titulum Phil. Theolog. et Juris Doctoris, praetereaque nihil. Docuit suo exemplo, hominem, etsi multas sufferat passiones ob Christianam religionem, tamen sine gratia Dei nihil esse.

Papai, Pariz Emericus. Principis Rakotzii Pastor Aulicus, tandem Desiensis et Tractus senior. Edidit opusculum quoddam Theologicum de casibus conscientiae, Keskenyut, Angusta Via, nominatum, quod propter insignem utilitatem saepius est recusum. Filius hujus fuit Franciscus, cujus memoria in catalogo Professorum Enyedensium recurret.

Pataki Stephanus, Professor Claudiopolitanus e sermone latio in vernaculum transtulit librum, cui titulus: Ars gubernandi mundum centum Regulis exhibita an. 1681. Innovationis accusatus erat cum Martino Desi, alibi rursus mentio ejus recurret.

Pétsváradi Petrus, Pastor Varadiensis praeclarus, qui librum Pazmanni Comitatui Bihor oblatum potenter refutavit, et edito opere an. 1629 demonstravit.

Posahazi Johannes, Professor Patakiensis, qui occupato per Jesuitas Collegio cum Michaele Buzinkai collega et parte studiosorum collocatus Albae Juliae in locum Collegii jam Enyedinum transpositi. Edidit Patakini varia opera isti tempori accommodata, disceptationes cum Jesuitis. Eminet inter illa; Igastág Ytápja, Scipio Veritatis, ubi religio Reformata uberrime explicatur et adversus insultus adversariorum egregie defenditur. Patakini an. 1669 in 4to.

Pragai Andreas. Fuit Pastor Szerentsiensis, ubi Horologium Principum Antonii Gvevarra transfudit in Hungaricum ac edidit an. 1628 in Fol. Cum esset Heidelbergae an. 1617 tempore Jubilaei concionatus est in Academia.

Samariai Johannes. Pastor Halásziensis et partium superioris Hungariae superattendens. Edidit librum de Cerimoniis et Ritibus Helveticae confessioni addictorum an 1636, ubi agit de templorum dedicatione, sacramentorum administratione, puerperarum introductione in coetum, cantu, excommunicatione, visitatione aegrotorum, tentationibus &c. Qui tamen ritus cum tempore mutati sunt, aut etiam intermissi.

Sarpataki N. Michael, Pastor Kolosváriensis, scripsit et edidit eximium librum cum titulo, Arca Noe, ubi XXII demonstrationibus loca V. et N. T. conferendo verum S. S. Trinitatis dogma egregie adstruit, an. 1681.

Selyei Balog Stephanus. Fuit Pastor Aulicus Georgii Rakotzi secundi, in expeditione Polonica Poloniam adire cum exercitu jussus, ibi subiit Tartarorum captivitatem et carceres; inde cum literis a Johanne Kemény in Transylvaniam missus, ubi turbarum pertaesus abiit in Hungariam et factus est Pastor Papaiensis ac paulo post superintendens vicinarum Ecclesiarum. Posonium citati Ecclesiarum et scholarum Ministri ex tota fere Hungaria, ibidem comparuit an. 1674, ubi sententiam mortis audire coactus, at ad Triremes cum aliis divenditus, tandem Belgarum intercessione eliberatus est ac in patriam rediit. Cum adhuc Albae Juliae ageret, edidit 1) Conciones pro variis occasionibus sub titulo: Uti társ, comes viae, an. 1657. 2) Conciones funebres cum titulo: Temetö Kert, coemeterium an. 1655.

Szathmári Ötves Stephanus, Professor Patakiensis, dein Pastor Ersek Ujvariensis. Cum esset in Belgio, in Hungaricum transtulit et edidit Belgicam confessionem an. 1650, item notas Bibliorum Belgicorum in Apocalypsin cum titulo: Titkok Jelenese 1668.

Szathmári Pap Johannes, Pastor Kolosváriensis, 1) composuit in Academia Franekerana Metaphysicam et edidit. 2) De Precibus in genere et oratione Dominica sub titulo Kegyes ajakah aldozo tulkai, Juvenci labiorum Deo devotorum, an. 1707.

Szentkirályi Benedictus, A. L. et Philosophiae Magister. Typis mandavit vindicationem locorum V. T. aeternam Deitatem Filii et Spiritus sancti, mysteriumque S. S. Trinitatis confirmantium adversus Georgium Enyedi institutam, Marpurgi an. 1619, quae Hannoviae recusa est an. 1624.

Szentpéteri Stephanus, Pastor Ecclesiae in Szent Mihály ad Tibiscum, edidit quaedam opuscula veluti 1) Pestem chorearum, ubi choreas damnat. 2) Tridentem Diaboli, ubi invehitur in blasphemos. 3) Tubam clangentem, ubi sonat adversus ebriosos an. 1699. Habuit prelo parata 1) Anatomiam Novi Hominis. 2) Auream salutis catenam. 3) Nocivam mundi amicitiam. 4) Ova aspidum exclusa, an edita non mihi constat.

Szepsi Korotz Georgius, ante peregrinationem Rector Scholae Gönciensis, tandem Professor Patakiensis, ad pangenda carmina Latina et Hungarica inclinabat. Transtulit in Hungaricum Jacobi Regis Angliae institutionem ad Filium cum titulo Királyi Ajándék an. 1612.

Szilágyi Martinus, Professor Scholae Debrecinensis per XXX annos

indefessus ac celeberrimus, tandem an. 1699 creatus est superintendens cis Tibiscanus. Ediderat 1) Philosophiam juxta principia Cartesii. 2) Bigam Pastoralem, sive methodum instituendi preces et conciones. 3) Trigam Divortialem Debr. 1690 in 8.

Szilágyi Stephanus Benjamin, Professor Patakiensis, conscripsit Acta synodorum, quae a Reformatione fuerunt; liber quod sciam editus non est. Hungarice loquentem fecit Joannis Amos Commenii librum intitulatum: Seminarium linguae Latinae et scientiarum omnium.

Szönyi Nagy Stephanus, erat V. D. Minister Tornaiensis, unde fervente adversus Protestantes in Hungaria persecutione an. 1671 per Nicolaum Keglevits proturbatus, bonis suis exutus, qui Templum, Parochiam et Scholam per milites occupavit. Szönyi tandem Claudiopoli, Albae Juliae, Debrecini, Zilahini ac Szathmarini in provecta quoque aetate Ministerium exercuit. Ediderat an. 1675 tractatum sub titulo Corona Martyrum, ubi egregie tractat, qualiter in persecutionibus cruces carceris perferendi, insultus Diaboli superandi, et quo modo de omnibus istis triumphandum. Prelo paraverat Coronam vitae aeternae et Coronam duodecim stellarum, quae in MSStis alicubi latent.

Teifalvi Tsiba Martinus, Pastor Beregszásziensis, ortus genere nobili: cum frater ejus consanguineus ad Romano-Catholicos transiisset, edidit opus quoddam sub titulo: Romano-Categorus, ubi potenter demonstrat Romanam religionem Apostolicae contrariari, Ratiocinationesque P. Pazman adversus Reformatam religionem institutas solide retorquet, an 1637.

Tolnai Stephanus, Professor Claudiopolitanus, praeter Dialecticam in usum collegii editam, edidit Hodegum doctrinae Apostolicae, ubi ortum, novitatem, errores religionis Romanae, Apostolicae vero propagationem, durationem &c. tradit an. 1679. Diversus ab isto Steph. Tolnai est, qui fuit Principis Rakotzii Aulae V. D. Minister, et Hungarice edidit consolationem Academiae Vittebergensis ad Bohemos et Moravos ob religionem Evangelicam in exilium actos an 1632.

Totfalusi Kis Nicolaus, fuit equidem hic vir non Pastor, sed Typographus, at viris doctis in omnibus scientiis annumerandus. Excoluit Amstelodami sculptoriam et fusoriam, tantamque sibi acquisivit perfectionem ut et Magistro Blaeu formidini esset. Alibi de isto agendi locus erit.

Tsuzi Tseh Jacobus, S S. T. Doctor an. 1674 cum aliis ad Triremes Neapolitanas divenditus, unde Dei auxilio et Belgarum intercessione eliberatus factus est Pastor Debrecinensis, prius vero Loson-

ciensis. Edidit 1) Scholam Spiritualis Sapientiae, ubi veram ad Deum conversionem explicat an 1680. 2) Flagellum Edomi sive commentarium in Abdiam, concionibus complexum an. 1682.

Tzanaki Matthaeus, Cocceji condiscipulus et amicus, Professor tandem Patakiensis, edidit Logicam et Tractatum de Peste vernaculum an. 1634 et alia quaedam Theologica.

Tzegledi Stephanus, Pastor Cassoviensis, qui orthodoxam doctrinam scripto et vivo sermone ad mortem usque defendit. Mors illi gloriosa obtigit in campis Tyrnaviensibus, cum ad Tribunal Posoniense traheretur an. 1671. morbis ex captivitate jam fractus, veram etiam morte contestatus est doctrinam. Varia reliquit doctrinae et certaminis sui monumenta lingua Hungarica exarata, 1) Doctoris Malach Dialogum, ubi ritus die Passionis Domini peragi solitos exagitat an. 1659. 2) Reprehensionem amicabilem, ubi octo causae, quas occasione mutationis suae religionis quidam allegat, refutantur an. 1663. 3) Triumphus animae pro salute decertantis an. 1659. 4). De causis desolationis Regni an. 1660. 5) Colloquium hominis Catholici cum Evangelico Calviniano an. 1659. 6) Casum Dagonis coram arca Dei, ubi Missarum ceremoniae ostenduntur esse non necessariae. 1670. 7) Arx Sionis, seu Doctrina de articulis fidei an. 1675.

Váradi Matthias, Pastor K. Vasarhellyensis, peritus etiam artis Medicae. Cum adhuc Franekerae sumptibus Pauli Beldi consiliarii et exercituum in Transylvania Generalis interteneretur, edidit opusculum cum titulo Fax ardens, ubi praecipue defectus et errores in Ecclesia Romana ostenduntur an. 1668.

Vásárhelyi Matko Stephanus fuit Pastor Aulicus Principis Rakotzii, in cujus locum electus Achatius Bartsai Matkonem fidelitati Rakotzii renunciare nolentem in carceres compegit Segesvarini; dimisit tamen ad intercessionem Fagarasiensis Ecclesiae; qui tandem factus est pastor Mediomontanus, Zilahiensis, ac demum Kolosvariensis. Varia habuit certamina cum Jesuita Matthia Sambar, et ad illum sine dubio est respectus in Historia Diplomatica pag. 65, ubi Sambar dentes amisisse in redemptionem capitis ex disputatione victus describitur. Edidit cum his titulis libros: 1) Subversio domus super arena fundatae, ubi nullius esse ponderis scripta Sambariana ostenduntur an. 1666. 2) x, ut tök könyunck eltepése; avagy Bányász Tsákány. Malleus Metallifossorum, liber iste plenus sarcasmorum pro occasione necessariorum. 3) Panis coelestis pias nutriens animas agit de sacra coena an. 1691.

Vétsei M. Stephanus, studiorum fundamenta posuit Debrecini, tandem

in Academiis Belgicis, Franekerae et Groningae. Utilissimum S. Bocharti opus de animalibus late diffusum in compendium ita coëgit, ut non tantum virorum Doctiss. Vajeni, Braunii et Facultatis Theologicae Franekerensis favorabile judicium et laudes tunc meruerit; verum nunc quoque magni a doctis aestimetur, an. 1690. Eodem anno brevem at doctam in Apocalypsin edidit Paraphrasin Franekerae.

Uzoni Balthasar. Pastor Devensis, Ecclesiarum in Comitatibus Hunyad et Zarand senior an. 1640.

Zilahi Johannes, Pastor Ecclesiae Soboiensis et senior in Sylvania, edidit opusculum titulo isto insignitum Speculum verae Religionis, ubi antiquitas Reformatae religionis demonstratur an. 1672.

CAPUT DECIMUM.

De Controversiis Reformatorum inter se et Lutheranorum.

§ I. *Hungari frequentant Belgium et Angliam.* — Academia Heidelbergensis postquam notabile per bella sensisset decrementum et varias subisset mutationes, Hungari, qui magno numero hic scientiarum thesauros soliti erant acquirere, Belgium et Angliam frequentare occeperunt. In Belgio autem regimen Episcopale aut Superattendentiale non est; sublato enim nomine Episcopi per Reformationem, directio Ecclesiastica omnis penes Magistratum et Synodos remansit Ecclesiasticas. In Anglia tempore Reformationis Elizabeta Anglorum Regina, sapientissime pro illius temporis statu, plurimas Pontificiorum cerimonias reliquit intactas; Episcopos et Archiepiscopos frui et esse antiquis titulis ac officiis permisit. Quorum multi sua dignitate lapsu temporis sunt abusi. Unde factum est, ut Episcopi et ea dignitas in multorum venerit contemptum, qui cerimonias cultui divino intermixtas voluerunt abolitas, nec ullam ab Episcopis dependentiam habere, verum formam in regimine Ecclesiae et cultu divino, in Belgio et Helvetia receptam, sequi, atque ita a cerimoniis puri permanere; unde Puritanorum nomen iis adhaesit.

Intentio horum per se mala non fuit, at malas secum consequentias traxit. Alii enim observantes hinc Episcoporum fastum et superbiam, inde praefractam Puritanorum inobedientiam ac multorum hypocrisin, neutris se adjungendo segregem formarunt coetum, dictum Indepen-

dentium. Doctrinam hi omnes tam Episcopales, quam Puritani et Independentes sequebantur Reformatorum, ritibus autem externis inter se distinguebantur.

§ II. *Studiosi quidam receptum in Hung. Ecclesiis regimen mutare volunt.* — Malum hoc inter Reformatos in Anglia serpens irrepsit etiam in Hungariam. Studiosi enim quidam Franekerae sub Amesio Professore et in Anglia Hungari studiorum causa commorantes, quid Ecclesiis Dei utile minime in mentem revocantes, verum novitati velificando ordinem jam diu in Hungaria receptum annisi sunt perturbare. Quidam enim tanto flagrabant Puritanismi amore, ut foedus inter se inirent et juramento sese obstringerent, cum primum in patriam redire contigerit, superintendentes ae seniores abrogaturos atque regimen mutaturos. Rumor vani hujus moliminis tempestive antistitibus Ecclesiarum Dei in Hungaria innotuit, imo Formula etiam, secundum quam innovatio fieret ex mente Johannis Tolnai, pervenit ad manus Superintendentis Stephani Keresszegi Pastoris Debrecinensis, qui Synodum an. 1638 Debrecinum convocavit, ubi consultatum est, quo remedio Ecclesiae a turbonibus istis et turbis praeservari possent. Ita ergo ibidem concluserunt: „A modo deinceps Academici nostri populares non sunt admittendi ad ullam functionem Ecclesiasticam vel Scholasticam, priusquam post reditum rationem fidei et doctrinae honestaeque apud exteros conversationis superioribus vel senioribus suis dederint et sub juramento conditioni sequenti subscripserint:

„Nemo in Articulis Fidei, Religionis Christianae fundamentis, in Ritibus et Praxi Ecclesiae, antiquitus in Ecclesia receptis, ac sacramentis privatim ac propria authoritate, cum multorum scandalo et offendiculo mutationem aut innovationem facere praesumat; sed si quid aliquando mutandum aut innovandum erit, ex consensu totius Ecclesiae in publica synodo fiat, ac totam causam Ecclesiae judicio committat, contravenientium autem post unam atque alteram admonitionem libri arrestentur in rationem Ecclesiae authoritate Praelatorum. Et si porro in eadem sententia perduraverint, magistratuum potestate Regni finibus ejiciantur."

Formula obligationis fuit subsequens: „Ego testimonium reddente mihi conscientia, huic supra positae deliberationi Ecclesiae libera voluntate sine ullo fuco subscribo, ad ejusdemque observationem bona fide me obstringo. Sic me Deus triunus et unus adjuvet" [1]).

§ III. *Tolnai turbat in Hungaria.* — Praeservari tamen hac cautione Ecclesiae non potuerunt, quin vani quidam turbones confusionem miscerent. Coryphaeus illorum fuit Johannes Tolnai, alumnus Principis ex Anglia redux, qui magna pietatis fama Hungariam et Transylvaniam peragravit, patronos sibi praecipue e statu seculari quaesivit et invenit, per quos

[1]) Historia Reformat. pag. 385.

in munus Professoris Patakinum recommendatus est. Displicuit fidelibus Ecclesiarum Ministris ea promotio, senior igitur Zempleniensis Synodum Patakini celebrat an. 1638 die 10 Novembris, in qua sequentia postulata jurejurando confirmanda, priusquam ad regimen Scholae Patakinae introduceretur, Tolnaeo sunt proposita.

1. Quod confessionem Helveticam et catechesin Palatinam cum omnibus punctis et clausulis sincere et pura conscientia approbabit.

2. Quod eandem confessionem Helveticam et catechesin Heidelbergensem sine admixtione omni alienae doctrinae in schola et Ecclesia docebit.

3. Quod secundum praxin Ecclesiae suos Superiores utpote seniorem Ecclesiae et Inspectores scholae agnoscet et debitum eis obsequium praestabit.

4. Quod conjurationem in Anglia et Belgio qualitercunque procuratam solvet, ac omnes ejus complices sincere et candide pro virili ab incepto avertet, literas obligatorias Domino seniori non repetendas producet, eorum finem, intentionem, sensum et causas motivas ex conscientia et sine fuco explicabit.

5. Quod peculiarem societatem in Hungaria in praejudicium sacri Ministerii, diversam ab ea, in cujus Ecclesiae gremio constituetur, non excitabit, quam hactenus exercuit, neque numerum sociorum numero vel scripto amplius adaugebit.

6. Quod ministerium Ecclesiasticum in Hungaria et Transylvania, cujus membrum se agnoscere debet, non traducet, nec in persona cuiquam Ministrorum detrahet, aut alicujus famam quodammodo laedet.

7. Quod ordinem hactenus in schola Patakina observatum legibusque confirmatum, si quando contingat ipsum in illam traduci, non turbabit.

8. Quod articulo nuper in synodo Debrecinensi scripto et confirmato subjacebit [1]).

His conditionibus Tolnai nunc equidem non subscripsit, sed post varias altercationes res ad Principem delata, jussu ejus subscribere necesse habuit. Admissus ad scholae regimen, illud oratione satyrica auspicatus est an. 1639, atque ita fidem chirographo signatam propere rescidit. In schola omnia dissensionibus et contentionibus per triennium miscuit, tandem jussu Principis inde dimissus est et in Ecclesiam Miskoltziensem interventu fautorum dislocatus.

§ IV. Cum Princeps Rakotzius bellicam in Romanorum Regem an. 1644 adornaret expeditionem, Filius Principis Comes Sigismundus Rákotzi exercituum Generalis, Tolnaeum in concionatorem castrensem assumpsit. Ubi autem pax inter dissidentes coiit, Tolnai commendatus

---

[1]) Histor. Reform. pag. 387.

est ad functionem Ecclesiasticam Tokaini obeundam, peste praecipuis e gremio Ecclesiae Ministris subtractis, electus est in Seniorem Fratrum anno 1645, deposito solemni juramento, secundum receptam Ecclesiarum Hungaricarum consuetudinem de Ecclesiis sibi commissis bona fide ac diligentia, juxta usitatam praxin receptosque Ecclesiarum articulos dirigendis. Visus est Tolnai in initio senioratus multum ab antiquo remisisse rigore, affabilem praebebat se omnibus fratribus; at non diu ea comitas duravit, et qualem erga fratres et ordinem in Ecclesia receptum haberet animum mox revelavit. Orsus est visitare suae Dioeceseos Ecclesias, ubi praeter consuetudinem praecipuos Ecclesiarum cives, elevatis duobus ad coelum digitis, solenni juramento ad sui obsequium obstringit, baptismum solo die Dominico praesente toto coetu, aut die Mercuri Venerisque cum concio habetur, administrandum jubet, excluso omni necessitatis casu, secus facturis Ministris gravia interminatur. Unde infantes suos in casibus necessitatis ad Pontificios vel Lutheranos parentes deferebant baptizandos; alii autem decedebant absque baptismo. Fratres non usque quaque sibi faventes severe tractabat, quosdam loco movebat, pinguiores in Dioecesi conditiones suis offerebat asseclis &c. Oritur inde tumultus ingens inter Politicos aeque ac Ecclesiasticos. Monitus Tolnai nihil remittebat, imo majora minabatur futura. Festa solemnia in recordationem beneficiorum a Salvatore praestitorum a Christianis instituta foetum vocabat antichristianum adeoque abolenda, ut Ecclesiae ad pristinum Apostolicae institutionis nitorem revocarentur. Confusionum dissensionumque omnia sub ejus regimine plena. Quare pulsatus toties precibus et querelis Transylvaniae Princeps synodum semi-Generalem Tokainum indici jubet, ubi superintendens cis-Tibiscanus et variorum Tractuum seniores ac legati causam reviderent omnem, et quod Ecclesiis utile censerent futurum deliberarent. Anno igitur 1646 in synodo instituitur Actio in Tolnaeum et ejus complices. Accusabatur Tolnai 1) Schismatis sanctam unionem hactenus intemeratam scindentis, 2) Fracti Juramenti pro functione seniorali depositi, 3) Illegitimae officii administrationis, 4) Contemptus fratrum, 5) Heterodoxiae &c. Quae omnia testibus et testimoniis exceptione majoribus comprobata; post longam discussionem et diuturnam deliberationem Tolnai officio senioris mox et pastoris exutus, prohibiti a functione Ecclesiastica etiam complices ad Generalem aut Nationalem Synodum et Principis revisionem.

§ V. *Nationalis Synodus Szathmar-Nemetina.* — Nationalis Synodus indicta ad diem X Junii Szathmár Nemetinum, ut tanto commodius Transylvani aeque ac Hungarienses convenire queant. Ubi causa Tolnaii et asseclarum examinata diligenter ac est excussa, in qua ita conclusum est:

„Cum juniores nonnulli fratres Trans- Tibiscani praesumptione laborantes ac intempestivo quodam zelo ducti, privato suo lubitu, inconsultis

aliis tum grandioris aetatis, tum etiam judicii maturioris Ecclesiarum antistitibus, contempta quoque vel saltem posthabita Magistratus pii, cujus imperio per Dei clementiam illa quoque Hungariae pars nunc paret, authoritate in externis quibusdam ritibus anno superiore in plerisque suis Ecclesiis innovationem facere attentaverint ac praeterea multa admodum importune, futiliter ac obtrectatorie locuti sunt iisque turbas non leves excitarint, simplices scandalisarint, ac adversariis malevolisque, unius ac alterius ritus variationem pro defectione ac secessione a fundamentali aliquo fidei dogmate calumniose interpretantibus, religionem veram blasphemandi ac horribiliter traducendi ansam praebuerint. Hinc tam scandaloso ac calumniis obnoxio patrato (cujus etiam causa praecipue est congregata) sancta Synodus Nationalis praesentissimum adhibere remedium satagens, ac gliscens hoc malum, in herba ut ajunt, amputare cupiens, coryphaeos quosdam turbatorum illorum ad tempus e statione dimovit, donec ad meliorem frugem reversi, manifesta suae recipiscentiae indicia ediderint ac gratiam Matris Ecclesiae sibi demeriti fuerint. Quod si fecerint in gratiam ab ea denuo maximo cum gaudio recipiantur ac pristinae suae conditioni restituantur. At si interea a temerario suo proposito non modo non abstinuerint, sed ulterius etiam in eo promovendo, clam vel palam, dictis vel factis processerint, tribus fide dignis testibus convicti e dignitate functionis Ecclesiasticae in perpetuum, absque omni prorsus reassumptionis spe, dejiciantur ac sub potestatem politici Magistratus tradantur. Atque hac sua censura Synodus non aliarum Reformatarum Ecclesiarum doctrinam, disciplinam ac ritus damnare, sed personalem eorum imprudentiam ac culpam paterne castigare voluit."

„Ut vero aliis quoque, si qui forsan sint vel forent, eorum asseclis fraenum injiciatur, ne simile quid imposterum temere tentare ausint, publico sanctae universitatis edicto cavetur, ne quis vel in dogmatibus fidei, vel in sacramentorum administrationibus aliisque ritibus ac ceremoniis Ecclesiasticis, vel vero in disciplina communi, privata sua vel quorundam suorum complicum authoritate, cum multorum scandalo ac tranquillitatis Ecclesiae perturbatione, mutationem aut innovationem aliquam facere praesumat, sed si quid omnino innovandum, mutandum aut corrigendum in ritibus externis ac disciplina fuerit, communi totius Ecclesiae consensu, in publica eaque Nationali synodo, juxta verbum Dei ac praxin piae antiquitatis fiat; ne schismata e privatis quorundam eorumque inter se dissentientium opinionibus suboriantur. Qui secus contumaciter facere ausit et post unam aut alteram admonitionem cessare nolit, Ecclesiae imprimis jurisdictione ac postea Magistratus orthodoxi authoritate, pariter ut isti, puniendus erit"[1]).

[1]) Conclusio XVII et XVIII synodi Szathm. Nemeti an. 1646.

„Statuitur insuper, ne studiosis discendi gratia in Academias exoticas promovendis prius a Patronis et Fautoribus eorum pecunia in manus tradatur, quam expressis Reversalibus sese firmiter obstrinxerint, quod nullam in iis haereticam aut heterodoxam, nominatim autem Socinianam, Armenianam et Anabaptisticam doctrinam imbibent; verum Propheticam et Apostolicam, quae in confessione Helvetica ac catechesi Heidelbergensi comprehenditur, sententiam addiscent, eandemque et non aliam quandam, reduces facti, domi docebunt, neque novos aliquos ritus novamque disciplinam, in Ecclesias patrias, privato suo vel aliorum quorundam sociorum ausu, citra consensum publicum invehent: sed in omnibus sese conformitati Ecclesiarum Hungarico-Transylvanicarum accomodabunt; ministerium sacrum legitime ad id vocati, atque idem apti nati, subibunt, ac morigeros se matri Ecclesiae filios gratosque Patronis suis ac Fautoribus alumnos pro virili exhibebunt. Quod ni praestiterint, poena in superiori conclusione irrogata ipsis infligenda" [1]). His conclusis turbas per aliquot annos Ecclesiarum unionem dividentes componere ac deinceps orituras praecavere voluerunt.

§ VI. *Presbyterianismus turbat. — Basirii Literae.* — Compositi hoc modo erant in Ecclesia fluctus, magno animorum aestu agitati. At vero Principe ad Regnum coeleste evocato, et lapsu temporis decedentibus antiquis Ecclesiarum ministris, reduces ex Anglia succedentes, paulatim Presbyterianismus sub Principe Georgio Rakotzi secundo propullulare coepit, non tantum in Hungaria sed et Transylvania. Princeps Transyl. cum Magnatibus, ministri Ecclesiarum antiquiores cum collegio Albensi et ejus Professoribus erant Episcopales. Mater Principis cum filio Sigismundo et collegio Patakiensi Presbyterianis favebant. In Hungaria erant quidam equidem Presbyteriani, sed qui fuerunt extra ecclesiam facti sunt Democriti; plurimi autem Ecclesiarum optimi cives Heraclíti, qui non tantum dolebant Ecclesiae hanc scissionem, sed et amare deflebant [2]). Isaacus Basirius S. S. T. Dr. et Professor Albensis edidit opusculum anno 1655 cum titulo: Triumviratus pro Episcopatu; in gratiam atque confirmationem Fratrum sub isto Regimine constitutorum &c. Cui Professores Patakienses opposuerunt Responsionem: Trecentumviratus et ultra, seu Calvinus, Beza, Zanchius &c, universae item per Regna Galliae, Angliae, Scotiae, Foederati Belgii Genevatumque Ecclesiae Reformatae [3]). Ad hanc litem pertinet Epistola Basirii ad Joannem

[1]) Conclusio XIX synodi 1646.
[2]) Comes Nicolaus Bethlen in vita sua Mss. Lib. I. Cap. X.
[3]) Histor Reform. pag. 573.

Dadai Pastorem et seniorem Küküllövariensem hic ex autographo Basirii describenda; qui ita respondit Dadaio:

Viro reverendo clarissimoque Domino Joanni Dadai Fratri in Christo charissimo Isaacus Basirius, Ecclesiae Anglicanae Presbyter S. D.

Quod vestris quarto Augusti datis haud maturius reposui, vir Revde, multa obstitere praepedimenta. Universo vestro de Regimine Presbyteriali ratiocinio replico paucis. Pace vestra (veritatis ergo) patitur universus vester discursus ignorationem Elenchi. Neque enim quaeritur: Utrum jure divino fuerint, imo etiamnum sint et esse debeant Presbyteri (nomine et re scilicet) non solum Regentes, sed etiam Praedicantes, sive phrasi Apostolica laborantes in verbo. Nam in Ecclesia Dei perpetuum fuisse talem Presbyterorum ordinem, fatentur omnes Ecclesiae Episcopales. Inter quos Anglicana diserte profitetur his verbis, quod scilicet evidens est omnibus sacras Scripturas atque etiam Authores antiquos sedulo perlegentibus, quod ab ipsis Apostolorum temporibus fuerunt in Ecclesia Christi tres Ministrorum ordines, nempe Episcopi, Presbyteri atque Diaconi. Quae officia in summa semper fuere veneratione atque existimatione &c. Pro Episcopis faciunt loca citata a cl. viro, veluti Tit. 1. 5. &c. Pro Presbyteris Act. XIV : 23. XIX : 17. Locus autem a vobis productus ex 1 Tim. IV : 14 perperam est explicatus, vel ipso Calvino interprete[1]). Siquidem vox Presbyterii ibi loci non est Genitivus efficientis, notans autorem ordinationis, sed potius Genitivus materiae, notans subjectum officium i. e. ordinationem ipsam, quam ideo sibi soli vendicat Apostolus 2 Tim. 1 : 6. Atqui procul dubio erat Apostolus Paulus aliquid amplius quam Presbyter, vel Presbyterium ipsum totum (sensu Genevensi), quum Apostolatus in se contineret eminenter omnes Ministerii Sacri ordines sive gradus. De Diaconis (non vero Presbyteris) intelligendus est locus Act. VI : 2. 3. Atqui ex illis etiam erant laborantes in verbo, teste Act. VIII : 5.

Verum enimvero hic est status controversiae genuinus. Utrum scilicet praeter hunc ordinem Ministrorum perpetuorum detur alius ordo Presbyterorum laicorum, qui Ministris vere Ecclesiasticis adjungantur tanquam Assistentes sive Assessores in exercitio disciplinae Ecclesiasticae, in admonitionibus et censuris morum et, ut verbo dicam, in executione totius potestatis clavium?

Tales Presbyteros laicos ambulatorios, eosdemque etiam sive ut fit

[1]) Instit. Lib. IV. Cap. III. § ultim.

annuatim mutabiles, unquam extitisse in Ecclesia Dei per totum quindecim seculorum decursum ante Calvinum natum. Hoc vero est, quod Presbyterianis probandum incumbit, quodque nos pernegamus fidenter, eoque constantius, quod plusquam viginti praelectionibus hunc ipsum errorem ex hac schola eradicare operam dedimus in ipso nostro in hanc Provinciam ingressu, ubi palmarium ipsorum locum 1 Tim. V : 17 ex parallelis contra ipsosmet objectatores retorsimus, fuse demonstrando, non ibi duos Presbyterorum ordines, sed duo duntaxat ejusdem ordinis officia esse elicienda. Sed de his eminus reciprocare serram neque vacat neque lubet gravius occupato. Itaque cesso contendere per literas, tametsi στόμα πρὸς στόμα sive cominus ero semper paratissimus tueri pro virili veritatem tam disciplinae quam doctrinae Apostolicae. Quemadmodum ex exemplari proscriptionis incluso religio mihi est, disciplinam etiam scholasticam vindicare cum vigore sine rigore, quum sit officium Angelicum hoedos secernere ab ovibus Mat. XIII: 49. Commendamus hujusce justae sententiae effectum vestrae Prudentiae, vosque ipsos cum Ecclesia vestra universa Magno Ovium Pastori. Raptissime ex Alba Julia IV Kal. VII br. A. U. T. CIↃ IↃC LV.

§ VII. Magnum Presbyterianismi promovendi instrumentum fuit Paulus Medgyesi, Principis Rakotzii antea concionator Aulicus, vir facundus et celebris, qui Dialogum Politico-Ecclesiasticum an. 1650 edidit, ubi in longum et latum disserit de Presbyterio, ejus utilitate, regiminis modo, et quomodo inter Hungaros erigi possit. Fuerunt et alii viri doctissimi Presbyterianismo faventes, verum cum Princeps conatui obstaret, sententia radices agere non potuit. Tandem Achatio Bartsai rerum potiente in Comitiis Albensibus quaedam libertas iis promissa erat, cui superintendens Georgius Tsulai solenniter contradixit[1]). Sequentibus annis per Tartaros et Turcas igne ferroque Transylvania evastata, magna populi pars in captivitatem abducta, ingens Provinciae inversio et tantum non eversio facta est, ubi aliqua Presbyterianismi remanserant vestigia, in Comitiis Fagarasiensibus an. 1677 penitus sunt sublata.

§ VIII. Miras excitaverat turbas (quae prius memorandae fuerunt) Emericus Ujfalvi, Pastor Varadiensis et senior Tractus Bihariensis, qui personali flagrans odio in Lucam Hodaszium Ecclesiarum cis-Tibiscanarum superintendentem, disciplinam Ecclesiasticam in Ecclesiis Hungaricis antiquo jam usu receptam vellicare praesumpsit. Lingua et calamo acerrime in superintendentem invectus scissionem meditabatur Ecclesiarum. Synodus igitur convocatur ad diem VII Novembris anno 1610 Varadinum, ubi ex Transylvania cum Michaële Ruber Tasnadi

[1]) Kazy Historia Regn. Hung. Lib. VIII pag. 230.

superattendente adfuerunt aliquot Ecclesiarum seniores, ex Hungaria Pastores primarii, reique momento diligenter investigato, 1) blasphemiae in Ecclesiam Reformatam et ejus antistites, 2) perjurii 3) et perniciosi schismatici moliminis (tres enim senioratus jam a superattendentia ferme seduxerat) convictus. Ad intercessionem tamen praestantissimorum virorum condonatum ipsi est ita, ut sequentibus conditionibus ultro subscriberet:

1. Agnoscat delictum suum et veniam exoret.

2. Officio senioris ex tempore cedat, nec amplius Varadini ullo unquam tempore Pastoris officio fungatur.

3. Obliget se suo proprio manuscripto, exclusis omnibus juridicis remediis, etiam gratia Principis, comperta rei veritate, si turbas in Ecclesia excitaverit, sive in doctrina sive in externa conversatione, apprehendendi et vindicandi potestatem quilibet Magistratus habeat.

4. Ubicunque locorum vixerit, horum meminisse cavebit, nec contra superintendentem, tam praesentem quam futurum, neque contra Dominos Seniores omnesque totius Hungariae et Transylvaniae Ecclesias earumque antistites, vivos vel ubi fato functi fuerint, neque clam neque palam, scripto aut verbis, per se aut per alios turbas movebit. Quod si conditionibus his sponte et non coacte obtemperaverit et subscripserit, Ecclesia quoque absolvet eum ab infidelitate et totum delictum condonabit tanquam pia Mater. Si vero has conditiones violaverit vel in toto vel in parte, sine ulla spe assumptionis, in perpetuum deponetur die X Novembris anno MDCX.

§ IX. Subscripserat his conditionibus Ujfalvi, at brevi post ruptis iis virulentas ad superintendentem et alios dedit literas et Ecclesiae unionem turbare aggressus est, tandem requisitus Princeps Gabriel Bathori, ejus mandato e statu Politico et Ecclesiastico viri egregii delecti sunt, qui causam hanc diligenter perscrutarentur et definirent conscientiose secundum leges. Convictus est rursum blasphemiae, perjurii &c. carcerique et loro adjudicatus est an. MDCXI. Haesitque in carcere Varadini et Husztini, unde maledicere non desinebat suis superioribus. Principe Bethlenio res Transylvanicas gubernante causa ejus revisa, ipseque in exilium missus anno 1615, ibidem moerore confectus turbarum et vitae finem imposuit[1]).

De Coccejanismo.

§ X. *De Coccejanismo in Transylvania.* Invidia et ignorantia rursum quosdam in Ecclesiis Transylvanicis moverat fluctus, quos tamen prudentia Antecessorum et solertia tempestive composuit. Res ita se habet. Martinus Dési, Pastor Kezdi Vasarhelyensis, vir profundae eruditionis, constitutus in

[1]) Ex MSSto de ejus Actis. Confer. Histor. Rep. pag. 337. 355, ubi fuse haec traduntur.

Professorem Theologiae in Collegio Enyedensi anno 1671, sequebatur Joannis Cocceji optimi sui praeceptoris placita, qui multa ab aliis in sacris Scripturis vel non animadversa vel neglecta tradebat. Desium discipuli quidam vel non intelligentes vel audita ab ipso dogmata avide (ut fit) arripientes, crude et non circumspecte spargentes, occasio subministrata est aemulis Desii, ut eum iniquissime accusare possent. Accusabant igitur eum variis innovationibus, quae tamen ad haec Puncta redeunt: 1) Quod cum Socinianis negaret Patres Veteris Testamenti remissionem peccatorum consecutos et salvatos esse. 2) Quod anniversaria festa et specifice diei Dominicae celebritatem posthaberet. 3) Quod animabus a morte hominis nec Paradisum nec Gehennam concederet, consequi videbatur inde, quoniam Cartesii asseclae motum proprie dictum menti denegabant. Accusabatur pariter innovationis Stephanus Pataki, Professor Claudiopolitanus, et Paulus Tsernátoni Philosophiae Professor Enyedensis, qui primus Philosophiam Cartesianam in Transylvania docuit.

§ XI. *Synodus Radnotiensis* 1673. — Incentore* Michaële Tofeo Principis concionatore Aulico commotus est Princeps; et Professores Collegii Patakino non pridem Albam transpositi, Johannes Posahazi ac Michaël Buzinkai cum Enyedensibus commissi, secutae sunt in Ecclesia confusiones [1]).

Tres igitur Martinus Dési, Paulus Tsernátoni, Stephanus Pataki Fagarasinum ad Principem evocati sunt: at ibi sedari negotium non potuit, rei difficultate Generalem synodum postulante, quae indicta est Radnotinum ad diem XV anni 1673. Termino synodi adveniente convenerunt frequenti numero V. D. Ministri, qui alicujus nominis erant, Princeps, Magnates, Nobiles atque ita flos Ecclesiae in Transylvania Reformatae. Prima fuit quaestio de modalitate rei hic discutiendae: Pastores orthodoxi, Principis Apafii tanquam summi orthodoxae religionis Patroni, Personalem aliquem ex Magnatibus praesentem non abnuebant; imo ad coercendos singulorum affectus necessarium putabant. Ita tamen ut Personalis ille, non Principis Transylvaniae, qui successu temporis diversae poterit esse religionis, sed summi tantum nostrae religionis Patroni, delegatus agnoscatur; reliquis autem orthodoxae religionis Patronis exclusis, ipsis solis incumbere asserebant rei controversae decisionem. Seculares ex adverso Patroni mixtum cum Pastoribus et secularibus regimen et procurationem collegiorum documento esse dicebant, sine interessentia ipsorum non posse definiri controversias illic ortas. Convenit tandem inter partes, ut Pastores orthodoxi, tanquam viri, in talibus rebus quae controvertebantur, secularibus peritiores, congre-

[1]) Comes Nic. Bethlen in Vita sua Mss. Lib. II cap. VI in medio.

* Incensore (ed.)

gati in Templo Radnotensi, praesidente in persona Principis Apafii (modo tamen praeinserto) Francisco Redei consiliario, ordirentur discussionem rei, reportata tamen in Palatium, ubi Princeps ac orthodoxi Patroni congregati erant, censura sua; ex mutuoque omnium consilio totius rei fieret determinatio.

§ XII. Precibus pie institutis orsi sunt negotium Verbi Divini Ministri; at iis finitis in primordio statim examinis prodebant quidam affectus rationi praedominantes, dum Professorum in litem attractorum ne excusatione quidem audita in eorum condemnationem ostenderent se pronissimos. Professores quoque suae non defuerunt causae, antequam ipsis objecta refellerent, qui accusatores eorum fuerant, de praesentique eos se esse testarentur, juxta communem juris Regulam: Accusatores simul et judices non posse fieri; auditisque iis, quae contra ipsos dicturi essent, una cum ipsis Templo egredi, reliquorum subire debere judicium praetendentes, sed in congregationibus Pastorum synodisque quibuslibet per sectarios semper usurpatam maturoque consilio explosam hanc objectionem, nunc quoque nihil ponderis habere, decretum est, Dordrechtana synodo in similibus exemplo praeeunte.

Deventum tandem ad rem, in Punctisque quibusdam (non tamen fundamenta fidei attingentibus) Martinus Dési et Stephanus Pataki a Theologis nostris recessisse et Johannis Coccejі (cujus placita multos tunc habebaut adversarios etiam in Belgio) sententiis adhaesisse visi sunt. In conjuncta duorum causa, dispari per orthodoxos adjudicati sunt poenae Ministros. Stephanus Pataki tanquam junior quique post congregationem Fagarasiensem tacere de controversa materia jussus, obtemperaverat, ut verbis castigatus Reversalibusque literis, scrupulosis illis loquendi formulis non amplius se usurum sponderet, pristino fungeretur munere, statutum est. Alter nec post iteratas prohibitiones silere de iis, quae scandalum pepererant, volens, Professoris exuatur dignitate, literisque juramento firmatis se obliget, numquam ea, quae tunc fuerunt rejecta, se usurpaturum, Ecclesiae alicujus Pastoratum subeat.

De Paulo Tsernátoni, qui Cartesii philosophiam professus, multa a philosophia jam dudum recepta longe aliena docere et docuisse accusabatur, conclusum: Philosophandi licentiam non esse penitus tollendam, ita tamen ne articulos fidei sacraeque Scripturae authoritatem, vel in minimo feriret, eidem quin potius ancillaretur philosophia. De reliquo si quispiam verbis aut scriptis convellere niteretur Cartesii ejusque asseclarum philosophiam, fas liberumque ipsi fore. Collimabant hoc concluso expresse ad Johannem Posaházi Professorem Albensem, acerrimum Pauli Tsernátoni aut personae aut causae aut utriusque adversarium. Immiscuerat se non satis prudenter post admonitionem Fagarasiensem

his turbis Paulus Hunyadi, Pastor Ecclesiae N. Enyediensis, qui a nemine hactenus de negotio praesenti traductus, dum silendo sine molestia quiescere quivisset, deliberatione Fagarasiensi contempta concionatus in Ecclesia sua est: Ante passionem Christi vel in sanctis Patribus jus quoddam Satanam habuisse. Quae dura et scrupulosa verba (ut videbantur adversariis) tam in Palatio Principis coram Patronis orthodoxis, quam in sua Ecclesia ut recantaret, statutum.

§ XIII. Sententia Ministrorum e Templo reportatur in Palatium Principis ad Consiliarios Reformatos. Ministri protestantur solenniter, secularium censurae id quod deliberaverant, se minime submissuros, obtestanturque multis, ne cum praejudicio praerogativae Ecclesiasticae manus rei admoverent. Mitigata tamen est per patronos Ministrorum censura hoc modo:

Multum existimationi Ecclesiae Reformatae praejudicare, ingentemque adversariis calumniandi occasionem videtur praebere, si Reversalibus literis ad silendum obstricti M. Dési et S. Pataki in certis muniis relinquantur. Praestat verbis saltem castigatos de iisque tacere jussos in pristinis eos relinquere honoribus, qui si dicto non obsequentes, quaestiones vetitas denuo tractandi sibi usurpaverint licentiam, absque ulteriore dilatione ex officio removeantur. Sententia autem de Paulo Hunyadi loco suo relicta: ille solus pro omnibus infelix coram Principe et Magnatibus palinodiam cecinit [1]). Erant magnae existimationis et authoritatis viri, qui in causam attractos accusabant, at vero eos praeter causae bonitatem defendebat Superintendentis Petri Kovasznai prudens regimen ac moderatio Magnatumque quorundam authoritas; nam Paulo Tsernatoni Joannes Bethlen Cancellarius, Martino Dési Georgius Kapi, Stephano Pataki Dionysius Bánfi, Consiliarii, favebant [2]).

Controversia haec in Hungaria quoque subnata erat, at in ortu suffocata anno 1689, cum animadverterent rem eandem utrinque tenere, variare autem in modo loquendi, atque ita litem desinere omnem in logomachiam [3]).

§ XIV. *Simon Paulinus vexatur.* — Etiam controversiis inter Augustanae Confessioni addictos agitatis non prorsus caruit haec aetas. Imo Segesvarienses cum Köhalmensibus, qui praecipuos fidei articulos cum Reformatis profitebantur, externos autem ritus cum caeteris Saxonibus habebant communes, hac aetate divortium facientes a Reformatis, strictius adhaeserunt Lutheranis. Superintendentem sibi proposuerant Ecclesiae Matthiam Schifbaumerum anno 1601, qui concordiam et unionem cum Reformatis exercebat. Hic articulos quosdam condidit, quos in synodo

[1]) Joannes Bethlen in Historia MSS. ad. an. 1673.
[2]) Nicol. Bethlen ll. cc.
[3]) Otrokotsi in libro, cui titulus: Media Sententia ac Pacificatoria Amst. 1690.

anno 1607 confirmatos fratribus reliquit, vita et officio valedicens an. 1611 [1]). Articulos istos Superintendentes ipsi succedentes non tantum abole-verunt; verum in Synodo Medie an. 1615 celebrata alios condiderunt, de Persona Christi et duarum in ipso naturarum communione; de descensu Christi ad inferos: de ascensu ad coelos et sessione ad dextram Dei Patris; de coena Domini et quibus ritibus externis [2]). Cogebatur Simon Paulinus, Pastor Segesvariensis et Capituli Kizdensis Decanus, ut articulis subscriberet istis, qui renuit, praetendens, articulos istos recenter conditos Confessioni Augustanae, Theologiae Philippi Melanchtonis et articulis Synodalibus antiquis esse contrarios. Tandem post acrem et diuturnam vexationem coactus subscripsit, cui insuper injunctum est, ut Catechesin Zachariae Ursini et Corpus doctrinae Parei e schola Segesvariensi eliminaret, e templo vero quasdam cantiones his articulis minime concordantes sine strepitu clam amoveret. At paulo post Paulinus subscriptionem revocavit et in sententia quoad vixit permansit.

§ XV. *Rupenses ubiquitati corporis Christi contradicunt.* — Fama horum articulorum in Synodo conditorum propere diffusa est. Superintendens enim e Synodo per literas monebat Ministros, quicunque non reciperet istos articulos, e gremio Nationis Saxonicae ejectum iri. Movit non paucos ea minitationis fama tam ex Ecclesiasticis quam Politicis, cui verbo et scripto obnitebantur. Ministri Ecclesiarum Capituli Kozdensis seu Sedis Rupensis apologeticas exararunt literas eodem anno 1615 die 2 Junii: ubi deplorant hos in Ecclesia tumultus excitatos et peregrinae invectionem doctrinae: invehuntur praecipue in articulum, quo ubiquitas corporis Christi asseritur; cujus sententiae hactenus in Transylvania nullum vestigium, praeterquam quod quidam Daniel Reipik exeunte seculo superiore coeperat Coronae spargere; qui tamen officio motus est. Tandem ostendunt articulos istos et doctrinam iis comprehensam contrariari verbo Dei, Conciliis oecumenicis, Patrum scriptis, in specie Ignatii Epistolis, Tertulliano, Gregorio Nazianzeno, Cyrillo, Theodoreto, Augustino, Basilio, Doctori Luthero, Philippo Melanchtoni, et articulis saepius in Synodis suis unanimi voto approbatis. Literae prolixiores sunt, quam ut formaliter inseri possent: summam tamen eorummet verbis contractam et epistolae subjectam hic adscribam.

„Confessio ista Mediensis cum doctrina Ecclesiarum nostrarum, hactenus usitata, observata et articulis certis Synodicis comprehensa aut consentit,

---

[1]) Smeizel pag. 65. Haner pag. 310.
[2]) Haner in Historia Eccl. Mss. ad an. 1615.

aut dissentit. Si consentit, cur non iisdem verbis et phrasibus utitur, cur voces et phrases novas inauditas, periculosas, ubiquetismum redolentes, haereticis non fenestras sed valvas aperientes, usurpat? Sin dissentit, cur in nostro usitato genere docendi hactenus observato et tot Synodis approbato, constanter permanere, et ab eo genus doctrinae dissentiens repudiare non liceat? Cur subscriptio metu exclusionis extorquetur? Cur fraternitatis vinculum abrumpitur? Cur dilectio proximi recusatur? Cur nota germanorum Christianorum seu Christi discipulorum a nobis tollitur? Cur Rev. Claritas V. proximis literis ad nos missis, ne quis ab articulis Synodalibus approbatis ab universitate Pastorum superioribus annis sub gravissima poena discedat, serio edicit; nunc vero diversum edicit, et discedere jubet, sub poena gremii Universitatis amissione" [1]).

Subscripserunt:

1. Gregorius Welther, Past. Katzensis.
2. Georgius Wüstius, Past. Homorodn.
3. Johannes Tekelius, Past. Rupensis.
4. David Erasmi, Past. Lapidensis.
5. Paulus Swartz, Past. Albae Ecclesiae.
6. Christianus Wenkler, Past. Tikosiensis.
7. Lucas Bintzig, Past. Streifordens.
8. Steph. Klein, Past. Galathensis.
9. Martinus Wég, Past. Koborinus.
10. Georgius Graffius, Past. Löbnicensis.
11. Stephan. Kertzius, Past. Woldorffensis.

§ XVI. *Literae Principis.* Politici, qui huic facto se opposuerunt, confugerunt ad Principem, ut ejus authoritate interposita res componeretur, qui ad Zachariam Weirauck superintendentem sequentes dedit literas:

Gabriel Bethlen Dei Gratia Princeps Transylvaniae, Partium Regni Hungariae Dominus et Siculorum Comes &c.

Reverende ac Venerabilis Domine, nobis sincere dilecte, salutem et favorem nostrum. Ex relatione nonnullorum fidelium nostrorum innotuit nobis, qualiter praeteritis diebus juxta morem et consuetudinem vestram antiquitus observari solitam, in quadam Synodo et congregatione vestra celebrata, ibidem in praejudicium ordinis Politici, ipsi Decani et seniores, una cum nonnullis Pastoribus in eodem conventu tunc secum existentes, quosdam constituissent articulos. Quos tandem modis omnibus etiam publicari nixi fuissent, unde in medio vestri non exiguae contentionis ac discordiarum suborirentur sine dubio materiae. Nos ergo publico Fidelium nostrorum commodo et quieti consulere volentes, nolumus inter Fideles nostros ejusmodi controversias ullo modo excitari; quin potius si

[1]) Ex Actis Synodi an. 1615 Msst.

quae de facto emersae fuissent, eas penitus e medio subditorum nostrorum tollere intendimus. Cum autem ejusmodi discordiarum semina et fomenta non solummodo sedare et compescere, verum in collegio et coetu tibi commisso, ne quovis modo similes tumultus audirentur, sedulo antevertere, eidem pro suo munere merito incumbat. Ideo harum serie committimus et mandamus firmiter, quatenus visis Praesentibus a Publicatione dictorum articulorum, annotatos Decanos et seniores ac reliquos Pastores penitus supersedere praecipias, ac piorum vestrorum Praedecessorum vestigiis et consuetudinibus insistentes, serio ipsis demandes et injungas, ne aliquibus innovationibus praesentem tranquillum ac pacificum statum ad rixas turbasque execrabiles et periculosas convertere sibi vendicent; quin imo omnes occasiones et ansas ejusmodi contentionum inter eos in exemplum Praedecessorum vestrorum pacem mutuam fratrumque amantium componas, alioquin nos hoc praesumere vel tibi vel vero aliis, qui sese talibus immiscere et involvere statuerint, neutiquam concedemus. Bene valeas, nec secus facias. Datum in civitate nostra Colosvá die XXVII Junii An. 1615.

Gabriel Bethlen, Princeps mp.

§ XVII. Articulos istos Medienses varie tandem reformarunt, mansit tamen discordia et contentio iis excitata ad annum usque 1652[1]). Interea morte sublatis antiquioribus Ministris succenturiabantur juniores e Saxonia reduces, ubi maxime doctrina hic controversa docebatur. Sensim itaque et vix advertendo Capitulum Kizd et Kozd caeteris se adjunxit. Ecclesia Koboriensis in sede Rupensi hodiedum perstat in Reformatorum doctrina, ratio ea est, quoniam pagus ille constat ex Hungaris, Ministri studia sua tractabant apud Reformatos receptamque ibidem docebant. Reformatorum quoque doctrinam sequebantur adhuc anno 1659 Halmagyienses in sede Nagy Sink; tunc vocatus pro Ministro Paulus Vég a Halmagyensibus ex Kobor, vocationem istam Pastor Nagy Sinkiensis Capituli Decanus per varias fraudes intervertit, et in istis patriae turbis, ubi nemo Ecclesias curabat, Ministrum suae sententiae surrogavit[2]). Fuerunt et aliae controversiae, hic tamen sicco praetereundae pede, ne vulnera omnia refricare videamur.

§ XVIII. Negligendum tamen hic non puto. Inhabitant Hungari Reformati magno numero suburbium Coronense Bolonnya dictum. Secundum articulos Regni locus templi pro iis expetebatur designandus an. 1681 die XV Januarii. Respondit Senatus Coronensis: designare locum pro Templo, non esse in eorum potestate, sed respicit universam religionem

[1]) Haner, pag. 314. Sunt ad manus articuli isti et quomodo reformati in Mssto.
[2]) Literalia Pauli Vég de Kobor extant in MSSto.

Lutheranam et Universitatem Saxonicam. Consultationi tempus concessum, ac tandem eodem anno VI Aprilis Director, praesentibus Joanne Nemes Consiliario, Stephano Miko et aliis non paucis, locum pro Templo Reformatis erigendo in Bolonya nemine contradicente designavit [1]).

CAPUT UNDECIMUM.

De Unitariis in Transylvania.

§ I. Posteaquam infelicis memoriae Franciscus Davidis per clanculares vaferrimi Georgii Blandratae et complicum machinationes subversus est, Demetrius Hunyadi in ejus stationem collocatus, baptismi et sacrae coenae usus antea intermissus restitutus est. Confessio quoque quibus se in Transylvania adstringerent Unitarii edita, nec tamen doctrina Davidis e medio tunc auferri potuit, quoniam Ecclesiae Polonicae in eadem sententia existentes Transylvanos ejusdem fidei per literas et exmissarios subinde confirmabant. Praevaluit tamen ea Unitariorum manus, quae cum Blandrata, Demetrio Hunyadi, Eppelio &c docebat, Christum esse adorandum et invocandum, vel in tantum accedens caeteris religionibus in Transylvania receptis Ecclesiasque proventibus instructiores occupabat.

§ II. *Unitarii non invocantes Christum condemnantur.* — Gabriel Bethlen Princeps anno 1618 in Comitiis Albensibus Unitarios, Christum invocare et adorare nolentes, secundum articulos anno 1579 conditos, censurae et sententiis subjecit, cum non obligaretur eos in Regno tollerare. At vero quoniam ex illis multi erant viri primarii et potentes, insuper clam idem sentientes cum aliis Unitariis Christum invocantibus ac conspirantes, veritus perspicax Princeps ne turbae in Regno excitarentur, sententia executioni demandata non est, atque adeo in sua perdurarunt haeresi [2]). Hoc anno contulit Stephanus Geleji, Professor Scholae Albensis Reformatus, cum Paulo Tsanádi Professore Unitariorum Claudiopolitano de S. S. Trinitatis dogmate, coram Principe et Magnatibus. Nullus ex hoc colloquio fructus et utilitas, praeterquam ubi Princeps audivisset, Tsanadium dixisse de Christo, Deum esse factitium, excanduit vehementerque commotus est, blasphemiam in Christum reputando. At vero cum ejus religio esset Recepta, ex cujus

[1]) E. Diario Joannis Nemes MSS. ad an. 1681.
[2]) Geleji in Praefatione operis Titkok Titka.

principiis fuisset locutus, et insuper ante colloquium de securitate assecurasset, acerrime objurgatum, ut a talibus loquendi formulis abstineret, liberum dimisit [1]).

§ III. Disceptabant inter se Unitarii Invocantes et Non invocantes Christum ad Principatum usque Georgii Rakotzi Senioris, prout ex complanatione anni 1638 palam est. Nam non invocantes seu Francisci Davidis asseclae, ubi innotuissent anno 1635 clarius, Princeps dehortatus eos a sententia, suasit Christum invocarent, quod ni facerent etiam Actione Legali adversum eos in Diaeta processurum. Cumque duros se et inexorabiles praestarent, anno 1638 die XIII Aprilis in Comitiis Albensibus conclusum est, ut qui ad terminum in Diaeta anni 1635 praefixum non converterentur, Director termino Diaetae in Des celebrandae non expectato, evocet et coram judicibus e tribus Religionibus delegatis decidi curet. Qui per Directorem investigati Notae subjecti sunt. Ubi autem viderent sententiam anni 1618 jam nunc executioni mandari, alii orthodoxam amplexi sunt religionem, alii obligarunt se ad Christum invocandum cum caeteris Unitariis; declaratum quoque est, qui id facere renueret, non esset tollerandus, cum Receptae non esset religionis [2]).

§ IV. *Confessio Unitariorum an.* 1638 *exhibita. — Confessio Unitariorum anno* 1579 *conscripta.* — Acta Diaetae Desiensis in negotio religionis, prout e Capitulo Albensi sub authentia sunt deprompta per Petrum Kovasznai superintendentem Reformatorum, quoniam faciunt ad historiam Unitariorum hujus aevi intelligendam, placet exhibere.

Nos Requisitores Literarum et literalium Instrumentorum in sacristia sive conservatorio Capituli Ecclesiae Albensis Transylvaniae repositorum et locatorum ac aliarum quarumvis judiciariarum deliberationum, legitimorumque mandatorum Principalium Executores, Damus pro memoria per Praesentes. Quod Nos Literas Illustrissimi ac Celsissimi Principis Domini Domini nostri Clementissimi Requisitorias pro parte et in Persona Reverendi ac clarissimi Domini Petri Kovasznai Ecclesiarum orthodoxarum per Transylvaniam superintendentis honore et obedientia, quibus decuit recepimus in haec verba:

Michael Apafi Dei Gratia Princeps Transylvaniae Partium Regni Hungariae Dominus et Siculorum Comes, Nobilibus Requisitoribus Literarum et literalium Instrumentorum in sacristia sive conservatorio Capituli Ecclesiae Albensis Transylvaniae repositorum et locatorum, ac aliarum quarumlibet judiciariarum deliberationum legitimorumque Mandatorum Nostrorum Principalium Executoribus Fidelibus Nobis dilectis salutem et

[1]) Melotai in Praefat. Speculi Trinitatis. Geleji in Praefat. libri Váltság Titka Tomi primi.

[2]) Geleji in Praefatione libri Titkok Titka.

Gratiam Nostram. Exponitur Nobis in persona Reverendi Petri Kovásznai Ecclesiarum Orthodoxarum per Transylvaniam Superintendentis, qualiter idem paribus Literarum Universalium Confirmationalium Superintendentis Ecclesiarum Valachicalium ac earumdem Ecclesiarum Pastorum Donationum et Ecclesiarum Unitariarum Complanationem de religione, nec non Illustrissimi quondam Principis Georgii Rákotzi Contractualibus de Clenodiio novem millia Imperialium Tallerorum valente, per eundem Illustrissimum Principem ablato, ad praesens pro jurium suorum tuitione ac defensione plurimum indigeret essentque necessariae, pro eo Fidelitatibus vestris harum serie committimus et mandamus firmiter, quatenus acceptis praesentibus, Literas praescriptas confirmationales, donationales et contractuales, complanatoriasque in sacristia sive conservatorio istius Capituli Vestri repositas et locatas, diligenter requirere et reinvenire, requisitarumque et reinventarum tenorem in transumpto Literarum Vestrarum sub sigillo vestro Capitulari, sine diminutione et augmento variationeque aliquali Eidem Exponenti Jurium suorum uberiorem futuram ad cautelam necessar. extradare modis omnibus debeatis et teneamini, caventes tamen, ne fraus aut dolus hac in parte accedat aliqualis, secus non facturi. Datum in civitate Nostra Alba Julia die 3 Mens. Febr. Anno Dni 1669.

Quibus receptis nos tali Mandato suae Celsitudinis obedire et satisfacere cupientes, universa Protocola et Registra Capituli hujus Nostri requisivimus et evolvimus, ubi post diligentem requisitionem reinvenimus confessionem religionis Unitariae in Transylvania receptae Statibus et ordinibus Regni Albae Juliae A° 1638 exhibitam. Item consensum Ministrorum Unitariae religionis et complanationem controversiae de Divinitate, adoratione et invocatione Jesu Christi in oppido Dés et conventu ibidem celebrato factam, in forma libri confectam, illustrissimi ac Celsissimi Principis Georgii Rakotzi similiter, ejusdemque Consiliariorum et Delegatorum Chirographis et sigillis communitam hoc tenore:

Confessio recepta Unitariae religionis in Transylvania per honorabilem Danielem Beke Superintendentem ejusdem Receptae religionis Unitariae ac alios sibi adhaerentes in Generali Universorum Dominorum Statuum Trium Nationum in Transylvania, Partiumque Hungariae eidem incorporatarum conventu Albae Juliae pro Festo Beati Georgii Martyris et Militis die scil. 23 Aprilis proxime elapsi in hoc anno praesenti 1638 celebrato exhibita hujusmodi tenoris.

Hiszünk a Jesus Kristusban, mi egy Urunkban a ki által mindenek vagynak 1 Cor. 8. A Magasságbeli Istennek Fiában Luc: 1. A ki által az utolsö idöben az Isten szollott Sid. 1. A kit Urra és Kristussa tött, és a kit mindeneknek örökösévé tött Kolos 1. Efes. 1. 4 et 5. Egyetlen egy Közbenjárónak 1 Tim. 2. Elöknek es megholtaknak Királlyának és Birájának Jan. 12. 18. 19 Act. 10.

Ez Istennek Fiát, sem láthatatlannak, sem halhatatlannak, sem mindenek felett valo Istennek, sem a kitöl mindenek lettenek volna, vagy magától való Istennek nem mondjuk sotra, hanem Istentül való Istennek, Vilagosságtol valo Világosságnak, igaz Istentöl való Istennek, a bölts Istentöl való böltsnek, és az halhatatlantul való halhatatlannak, és hogy ezek adataltanak és hogy ezek adatattanak az Isten Fiának amaz Embernek, a ki fogantatott sz. Lélektöl, Született Szüz Máriától, mert mind ezeket az Asya ö neki adta.

Ezeket pedig Vallásunk Szerint mondjuk, hogy világosban megérthesse minden, hogy a Kristus mindeneket ar Anjától vett, es magától semmye mútsen; valjuk hogy a Jesus Kristus Istennek amaz egy Fia, kiról gyakorta Isten az égböl tanubizonyságot tött Matt. 3. 17. Luc. 3.

Es a kit regen az Apponyi állatnak Magvából adandónak meg igért Gen. 3 annak utánna a Patriarháknak az Abrahámnak magvából Gen. 12, 18, 23 & 26. Item Act. 3. Esa 42. Ennekutánna Davidnak az ö Magvából Psal 2. 83 et 110. Es a kiröl tsak egyedül nem másrol senkiröl egyebröl jövendöltenek minden Profétak és kiváltképen Moses profetalt mondván: Profétat támaszt a te Urad Istened te néked, te közzuled, a te atyadfiai Közzül hozzám hasonlót Deut. 18. 15. Actor 3. 22. 7. 37. Ugyan azon látható Jesus Kristüst mondjuk, hogy az Asya Istennek egyetlen egy sziilött Fia Joh. 1 : 14. Es minden teremtett állatok és holtak között elsö szülött. Kol. 1. Sid. 1. mellyen kivül más mùtsen Esa 45 Ez a ki a Világnak végezeti után az Asyának alája vetetik 1 Cor. 15. Ugyan azt igaz Istennek is valjuk lenni 1 Joh. 5. Luc. 20. Matt. 28. Apoc. 5. Joh. 10. az hol hivaltképpen az ö Istensége a meg szenteló Lélek által, és az el vett hatalom által vilagosson meg matatatik, a kit tisztelünk és segitségre hivunk az Asya után az ö parantholatja, szerint és az Apostoloktol elónkbe ist Regula szerint a kik ötet segitségre hioták, nem ugy mint Magosságbeli egy istent, hanem ugy mint annák Fiát, mi Közbenjáronkat, Urunkat, Messiasunkat, és Megvaltonkat. Valjuk azért hogy mi nem aharunk egyebet tudni semmit, hanem a Jésus Kristust, azt is a ki megfesvitetett 1 Cor. 2. A ki mind örrökke áldando Isten. Rom. 9.

Consensus vero Ministrorum ejusdem Unitariae receptae religionis in anno Domini 1579 die 2 Julii Claudiopoli congregatorum de Divinitate, adoratione, invocatione, Regnoque Christi et libris sub Rege Serenissimo quondam Johanne secundo Electo Hungar. impressis ac publicatis conscriptus. Exhibitus vero Illustrissimo ac Celsissimo Principi Domino Domino Georgio Rakotzi Dei Gratia Principi Transylvaniae Partiumque Regni Hungariae Domino et Siculorum Comiti, Domino nostro clementissimo, ac ejusdem Consiliariis, certisque praecipuis Delegatis personis in congregatione in oppido Dees ad primum diem Julii ex universorum statuum

et ordinum Regni communi deliberatione per eundem Dominum Principem nostrum indicta sequitur hoc verborum tenore:

I. Credimus et confitemur Jesum illum a Nazareth esse Filium Altissimi Unigenitum dicique Deum juxta genuinum sensum S. Scripturae propter has causas.

1mo Quia conceptus est de Spiritu Sancto. Math. I. Luc. I.

2do Quia unctus est Spiritu Sancto prae omnibus consortibus et accepit spiritum sine mensura. Joh. 3. Heb. 1. Act. 10. Luc. 4.

3tio Propter majestatem et gloriam, quam Pater in caelo et in terra, postquam resurrexerit a mortuis, plenarie dedit. Rom. 1. Phil. 2. Mat. 28. Eph. 1. Act. 2.

4to Quia Deus Pater in plenitudine temporis restauravit et condidit omnia per ipsum, deditque illum nobis ut per illum salvemur et vitae aeternae haeredem accipiamus. Eph. 1. 3. Col. 1. 1 Joh. 5. Act. 4. Rom. 3. Joh. 3.

II. Hunc eundem Jesum Christum credimus colendum et adorandum esse, quia Pater dedit omnia Filio, Matt. 11: 27. Joh. 5: 22, et praecepit, ut illum audiamus, in ipsum credamus, ipsum colamus et adoremus, Matt. 3:17. Ideo omnes thesauros scientiae et sapientiae in eo abscondidit, Col. 2, ut ex plenitudine ejus et nos omnes accipiamus, Joh. 1:16, ut scilicet colentes Filium, colamus Patrem, credentes in Filium, credamus in Patrem, quia Pater in Filio honoratur, Joh. 5.

III. Confitemur, quod Jesus ille verus Messias dum fuit in terris, contulit et etiam nunc confert bona spiritualia fidelibus per verbum et spiritum ideoque invocandus est; propterea enim a Deo Patre in ipsum bona omnia collata sunt, ut illa ab ipso confidenter in nostris necessitatibus petamus et speremus. Hinc postquam exhibitus in mundum venit, ad illum multi confugerunt, dixerunt: Jesu Fili David, miserere mei! Mat. 15. Marc. 10. Item: Domine Jesu, suscipe spiritum meum, Act. 7. Neque tamen ut Deus ille Pater, in quo omnia invocatur, 1 Cor. 8, neque etiam ex forma invocationis, qua Patrem invocamus dicendo: Pater noster &c., sed ex ratione, ut quod Deus Pater illi contulit, certi simus nobis Christum id opulenter largiturum, quemadmodum ipse promisit Quicquid petieritis in nomine meo ego faciam, Joh. 14. Item: Ego dabo vobis os et sapientiam, Luc 21. Item: Vitam aeternam dabo eis, Joh. 10. Neque enim eo pacto Mediator noster est, ut nihil nobis conferat, aut quod ab eo nihil petendum, expectandum atque etiam sperandum sit, cum eo fine omnia a Deo Patre suo coelesti acceperit, ut ab ipso ea omnia in nos tanquam membra istius derivarentur.

IV. Dicimus etiam cum sacra Scriptura, quod Jesus ille Christus, qui dicitur caput nostrum, sit nunc quoque Ecclesiarum Rex, et regat per spiritum suum fideles suos domineturque super vivos et mortuos

Rom. 14, imo quod regat omnia verbo potentiae suae, Hebr. 1. Nam Christum ideo Pater nobis dedit, ut in suis fidelibus nunc regnet et illis vitam aeternam conferat, et ipse sit solus sub coelo, in cujus nomine nos salvos fieri oportet, Act. 4:12; et quamvis dicatur 1 Cor. 15, tunc habiturum finem, quando Christus tradiderit regnum Deo et Patri et cum omnia fuerint ei subjecta, non tamen ex eo consequitur, Christum nostrum Deum, Regem nunc non esse, cum ibidem dicatur, oportere illum regnare, donec illi omnia subjiciantur.

Complanatio ejusdem controversiae de Divinitate, adoratione invocationeque Domini nostri Jesu Christi superioribus annis circa praemissam confessionem et consensum inter dictum Danielem Beke et caeteros eidem adhaerentes ab una, ab altera vero parte honorabilem Matthiam Ravium Ministrum receptae Unitariae Religionis in civitate Colosvár ac alios sibi adhaerentes exorta ac agitata per dictum Dominum Principem Nostrum clementissimum ejusdemque Dominos Consiliarios, delegatasque ad id praecipuas Personas vigore publicae constitutionis in Generali conventu Albano, sancita in Oppido Dees et conventu ibidem celebrato facta, quae sequitur in haec verba:

A'mikeppen David Ferentz condemnálása után, Demetrius Hunyadi Püspöknek idejében, az Unitaria Religion lévö Ministerek ezen megegyeztenek, hogy az Ur Jesus Kristusnak az Asya Istentöl adatott Istenségét vallani, igaz Istennek hirdetni kell, imadni és segitségül hirni, segitségét tölle kerni, ez ellen pedig senki se titkon se nyilván ne tanitson, se ne szoljon, söt a szerint tanitson, predikáljon és énekeljen a Jesus Kristust pedig Isteni uptelettel imádják, és directè segitsegül hirják: ugimint kinek hatalma vagyon idveziteni el is kárhoztatni az embereket. Ez pedig az Ecclesiastica Disciplinának, harmadik Articulussának, de officio Ministrorum világosb declaratiojára az Ecclesiastica Disciplinába verbo tenùs be iratassèk. Kinek be iratását nem difficultalhatják, mert in loco publico, mind az Püspök mellette lévö Ministerekkel, mind pedig az Unitaria recepta Religion lévö Fö emberek sponte meg vallosták; a mit azért illyen publicè vallottak ès valnak, meltán az Disciplina Articulusában is be iratathatik.

A Sacramentumok administrálásaban is légyen a recepta Unitaria Religio ac Ecclesiastica Disciplina szerint, a kis gyermekek Asyának Fiunak es Sz. Léleknek nevében kereszteltessenek meg. Az Ur Vatsorájaban a Pohár a communicansok kezekban adatassék, magok igyanak belölle mint az Unitaria Magyar Ekklesiában.

Akárminérnü injuriák és bantodások, löttenek volt, ultro citraque Szörös Máttyás es a mellette lévök között, és a Püspök Daniel Beke S. hozzá tartozó Ministerek, Kolosvári Birák, Polgárok és communitas s töb Unitaria recepta Religion levö statusok között, azok mindenestöl örök

feledékenységben és amnestiában mennek, és azokért sem most sem ennek utánna is egyik felöl is sem titkon sem nyilván semminémü uton és praetextus alatt boszszu állás ne lehessen, ne is légyen egy más ellen, ha Kaptalanokban vagy akár hol Protocolumrokban Protestatiok és egyeb jövendö boszuállásra való irások löttenek volna, utrinque cassaltassanak és annihiláltassanak in perpetuum.

Mindazáltal a'Zidozok és a Jesus Christus igaz Istenségének káromlói ez amnestiából, most és ennek utánna is in perpetuum excludaltassának és pro exclusis habeantur.

Mentöl hamaréb lehet az Unitarius Superintendens Synodust convocaljon, és az Unitaria Confessiot és consensust, és Ecclesiastica Disciplinat, a mint mostan el igazitatast minden Unitarius Ministereknek, Mestereknek publicalja s igen serió injungalja, hogy mind Ministerek, Mesterek, es Kántorok a szerint predikaljanak, tamitsanak és énekeljének sub poena Notae infidelitatis.

Azon synodusban formáljanak és irjanak olly Catechismustis, melly conformis légyen, per omnia a recepta Unitaria Confessiohoz, Consensushoz és Ecclesiastica Disciplinához, a mint mostan el igazitatott, melly Catechismust a jövendö terminuera reportaljanak a mi kegyelmes. Urunk ö Nsága Meltoságos Személye elcibe és akkor jelen léjendö. Tanáts Urak és Tabla Biráji eleiben, és ha a felyül meg iratott recepta Unitaria Religiohoz conformisnak találtatik. annak utánna minden Unitaria Ekklesiákban et Scholákban a szerint tanitsának és tanulják.

Ha kik éz mostan el igazitatott Recepta Unitaria Confessio ellen vétenek azoknak meg bünteterésekben való authoritást az országnak supremus Magistratussa az Unitarius Püspöknek és Consistoriumnak nem engedheti; holott az elött való Fejedelmek is, azt az auctoritást magoknak reserváltak a mint ezen dolog az Országnak régi articulussabol constal.

Ha azert az Unitaria Religion lévök közzül, akar Ecclesiastica s akar secularis Personak légyenek a mostan eligazitatott recepta Unitaria Religio ellen, tanitana, irna, vallana, és ujjab inditást inditana, ad Instantiam Directorum az ország Gyülésére evocaltassanak, és mint innovatorok et plublicae pacis perturbatorok, comperta rei veritate in nota perpetuae infidelitatis couvincaltassanak.

Ha pedig az Unitarius Ministerek, Mesterek külsö rendtartásokban, erköltsökben, magok viseléjeben az Ecclesiastica Disciplina ellen delinqualnak, azokat Püspök és a consistorium büntessék Disciplina szerint.

Ha kiknél akar Ecclesiastica akar secularis Personáknal olly könyvek, irások és háromlásra formáltatott képek volnának, mellyek a mostan eligazitatott recepta Unitaria Religio ellen valok, mind azokat a könyveket, irásokat és képeket minden ember fel keresvén tartozzék ez jövendö Sz. Márton napjára a Fejervári Kaptalanba be vinni. Ennekutanna pedig a

fele könyveket, irrásokat, és képeket, senkinek szabad ne légyen irni, nyomtatni, tartani, avagy másunnan az orszagba be hozni sub poena Notae infidelitatis.

Ha az Unitaria Religion lévök közzül a mostan eligazitátott recepta Unitaria Religionak Confessioja szerint könyvet irna is valaki, de azo kinyomtatni és ki botsátani az országnak Fejedelmének hire nélkül semmiképen ne mérészelje sub eadem poena notae infidelitatis.

Mivel pedig az aratás jelen lévén az Unitarius Püspök synodust mostan mindjárast nem convocalhat, concludaltatott hogy a mostan eligazitatott Unitaria recepta confessiot és complanatiot le iratván és kezekben vévén, innét Ecclesiajokba redeálvan az Unitarius Ministerek, Ekklesiajokban elsö contiojokban publice publicálják és annak vallására s követésere és megtartására minden allattok lévö Halgatokat kenszeritsenek.

Actum in oppido Dees, die 7 Julii A. Domini 1638, praesidente illustrissimo Domino Principe Nostro, ac praesentibus ejusdem consiliariis, aliisque Proceribus et primariis Viris, per Status et ordines Regni ex tribus Nationibus, ac extra Unitariam receptam Religionem, aliis tribus receptis in Transylvania Confessionibus delegatis, et subscriptum erat:

Georgius Rákotzi L.S.
mp. authentici.

Stephanus Haller Consiliar. suae Celsitud. et Comes Cottus Küküllöv. mp. L.S.	Stephan. Kassai Consiliar. et Protonotar. mp. L.S.	Michael Toldalagi Consil. Sedisque Sicul. Udvarhely et Maros Capitan. mp. L.S.	Steph. Szalántzi Cons. et Tabulae Assessor. mp. L.S.
Franciscus Rédei. mp. LS.	Sigismundus Bartsai. mp. L.S.	Ladisl. Tsefei Comes Cottus de Szolnok et protonotar. mp. L.S.	Seredi Istvan Fö Lovasz Mester Kraszna Varmegyek Fö Ispannya. mp. L.S.
Stephanus Körösi de Várad. mp. L.S.	Joh. Kemény Comes Cottus Albensis. Capit. Fagarasiens. Cubicularius Principis et Tab. Judr. Assessor mp. L.S.	Petrus Haller de Hallérkö. mp. L.S.	Ladislaus de Balashaza V. Comes Cottus Szolnokiens. Med. mp. L.S.

Petrus Szénás de Balik Praefectus Transylv. mp. L.S.	Nemes Tamás Háromszék Fö Kapitannya mp. L.S.	Matthias Huszar Sup. Judex Regius Sedis Maros mp. L.S.	Thomas Baja. mp. L.S.
Stephanus Fodor. Judex Regius sedis Saxonical. Szaszváros. mp. L.S.	Franciscus Kornis de Ruszka Comes Cottus Kolosien. mp. L.S.	Balthasar Vesselenyi Comes CottusDobocaiens. mp. L.S.	Stephanus Sulyok Comes Cottus Colosien. ac Tab. Asses. mp. L.S.
Gabriel Mindszenti Comes Cottus Dobocaiens. mp. L.S.	Petrus Gávai mp. L.S.	Stephanus Kamuti. mp. L.S.	Johannes Csevenyi mp. L.S.
Valentinus Seraphim Judex Regius Cibiniens. et Cons. mp. L.S	Petrus Torma mp. L.S.	Steph. Petki Supr. Capit. Csik. Gyergyo et Kaszon. mp. LS.	Steph. Domokos de Also Tsernáton mp. L.S.
Michael Sz. Agotai Consul Cibinens. mp. L.S.	Michaël Goldtschmit mp. L.S.	Valentinus Forgáts Villicus Coron. mp. L.S.	Martinus Schrev. Notar. Coron. mp. L.S.
Stephan Maurer Consul Segesv. mp. L.S.	Laurentius Szötots civis Segesv. mp. L.S.	Martinus Kolosvari Senator Medjesiens. mp. L.S.	Andreas Vég Judex Bistricien. mp. L.S.
Martinus Sculteti Senator Bistriciens. mp. L.S.	Jacobus Literatus Judex Regius Köhalm. mp. L.S.	Stephanus Literatus Sedis Judex Köhalmiens. mp. L.S.	Georgius Herman Judex Regius Szaszsebesiens mp. L.S.
Joh. Szabo Judex Regius subst. Nagy sink. mp. L.S.	Joh. Kadar Judex Regius Sedis Ujegyhaz. mp. L.S.	Daniel Beke Superintend. receptae Unit. Religion. mp. L.S.	Adamus Francus Minister Eccl. Saxon. Claud. mp. L.S.

Matthias Ravius Minister mp. L.S.	Joh. Toldalagi. Jur. Assessor Ill. Principis Transyl mp. L.S.	Georgius Torma mp. L.S.	Daniel Michaly Háromszékk. Fö Kiralybiraja mp. L.S.
Joh. Sarosi Causarum Fiscalium suae Celsit. in Transyl. Director mp. L.S.	Stephan. Körösi de Beld V. Comes Cottus Albens. mp. L.S.	Franciscus Farkas mp. LS.	Johan. Gyeröfi mp. L.S.
Francisc. Bethlen Jur. Assess. Tab. Judriae D. D. Principis mp. L.S.	Caspar Begez mp. L.S.	Michaël Jö Samariai mp. L.S.	Kováts Gáspar mp. L.S. Ladisl. Torotzkai mp. L.S.

Nos itaque sic requisita et reinventa confessionis Unitariae Receptae religionis tenorem de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento vel variatione aliquali in Transumpto praesentium Literarum nostrarum, memorato domino exponenti Reverendo Petro Kovásznai Jurium suorum uberiorem futuram ad cautelam necessariar. sub sigillo nostro Capitulari Authentico fideliter et conscientiose extradandum duximus et concedendum, communi justitia et aequitate suadente. Datum die nona mensis Febr. anno Dni millesimo sexcentesimo sexagesimo nono. L.S.

Capitularis.

Nihil omittere volui, sed formalia verba prout ex Capitulo sunt exhibita dare, ne cavillari possint nos non integra documenta dare, sed mutila, ob hunc respectum quoque Hungarica in Latinum non transfudi.

§ V. *Unitarii Ministri a Ref. superint. testimonium habere debent.* Regnantibus itaque Principibus Gab. Bethlen et Georgio Rákotzi compositae sunt Unitariorum controversiae; omnis adempta libertas Christum Non-invocantibus; Ecclesiae Reformatae diligentius ab Unitariis in terris Siculorum discriminatae, ubi clam ministri quibusdam Ecclesiis Reformatorum irrepserant. Constitutumque est, ut sine testimonio Reformati Superintendentis nemo in Ministerium vel inter Unitarios reciperetur. Ejusmodi testimonium est quod sequitur, Pastori Arkosiensi Unitario exhibitum.

A Michaele R. Tasnadi Superintendente Ecclesiarum Sacro-sanctam Trinitatem profitentium solemniter de doctrina et moribus examinatus, receptus est in numerum docentium Legem et Evangelium et administrantium sacramenta a Domino Salvatore instituta Reverendus Frater

noster Jacobus Markosfalvi. Quod testantur hae literae sigillo Ecclesiae publico et manu ejusdem superintendentis munitae et datae Vasarhellyini Siculorum an. Dni 1614 die 16 Junii.

L.S. Michaël R. Tasnadi
superintendens mp [1]).

Privilegium Ministris Ecclesiarum Reformatarum in Siculia elargitum extenditur etiam ad Ministros Ecclesiarum Unitariarum; ita tamen ut illi dependentiam haberent a superattendente Reformato in moralibus. Punctum istud Privilegii ita sonat:

„Quod Ministri (ut vocant Unitarii) in tribus sedibus Siculicalibus commorantes eo, quo jam nunc ex communi Regnicolarum constitutione in usu est, a modo exhinc quoque successivis semper temporibus dependentiam suam, quoad moralia seu externam disciplinam, a superattendente orthodoxo habeant, eique soli non vero Unitario ipsorum superattendenti visitandi ipsos potestas concedatur. Verum si quid ipsis cum eo negotii in rebus religionem ipsorum concernentibus interveniat, suo illum loco requirere debeant."

Ratio subjectionis Episcopo Reformato Ministrorum Unitariae Religionis haec est: quia ea aetate aut negligebant baptismum aut variabant ejus formulam in hanc: Ego te baptizo in nomine Dei Abrahami, Isaachi et Jacobi, aut similem. Deditus ergo Ministerio stipulata manu se obligabat ad administranda sacramenta secundum institutionem Christi et leges Regni: de quo accipiebat testimoniales.

§ VI. Ab eo tempore Status Unitariorum declinavit in deterius. Magnates enim qui fuerunt inter istos Reformatam amplectentes Religionem, eos secuta est Nobilitas et plebs, civitates et oppida, uti Kolosvár, Torda, praecipua Unitariorum sedes, Dées, Kolos &c. Liberum tamen semper habuerunt religionis exercitium secundum conditiones Unionis, et a nemine interturbati sub Principibus Reformatis. At mutato regimine, templa et scholae in multis locis sunt occupatae a Romano Catholicis adversus Patriae leges, quae aequalem quatuor Receptis Religionibus indulgent libertatem.

§ VII. Memorandi hic sunt superintendentes Unitarii, hac temporis periodo Ecclesiis Praefecti. Superius vidimus Franciscum Davidis, Demetrium Hunyadi, Georgium Enyedi, Joannem Kosa, Matthaeum Torotzkai. Jam sequitur

1. Valentinus Radecius, qui fuit filius Matthaei Radecii Gedanensis Secretarii, factus primum Professor Claudiopoli anno 1622 [2]). Tempore Radecii quidam pagi Unitariam deserentes Reformatam amplexi sunt Religionem. Quod inde evenisse censebant, quoniam superintendens linguam ignorabat Hungaricam, nec visitare eos nec confirmare in fide

---

[1]) Communicatum hoc testimonium ex Arca Ecclae Arkosiensis.
[2]) Czvittinger Literat. Hung. pag. 309.

sua potuerit. Concluserunt igitur Unitarii, ut secuturis temporibus nunquam Superattendens ex gente peregrina constituatur. Mortuus est Radecius anno 1632.

2. Paulus Tsanádi, celebris jam diu in schola Professor, qui Professoris et superattendentis officio simul functus est.

3. Daniel Beke, oriundus ex Sepsi Szent György, electus in superattendentem an. 1636, mortuus an. 1661.

4. Johannes Jarai, electus in superintendentem an. 1661. Hujus aetate expulsi sunt Unitarii e Litvania et Polonia, ex quibus quadringenti Transylvaniam ingressi, majori ex parte Claudiopoli resederunt.

5. Balthasar Kontż, electus in superintendentem an. 1663.

6. Daniel Szent Iváni: tempore hujus scripta est catechesis minor pro Unitariis. Mortuus anno 1689.

7. Paulus Bedö, electus in superintendentem an. 1689, mortuus est anno sequenti 1690.

8. Michaël Kövendi, Desino Kolosvarinum translatus brevi quoque hujus vitae taedia reliquit.

9. Michaël Almási, electus in superintendentem an 1692, diu Ecclesiis praefuit et innumera passus est. Hujus aetate anno scilicet 1716 a Catholicis per milites Caesareanos occupatum Claudiopoli templum, schola ab Unitariis non pridem propriis sumptibus erecta, Parochiae, domus Superattendentis, Pastorum, Professoris, Lectoris, Cantoris, Vineta, agri, Decimae, Typographia a Vidua Andreae Kmita propriis sumptibus erecta, insuper milites ad aedes opulentiorum dislocati, eos pro lubitu vexabant. Paucis hujus tragoediae Timon meminit, qui ita: „Georgius Martonffius.... iter instituit in Transylvaniam. Cui cum appropinquaret Excellentissimus comes Steinvileus, supremus in ea provincia militaris praefectus, mandata Caesaris exequens primarium urbis Claudiopolitanae templum a Sigismundo Imperatore et Rege Hungariae magnifico opere olim constructum refractariis Arianis **PER VIM ERIPUIT**. Dein quarto nonas Aprilis antistes Pontificalibus vestimentis amictus, comitante qui eidem adventanti occurrerat catholico popello, urbem ac templum ingressus solenni apparatu, sacrum fecit" [1]). Mortuus tandem est Almási anno 1721, cui successerunt

10. Sigismundus Pálfi, electus in superintend. an. 1721, mortuus 1737.

11. Michael Lombard Sz. Abrahami, diu Professoris munere laudatissime in schola fungens, electus in superintendentem anno 1737, utroque Professoris et superattendentis munere fungitur.

[1]) Timon in Epitome Chronolog. Hung. p. 295.

CAPUT DUODECIMUM.

De Sabbathariis sive Judaizantibus in transylvania.

§ I. *Origo Judaizantium.* — Judaizantes in Transylvania originem debent Unitariis Christum in precibus invocare nolentibus, quod Socinus, cum serram contentionis cum Davide traheret, illi praedixerat objeceratque, ex doctrina de Christo non adorando facile oriturum Atheismum et Judaismum.

Blandrata vero in literis die X anni 1580 ad Jacobum Palaeologum datis ita scribit: „Summa doctrinae Francisci fuit, sepeliendum esse Evangelium et revertendum ad Mosen, ad legem et ad circumcisionem. Voluit pluries turbare regnum et fieri novator et rebellis regni publici mandati, dicebat tantum esse Jesum Christum atque Mariam virginem, invocare in precibus Mosen et Mosis doctrinam esse lineam rectam, Christum autem Jesum et ejus doctrinam indirectam" [1]). Franciscus equidem cum viveret haec negavit sua esse aut ex ejus doctrina sequi. Attamen prout ipse recte argumentatus est, Christum, si natura Deus non sit, adorandum non esse, ita etiam recte conclusit Faustus Socinus: Nisi Christus adoretur, Christianismus tolletur, et Judaismus Atheismusque animos hominum occupabunt.

§ II. *Judaizantium opiniones.* — Quales hi fuerint Judaizantes seu (Hungaris Szombatos-ok) Sabbatarii a sabbatho colendo dicti, non aliunde melius, quam ex descriptione Stephani Geleji ea aetate viventis discimus; qui ita illos nobis pingit. Asseclae Fr. Davidis eum pro eximio martyre reputant, et in ejus sententia tanto melius confirmati sunt, ipsique adhaeserunt, et multi ex iis ulterius progressi Judaismo involvuntur: 1) Novum Testamentum penitus ejurantes, Veteri tantum et Mosis legibus adhaeserunt. 2) Cerimonias legis Mosaicae observarunt. 3) Loco diei Dominicae et Festorum a Christianis receptorum Sabbathum et Festa Judaeorum celebrarunt. 4) Synagogas sibi aedificantes in omnibus locis, in iis singulis sabbathis quinque Mosis libros praelegerunt. 5) Corpus suum more Judaico affligebant. 6) Delectum ciborum et distinctionem inter animalia pura et impura observarunt.. 7) Carnes porcinas, suffocata animalia et sanguinem non edebant. 8) Auditum etiam est pueros alicubi circumcidisse. 9) Quod est horribilius, inventi sunt etiam, qui nec Paradisum, nec inferos, imo forte ne Deum quidem affirmarent, sed

[1]) Confutatio Judicii Eccles. Polon. pag. 280.

variis phantasiis et opinionibus animum replentes sese delectarunt, ita ut in ipsis impletum est*, quod Socinus praedixerat, ex non adoratione Christi, quod Davidis et socii urgebant, brevi Atheismus et Judaismus esset oriturus [1]).

§ III. Gloriosae memoriae Princeps Gabriel Bethlen, ex pio zelo, quo erga Deum et ejus cultum ferebatur, teterrimam hanc haeresin conabatur radicitus tollere, ne ulterius in animarum plurimarum damnum serperet, neque professores ejus in suo volebat ferre regno. Igitur hos Judaizantes cum Francisco-Davidistis Christum invocare nolentibus Albae Juliae anno 1618 in Diaeta sententiae subjecit, at vero eorum partes cum suis conjungentes alii Unitarii, ne turbas in regno cierent, executio praetermitti debuit. Tandem anno 1622 in Comitiis Bistriciensibus die 22 Septembris rursum conclusum est, ut Judaizantes cogerentur renunciare suis erroribus et orthodoxam amplecti religionem, sub amissione omnium bonorum; sed rursum Unitariis intermixti in pace permanserunt ad annum usque 1638, quo in Diaeta Desini celebrata diligenter a Blandratistis seu Christum invocantibus segregati, inquisiti, de erroribus noxiis convicti et lata in eos sententia, ut jam recepta consuetudine effugerent, permissum non est. Multi ergo ex iis Reformatam amplexi religionem; multi Unitariis Christum invocantibus sese adjungentes in regno esse permissi sunt. Unus ad aliorum terrorem in his comitiis, lata in eum legitime sententia, lapidatus est, qui horribili in Christum blasphemia dixerat: Si filium Mariae obviaret, tanquam filio fabri securim porrecturus esset ad ligna secanda, aut ligone coacturum in vineis ad operas rusticas [2]).

Fama hujus Diaetae pervenerat etiam ad alia regna Europaea; anno enim 1653 cum in Belgio doctrina Christi Divinitatem evertens pullularet, Classis Vestphrisiae ad Praepotentes ordines ita scribit: „Quemadmodum Rakotziana Domus in Transylvania adversus hos errorum seminatores zelaverit, quid anno 1638 et 1647 in Polonia contra ipsos actum est, quomodo ex Polonia sint ejecti et ipsorum Bibliotheca dispersa, ipsorum coetus disjectus, Templum, Schola, Typographeum ipsis adempta, quod librum sub prelo haberent hac inscriptione: Tormentum throno Trinitatem deturbans, in recenti memoria est" [3]).

§ IV. *Simon Pétsi Judaizans.* — Excellebat inter Judaizantes Simon Pétsi, qui sub Principe Bethlenio munere cancellarii ornatus diu floruit, vir magni ingenii et nominis. Ortum habuit ex Péts parentibus (ut tradunt) plebeis, qui in pueritia et juventute diligentissime studiis

* sit (ed.)

[1]) Geleji in Praefatione Libri Titkok Titka.

[2]) Haner in Histor. Mss. ad an. 1638.

[3]) Vide Literas in operibus Cocceji Tom. VII pag. 116.

incumbens magnum linguarum ac scientiarum sibi acquisivit thesaurum et illustrem cum tempore dignitatem. Callebat linguas Latinam, Graecam, Hebraicam, Rabbinicam, Chaldaicam, Arabicam, Turcicam, Germanicam, praeterea in Philosophicis ac Theologicis studiis versatus. Didicit in Academiis Germaniae ac peregrinatus in oris exteris. Venerat in aulam Stephani Botskai adhuc privati, ejus servitiis mancipatus, qui in Principem electus fuit illi ab epistolis secretioribus fidelemque praestitit operam adeo ut cum Princeps moreretur testamento illi reliquerit possessionem in Felör et curiam suam in Katzkö cum omnibus suis decimis et proventibus [1]).

§ V. Regni negotiis continuo immistus, brevi ita se excoluit, ut rerum Militarium et Politicarum legumque Patriarum peritissimus haberetur. Acris ingenii et perspicax, unde Tractatibus etiam cum aliis Principibus a parte Regni saepe adhibitus, in vultu totoque corporis gestu honeste gravis ac venerabilis. Respectu virtutum Gabriel Bethlen promovit ad officium Cancellarii, et gravissimis in negotiis ejus ministerio usus est variisque possessionibus in Transylvania donavit. Ex adverso, quoniam humili ex sorte emerserat, etiam habitus est oppressor viduarum et orphanorum atque libertatis Nobilitaris vellicator et consiliarius ad illegalia. Inventum ejus fuit Custodia honesta, ut nempe, cum Magnates in Principem peccarent, in custodia detinerentur honesta: in qua et ille tandem diu periclitatus evenit. Malum consilium consultori fieret pessimum. Nam elatus suis virtutibus et opibus, fortunam suam moderari non valebat, neque Principi honorem quem debuit praestabat, verum prosperos ejus successus suae dexteritati imputandam* jactabat. Unde Princeps virtuosus cum, parem ferre non posset, secundum ejus inventum Kövarini honestae mancipavit custodiae. Detentionis hae allegabantur causae: 1) Quia cum pax inter Principem et Imperatorem coalesceret, ipse a parte Principis Tractatui praefectus, quatuor millia Thallerorum gratiam a Ferdinando acceperat, exindeque eo* favisse visus est. 2) Quia cum Bellona adversus Fridericum Bohemiae Regem ad Pragam detonaret, auxiliaribus copiis a Bethlenio submissis, ille cum potestate praefectus, qui in itinere eo usque moram nexuit, donec dies decretorius praeterierit, Fridericoque pugna male cessit*, prodente eum etiam supremo Generale proprio. 3) Quia cum Princeps Hamburgum oppugnaret, ille oppugnationi praefectus, egregios ibi viros proditione (ut accusabatur) sua perdidit. In arresto per plures annos detentus possessionibus suis privatus est. Illius fuit possessio, Radnot, Bánd, Sz. Peter, Szent Marton,

[1]) Extat Testamentum Botskai.

* imputandos (ed.)

* ei (ed.)

* cesserit (ed.)

Sz. Ersebet, Balasfalva &c. Tandem e custodia dimissus, redditus* illi est possessio Szent Ersebet. Post fata Principis Bethlenii Judaismi accusatus, qui non tantum favebat ei sententiae, sed et propalabat diligenter, unde in Diaeta legaliter convicto sub mortis poena interdictum, eam sententiam disseminare et terminos pagi Sz. Ersebet egredi.

Rursum accusatus an. 1647 Judaismi omnibusque bonis privatus in captivitatem conjectus, in qua conversus reddita illi est possessio Sz. Ersebet cum LXXV colonis, ubi versioni Bibliorum ex fonte Hebraico incubuit et paucos post annos in gravi senecta sine posteritate in sexu virili mortuus est [1]).

§ VI. Quamvis varie exagitati sint Judaizantes in Transylvania, tamen eradicari non potuerunt, multiplicati continuo ex eo, unde originem habuerunt, fonte. Anno 1653 talis adversus eos ut Diaeta conditus est articulus:

„Judaismus ab antiquo tantum abest ut quatuor receptis annumeratus fuisset Religionibus, quod potius publicis Regni constitutionibus sub animadversione ac severa poena interdictus; et suo tempore qui impliciti istis erroribus contumaciter deprehensi, secundum constitutiones etiam poenis sunt subjecti. Deinceps quoque in perpetuum, sicut eorum poena, sic et futurorum, vigore eorundem articulorum ac etiam praesentium decernitur sub eadem poena processuque in Articulis expresso; de quibus uberior declaratio extat in eorum serie" [2]). Ex Articulis autem an. 1618, 1622, 1635, 1638 declaratio talis est:

„Licet de Judaizantibus plurimae extiterint Regni constitutiones, juxta quas eorum negotium magna ex parte etiam executioni mandatum secundum Articulos anni 1635 et 1638, qui nunc quoque in omnibus eorundem continentiis, processibus ac executionibus loco suo relinquuntur. In futurum autem iidem articuli per modernas constitutiones renovantur, ita ut si qui deinceps quoque tales deprehenduntur, secundum Processum primi Articuli anno 1622 conditi, omnia bona mobilia et immobilia ad se pertinentia, caput vero redemptibiliter amittant. Processus hic est, ut a Directore Fiscalium Bonorum citentur ante octavam ad Tabulam; si vero Termini octavales ordinarii celebrari non possent, in Tabula sub Diaeta res eorum revideri possint" [3]).

§ VII. Michael Apafi beatae memoriae Transylvaniae Princeps anno 1666, cum animadverteret Sabbathariorum in terris Siculorum multiplicationem, in Diaeta Bistricii celebrata eodem anno urgebat, ut secundum Regni constitutiones brevi Processu bona sua et capita amittant.

* reddita (ed.)

[1]) In vita Joann. Kemeny. P. Mssta.

[2]) Approb. Const. Part. 1. Tit. 1 Art. IV pag. 3.

[3]) ll. cc. Tit. IV. pag. 10.

At vero Unitarii inter quos latitabant eos susceperunt excusandos, tanquam innocentes falsoque delatos. Imo inquiebant hoc Processu tantum Receptam Unitariam religionem niteretur turbare, quae tamen juxta Regni Articulos tolleranda est et protegenda. Supplici quoque libello Princeps requisitus est, at frustra. Aliam igitur adinvenerunt viam effugiendi judicia. Hi enim Judaizantes erant ex sedibus Maros, Udvarhelly, Keresztur, Siculicalibus; Siculorum vero lex antiquo usu firmata fuit, ut si in Notam incurrerent, capita quidem amittebant*, bona vero minime! Inventus est ergo inter Magnates quidam mercede emptus Clemens Mikes, qui alios sibi adsciscens multis clamoribus urgebat, nationem Siculicam esse tertiam Regni partem, quae turbatur hac sententia. Siculi enim, etsi in Reges, in Principes peccarent, tantum capita et non bona amittebant. Unde si nunc Judaizantium bona occupentur, Privilegium nationis Siculicae infringetur. Magnis haec clamoribus et ingenti fervore urgens, omnes adversus Principem commovit Siculos; qui ex consilio consiliariorum sententiae in Sabbatharios latae executionem praetermisit. Turbae quoque per Mikesium concitatae Siculorum ultro sedatae sunt et Judaizantes in sua perdurarunt opinione.[1])

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Jesuitis.

§ 1. *Botskai literae ad Jesuitas.* — In Pacificatione Viennensi, quae fuit inter Rodolphum Imperatorem et Principem Stephanum Botskai, de Jesuitis conclusum erat, quod in Regno Hungariae jura stabilia et possessionaria non habeant, neque possideant.[2]) Hunc articulum a morte Principis Botskai tollendum urgebant quidam clerici: at ad intercessionem regnicolarum Matthias Archidux et Rex ita confirmavit an. 1608.

Hic quoque articulus de Jesuitis in vigore suo permanet, nimirum ut ipsi nulla in Regno Hungariae stabilia bona et possessionaria habere et possidere valeant[3]). Ante Principatum Stephani Botskai Transylvaniam

* amitterent (ed.)

[1]) Joannes Bethlen in Historia MSS. ad an. 1666.

[2]) Art. VIII an. 1606.

[3]) Art. VIII an. 1608.

erant ingressi, sub patriae turbis turbas majores cientes: Varadini enim assistentia Georgii Bastae duo templa occupaverant [1]), Claudiopoli et Albae Juliae ubi olim Residentiam habuerunt consederunt. Suis se finibus non continentes accusati sunt apud Principem, qui sequentes ad eorum Superiores dedit literas:

Reverendi et Honorabiles, nobis dilecti! Salutem et favorem nostrum. Significandum vobis per praesentes duximus, certas quasdam et occultas machinationes, quibus publicam Patriae quietem haud mediocriter turbare niteremini, manibus vestris esse deprehensas, propter quas verendum est, ne ob vehementem Regnicolarum, quos vestra inquietitudine ab initio, multoties infensissimos vobis reddidistis, indignationem, etiam nobis insciis et invitis certa clades vos maneat et immineat. Volentes itaque vitae et permansioni vestrae consulere, ne forte perniciei, si contingeret causa, minus juste a Christianis Principibus nobis inureretur, Dominationes vestras serio praemonendas esse voluimus; ut spatio quindecim dierum ab exhibitione praesentium computando, universos et singulos vestrae sectae ordinisque Jesuitici socios, publice vel privatim eam factionem tenentes, sive sub privatis sive publicis Patronis constituti fuerint, undecunque intra ambitum Regni nostri Transylvaniae existentes, signanter autem Albae Juliae, oppido Udvarhelly et Castello Gerend, aliisque locis omnibus, ad illud, quo nunc degitis, claustrum Colos-Monostra Beatae Mariae Virginis, publico edicto convocatis, et intra limites ejusdem se pacifice contineant, nomine nostro omnibus injungatis, scientes si qui eo se ex mandato nostro contulerint, secure Resolutionem nostram et Dominorum Regnicolarum de conditione vestra expectaturos. Aliis vero id praestare negligentibus, si quid sinistri post praefixum terminum evenerit, immunes nos et innoxios ab eorum molestia, damnificatione et sanguine futuros. Post praescriptum autem diem quindecimum et congregationem sociorum vestrorum procuratam, Vos ambo Reverendi, Johannes Argente et Georgius Káldi, ad Nos huc Cassoviam conferatis. Quod ut securius faciatis, literas nostras Salvi Conductus cum praesentibus simul accipiatis, ac de tuta Comitiva per Dominum Gubernatorem sedulo vobis ubique providebitur. Coram ubi adveneritis certius de vestra conditione statuentes et consulentes, secus sub praemissa cautela nullo modo facturi. Datum in libera civitate nostra Cassoviensi, die 2 mensis IIX br.* anno 1606 [2]).

Stephanus.

[1]) In Historia ortus et Progress. Societ. Jesu pag. 124.
[2]) Extant in Historia Diplomatica pag. 22.
* i. e. Octobr. (ed.)

Argentus et Kaldi Cassoviam ad Principem accedentes benigne tractati; declaravit vero ipsis Hungaros ferre eos prorsus nolle, igitur e regno discedendum ipsis est, quod et fecerunt, simul cum sociis in Poloniam, comitati a militibus ne in itinere vim paterentur, extremo Decembri pervenientes.[1])

§ II. Postquam Stephanus Botskai, ad aeternam quietem transcriptus, coelitibus annumeratus esset, sub Sigismundo Rakotzi Principe in Diaeta sequenti Articulo regno exclusi sunt: De Religione deliberavimus ut juxta articulos, antea editos, omnes in sua religione sine impedimento conserventur, sed societatis Jesu secta e ditione illustrissimi Principis excedat.[2]) Solent hic literas quasdam Sigismundi Rakotzi producere velut innocentiae Jesuitarum testes, cum vero eas primum publicaverit Petrus Pazmán cum similis argumenti et authentiae literis, visa est aliis ejus fides dubio haud carere. Gabrielem Bethlen e Principatu Transylvaniae Georgius Homonnai anno 1616 proturbare volens, adjunxerant illi se quidam Magnates Catholici, qui victi ad oppidum Dés et quidam etiam capti, apud Sigismundum Sarmasági Comitem Supremum Tordensem talis confessio inventa est: Prodidi Dominum meum clementissimum decem et septem vicibus.[3]) In illis patriae turbis rursum Jesuitae Claudiopolim intraverant, quos Regnicolae velut Patriarum legum praevaricatores durae subjecerunt sententiae. Princeps tamen salvos dimisit et interdixit ne amplius in provincia invenirentur.[4])

§ III. Secundum leges et articulos Jesuitae locum in Hungaria et Transylvania non habuerunt, in possessionibus tamen Episcoporum in Hungaria; in Transylvania vero sub nomine aliorum Religiosorum, aut vestibus secularium personam tegentes, vitam tollerabant[5]). Artificiose tamen anno 1652 (si verum Kazius in monumenta retulit[6]) investigati et deprehensi regno exesse jussi sunt. Cum tandem constitutiones Regni an. 1653 in ordinem redigerentur, talis de iis conditus est articulus:

De modo et causis exclusionis Jesuitarum.

Ab antiquo de statu ordinis Jesuitici multae extiterunt Regni constitutiones, mutabilemque habuerunt conditionem. Nam aliquando circumscripti sunt, et praeter studia scholastica omnibus aliis exercitiis sunt prohibiti. Aliquando libertas eorum ad duo aut tria loca est alligata, ea

---

[1]) Ortus et Prog. Soc. Jes. pag. 150. 151.
[2]) Idem ll. cc. pag. 55.
[3]) In Vita Joannis Kemeny MSS.
[4]) Andr. Karoli in Memorabil. Ecclesiasticis Tom II. ad an. 1616 pag. 400.
[5]) Kazy Hist. Hung. Lib. VII pag. 165.
[6]) ll. cc. pag. 166.

conditione, ut ad offensionem alterius ordinis antiquorum Doctorum non sint neque discordiae et contentionis causas subministrent. Aliquando ex hoc Regno et omnibus ejus partibus penitus exclusi sunt, et in personis, et a possessione omnium bonorum in perpetuum privati sunt, etiam tempore Principum catholicorum et Magnatum ejus aetatis [1]).

Deinceps vero, prout ex Declaratione Regni et Principum in publicis constitutionibus apparet, praescriptis conditionibus non tantum se non accommodarunt ejusdem sectae Jesuiticae; sed in machinationibus adversus Principes et rebus patriae tranquillitatem turbantibus sese immiscuerunt. His et aliis tunc declaratis causis ex unanimi Principum et omnium Regni statuum consensu non solum possessionibus omnibus prorsus sunt privati, sed etiam in personis proscripti et exulare jussi [2]). Accedunt his exempla (cum in quibusdam locis ejusdem Pontificiae religionis Principes et Imperia proprio suo damno cognitis de causis eos non patiuntur; ubi autem conditionem habent florentem et accrescentem, ibi incrementum sumit magna ex parte discordia, aliarum Religionum persecutio et dominatus in conscientiis, et imperia desolantur ac ad ultimam ferme ruinam pervenerunt), tum aliae speciales et renovatae graves causae. Nunc quoque antiquae de illis Regni constitutiones, et quoad illarum distinctionem, signanter articulus an. 1588, 1607, 1610 loco suo relinquuntur, renovantur et confirmantur. Secta autem Jesuitarum nunc quoque ex omnibus hujus patriae partibus secundum tenorem articulorum superius scriptorum exclusa est, et ab emanatione earundem recepta non est. In futurum quoque habeatur pro ordine nec clam neque palam in perpetuum admittendo, sub poena de ipsis, bonis et fautoribus specificata.

De Confirmatione Exclusionis Jesuitarum et eorum Fautoribus.

Ordo Jésuitarum ante hac jam diu ex hac patria in perpetuum est exclusus et proscriptus, bonisque quocunque nomine nominandis privatus; pariter et eorum fautores. Libertas concessa est omnibus statibus, ut si adversus constitutiones ingredi auderent, ubique persequi et omnibus rebus spoliare possint, et nunquam in hac patria ea secta audiatur, neque admittatur, tempore ullo et ullo respectu, prout signanter lucidius memorantur in articulis anni 1588, 1607, 1610. Nunc quoque igitur isti articuli confirmantur, et denuo conclusum, ut ordo Jesuiticus et sectae ejusdem asseclae modo praescripto in perpetuum excludantur et omnibus bonis privati habeantur et nunquam ullo tempore in hanc patriam revocentur, caceptentur et a nullis immittantur. Cui adversantes si contu-

[1]) Articulis an. 1588.
[2]) Ex art. an. 1607 et 1610.

maciter Regnum ingrederentur, clam vel palam latitarent, comperta rei veritate et non ad aliquam suspicionem aut accusationem simplicem, tanquam proscripti et notorii, tam a Principibus, quam ab officialibus quibuscunque, sub quorum inspectione inveniuntur, libere capiantur et poenis in constitutionibus specificatis afficiantur. Similiter si qui adversus graves has Regni constitutiones ejus ordinis Religiosis vocationem ad Regnum ingrediendum darent aut praesentiam eorum scientes non significarent, multo magis si foverent, illi citati ad Diaetam in notam infidelitatis incurrant" [1]).

§ IV. Quoniam annis superioribus deprehensi erant Jesuitae vestibus secularium et nomine aliorum Religiosorum personam tegentes, conditus est anno 1653 articulus, quo a simili fraude sibi caverent, qui ita est: „Neque Principes, neque Domini, nec Magnates, Nobiles et alii, sacerdotes ex ordine Jesuitico, magistros et studiosos aut alterius generis homines, qui reipsa in ea societate fuerunt aut sunt etiam de facto, sed vestibus militaribus aut aliorum hominum latitant, alii sub poena praecedenti specificata articulo, Principes vero sub obligatione conditionum et Regni statutorum, non interteneant" [2]).

§ V. Status Hungariae per varia bella multum immutatus immutavit etiam Jesuitarum in Hungaria statum, qui anno 1687 in Diaeta Posoniensi, sequenti Articulo in Hungariam admissi sunt. „Ut a modo in posterum religio Societatis Jesu nomine collective sumpta, cum ad clementem sacratissimae suae Majestatis resolutionem, tum superinde coram inclytis statibus et ordinibus factam demissam, in hoc Regnum Hungariae et partes eidem annexas, pro recepta et stabilita habeatur, unanimiter sancitum est." [3]) Ab eo tempore in Hungaria plurima possident bona stabilia in omnibus ejus partibus.

§ VI. Principe Apafio in Transylvania anno 1690 e vivis sublato regimen Provinciae occupavit Leopoldus Imperator, tunc statim conabantur ingredi in Transylvaniam. Magnates quidam Aulae Viennensis gratiam venantes, Cardinali Kolonitsio et celebribus eo tempore Jesuitis, Landel, Vizkeleti, Hevenesi, promiserant ingressum eorum allaboraturos, tentabantque anno 1693, at efficere non poterant, ob Diploma Leopoldinum recenter impetratum et approbatas constitutiones, neque Aula pressius tunc voluit urgere [4]). Fuerunt equidem in Transylvania et anno 1700, sed vestibus aliorum Religiosorum [5]). Tandem anno 1702 postulavit Imperator articulos adversus Jesuitas e tabulis legum expungendos, quod

[1]) Approbatae constitut. Tit. II. art. 1. pag. 7. Tit. III.
[2]) Il. cc. Tit. III. art. II. pag. 10.
[3]) Articulo XX an. 1687.
[4]) In vita MSS. Nic. Bethlen Lib. II Cap. XX circa medium.
[5]) Ortus et Progr. Soc. Jesu, pag. 165.

Regnicolae ut facerent nullo pacto induci potuerunt. Occuparunt tamen loca quaedam in civitatibus cum annuentia Caesaris, ubi in suis Residentiis pacifice permanserunt. Claudiopoli, ubi nunc eorum Academia est, fuit schola Reformatorum cum horto ejus, quam ea conditione Catholicis anno 1701 cesserant Reformati, ut alius illis designetur locus scholae et hortus: quod Plenipotentiarius Comissarius Imperatoris etiam promiserat, at effectum est nihil. Catholici tradiderunt Jesuitis. Possessio in Monostor est a Stephano Bátori, quae anno 1588 iis e Regno proscriptis devoluta erat ad Fiscum: collata et inscripta 15 florenorum millibus cuidam Magnati, unde a Regnicolis redempta ac Jesuitis reddita est cum certis circumscriptionibus.

§ VII. In initio seculi hujus cum Franciscus Rákotzi Hungaros adversus Domum Austriacam concitasset, variaque fortuna nunc blandiore mox novercante bellum gereret, favebant saepius Rakotzio, in ejus honorem Comoedias, Arcus Triumphales instituentes, mox etiam partis adversae favorem demereri pergebant. Princeps Rákotzi eos anno 1707 in Comitiis Onadiensibus proscripsit aut, si in Regno remanere vellent, duris circumscripsit conditionibus. Hac occasione exhibitus est libellus supplex Principi sub nomine quorundam Comitatuum pro Jesuitis intercedens, cui respondit prolixissime facti sui rationem reddens. Quae responsio cum multa habeat singularia, digna videtur, quae hic locum inveniat simul cum libello supplici praemisso. Ita igitur querulantur:

Serenissime Princeps Domine, Domine benignissime!

Humillimorum eorumque Fidelium servitiorum nostrorum demissam subjectionem. Dum inter tot et tantas orbis Christiani bellorum procellas fluctuantem in hoc Mariano Apostolico Hungariae Regno orthodoxae Catholico-Romanae Ecclesiae et Fidei statum grave facile naufragium pati posse, nemo inficias ire queat, Nos quoque, inquieto conscientiae morsu commoti, justum eatenus dolorem haud ultra sustinemus; verum in pias simul et lamentabiles Serenitati vestrae perquam humillime repraesentandas querimonias erumpere inniti quasi adigimur.

Passim enim inaudimus et revera percipimus, imo moestis plane intuemur oculis, honorabiles Societatis Jesu Religiosos, vetustiori alias lege, in viscera Regni, primum quidem in forma Missionariorum, uti et in ipso Szetseniensi conventu agitabatur, pro erudienda juventute et tradendis disciplinis laudabiliter inductos et receptos, medio vero tempore propagata ipsorum religione, intuitu Bonorum et Jurium possessionariorum per eosdem adeptorum Diaetaliter incorporatos, sequestratis propriis ac eo Regno dimissis exterae nationis filiis, jam etiam ipsos patrii soli indigenas omnes et horum plurimos, ex familiarum de patria bene meritarum stirpe ortos, nobiscum sanguine conjunctissimos, extra ambitum Regni tanquam publicos notorios, non tamen Juris ordine convictos,

ac ex sola (ut supponimus) omissione duntaxat confoederationis, ipsis alias de stricta sua universaliter respectu omnium Principum Regula, serio vetitae, proscribi et radicitus ad triste exilium mitti consequenterque amissione universorum bonorum a potiore fundationalium plecti debere. Quare merito animae nostrae patiuntur et praecordia scinduntur, dum in grave et manifestum causae Dei et Jurium sanctae Matris Ecclesiae legisque vetustioris patriae praejudicium, tam fidos Apostolicae Ecclesiae custodes, zelosissimos orthodoxae fidei propagatores et puri verbi Dei Praedicatores, nec non ingenuos virtutum et omnium scientiarum Magistros ac Doctores connationaliter exstirpari. Taliterque Catholici status alias in hoc Mariano Apostolico Regno primum locum tenentis incrementum per interruptionem Catholicae juventutis studii limitari et non obscure impediri. E diametro vero Augustanae et Helveticae Confessionis etiam exterae nationis Professores indiscriminatim magis ac magis intra Regnum libere augmentari, imo quod exulcerare potest animos, ejusdem confessionis ipsis subditis liberum religionis exercitium citra omnem limitationem, adeoque in evidentem Catholicorum Dominorum suorum conditionis eorundem antepositionem respectu universarum circumstantiarum, late patere sole meridiano clarius cernimus. Unde innegabilis feret consequentia, ex defectu talismodi custodum et Magistrorum (absit his adulatio aut illis quibusvis ordinibus diversis, alioquin institutionibus innodatis et obstrictis, vel in minimis detractio) multa animarum millia non leve naufragium passura, et juventutis expectatione, quia venerabilis Clerus ac aliusmodi Religiosi in dies ad majorem Dei gloriam augmentari, statusque et ordines velut novellae olivarum pro patriae ornamento ac stabilimento adolescere ac firmari consueverint, in radice praecisum iri.

Pro antevertendis proinde his et similibus praejudiciis, prospiciendisque causae Dei et Juribus Sanctae Matris Ecclesiae congruis remediis, neve populus Catholicus fructu et solatio spirituali frustretur juventusque solide dictis Professoribus destituta desidiose torpescat et ad profana et inhonesta quae avocetur aut subducatur, Serenitati Vestrae tanquam Patri Patriae, et cui si non majori, saltem non minori religionem quam regionem esse credimus curae, humillime supplicamus eandemque Serenitatem Vestram obtestamur, dignetur tum ex praemissis validis, tum vero aliis recentibus Seren. V. perspicue notis rationibus praememoratos Societatis Religiosos, nil obstante confoederatione, veluti Religiosis minus competente in hoc Mariano Apostolico Regno, benigne ad mentem antiquarum patriae legum manu tenere et conservare. Sin minus (quod minime speramus) extunc cum modestia quidem et reverentia debitis, ne quoquomodo per hancce Catholicae Religioni consonam demissam instantiam initae Statuum Regni in conventu Szetseniensi

confoederationi illibate cedere; quin quoad Politica permanente, contravenire subsumamus. Nosmet cum solemni protestatione obsequentissime declaramus, praeinsinuatae causae Dei, nec non vetustiori positivae legi, praejudiciosae eorundem patriae ad minus indigenarum Societatis Jesu Religiosorum proscriptioni ac in exilium missioni, bonorumque suorum a potiori fundationalium, adeoque pias fundatorum intentiones suo effectu quoquo modo frustrari haud queuntium, occupationi neutiquam consentire posse aut velle. Hoc ipso facto summorum orthodoxae capitum, nempe Pontificum graves excommunicationes, censuras in Bullis et Privilegiis iisdem Patribus elargitis uberius expressatas sancte evitare contendentes. Quemadmodum etiam coram omnipotente Deo, sanctis spectatoribus, nec non toto orbe Christiano, submisse cum omni tamen contradictionis solemnitate, palam, publice et manifeste superinde protestamur. In reliquo perseverantes

Serenitatis Vestrae

humillimi et fideles servi, Comitatuum Poson., Nitriens., Trineken., Liptoviensis status et ordines Catholici.

§ VIII. Responsum Principis Francisci Rákotzi Ducis Hungarorum ad protestatoriam et contradictoriam supplicationem ratione relegationis Jesuitarum.

Supplicationem vestram, qua Patrum Societatis Jesu e hoc Apostolico Mariano Regno exclusionem praepedire contenditis, benigne accepimus, et vestrum, qui pro religionis orthodoxae et scientiarum filiorumque vestrorum emolumento Christianus paternusque est fervor, inde eminet omnimode approbamus. Quandoquidem autem zelus iste in intentione quidem vestra verus, in semet ipso autem spurius dicendus est, cum genuinus pro Ecclesia et scientiis conservandis ardor ipsissimus est, qui contrarium illi quod petitis exigit, et qui praefatae Societatis a patria vestra extirpationem urgere videtur, ab iis qui abstersis, quibus hi Patres in Scholis suis, de suae societatis validitate, teneras juvenum mentes imbuunt, nebulis, penetrantiore oculo, Dei et patriae bonum perspicere norunt et debent, atque ita haec (ex horum Patrum si non cerebro saltem instinctu haud dubie excubata) ex parte vestra non ex alio, quam altioris indaginis defectu, orta videtur. Tum e re duximus praesentibus ea, qua licuerit, brevitate vobis non tam repraesentare, quam uberiori ruminationi vestrae intimius enucleandum relinquere. Quemadmodum ea, ex quibus vos horum Patrum inter vos conservationem praetenditis, principia, ea ipsissima sunt, quae ad eorum exclusionem et nos et ante nos jam alias dudum Respublicas, Regna ac Status, eosque tales compulerunt, qui a Catholicae Religionis et scientiarum proliumque amore tam parum ac vos alieni extitere et existunt:

primo Ecclesiae Catholicae imminens ex hujus Apostolicae Societatis relegatione detrimentum, secundo scientiarum scholarumque exitium, tertio filiorum vestrorum in illo ordine degentium inculpatum exitium apprehenditis. Si autem,

Quoad primum, supra instillata ab illis ipsis adolescentiae Vestrae in sui favorem dictamina, mentes elevare et altius, ut viros omni praeoccupatione majores decet, reflectere velitis, reperietis Ecclesiam vestram hisce hominibus caruisse, tunc quando fuit optima; eamque primum tot clericorum industria, tum subsecutis aliorum Religiosorum ordinum institutis fultam, tot seculis ante hac ubivis locorum claruisse, eamque adhuc in pluribus absque affectabundae hujus communitatis adminiculo locis hodienum clarere, ut haec sancta Ecclesia nostra, adversus quam nec portae inferni praevalebunt, in suo et apud nos vigore perseveratura sit, etiamsi uni particulari et aliunde irrequieto ordini portas patriae nostrae occlusas tenemus. Praeterquam quod aliorum Religiosorum resuscitabunda capacitas et privatae ambitionis et insatiabilitatis expers ardor, expertaque tot seculis modestia, ac aedificabunda atque alios quoscunque demum defectus supplens humilitas majorem aestimationem mereri videatur, quam lucrabunda hypocrisis et arrogantissima omnesque quascunque virtutes obliterans superbia illiusmodi hominum, qui, dum religionem Politicae famulari jubentes, administrationem rerum sacrarum plurimum in exteriori apparatu ponunt, nescitur, an magis suam vanitatem an cultum Numinis quaerant. Et qui sacri Evangelii et Ecclesiae propagationem nobis pro esca, sibi fortunas nostras pro scopo ponunt atque ita sacrae paginae sanctorumque Patrum textus suae sive ambitioni sive avaritiae faventes, plenis buccis obtrudere, contravenientes vero quantumcunque claros ac conspicuos vel supprimere vel artificiosa interpretatione pro libidine sua intorquere gnari, majoris Dei gloriae licet fortassis olim, nunc vero propriae avidiores, caelestia ubivis in ore, temporalia in animo, religionem pro titulo, pro fine utilitatem habent. Qui contra Acatholicos (quibus, proh dolor, patria nostra nimium infecta est) indurato zelo, ne dicam passione, abrepti, et sui apud sedem Apostolicam meriti, aut ordinis proprii potius, quam verbi Divini amplificandi desiderio ducti, animos Haereticorum bruto impetu contra Ecclesiam nostram irritant magis quam conciliant, lacessunt potius quam convincunt, et cum plebejos quospiam subinde forte conversos ad publicam Fidei professionem in suae assiduitatis jactantiam, coram vobis quasi in triumphum producunt; interim integra Regna Acatholicorum populos in majori aversione tenent, qui utpote magis dissiti gliscente vicinarum blanditiarum et metamorphositae sanctitatis fascini, uti vos non obcoecati, imposturas horum hominum, licet e longinquo, tamen clarius perspiciunt, eosque exinde

(proh dolor) cum iis etiam Ecclesiam nostram in firmiori odio habent. Atque ita turbidi hi ovilis custodes impertinentia sua oves deperditas repellunt potius quam compellunt et Ecclesiam nostram, quam cum violentia conantur extendere, dilacerant et in tot frusta, quot alienatos per eorum insolentiam animos discerpunt.

Neque comprehendimus, cur tanta aliorum et antiquiorum Religiosorum sufficientia unius ordinis non ita pridem protrusi recessum supplere non posse vobis videatur, aut quidnam in horum Patrum instituto Ecclesiae tam necessarium, aut vestra tanta protestatione dignum, aut denique singulare comperiatis, nisi forte quod in omnibus singularitatem affectent, et inde hos solos summi Pontificis non tam in spiritualibus dignitati, quam supra seculares auctoritati, in redundaturam scil. in eos praepotentiae reprehensionem singulari voto et ambitione obstrictos, aut quod in hujus recognitionem hos solos omnino aliorum ordinum praerogativis privilegiisque se participes, oneribus vero et incommodis exemptos facere scivisse videatis? Aut altiora vobis sapiat ille censurae insuperioritatis impatiens prae reliquo clero horum hominum fastus, qui (uti in pluribus, ita et in hoc Italismum affectando) utpote Pontifici immediate subjecti, Episcopis loci e contra subesse gloriabunde dedignantur? Aut distinctum quid vobis redoleat illa eorum superba praecautio, qua ne quid aliis Monachis sive commune, sive (dum scil. aliis antiquioribus institutis praecedentiae praerogativam cedere tenerentur) quid inferius habere videantur, processionibus quibusvis publicis in ordine ut reliqui adsistere ad minorem Dei gloriam intermittunt? Aut cauti ad ea, qua ad occupandam integritatis famam prae aliis Religiosis vane gloriantur, castimonia sua, materialitate statui politico de privato conscientiae foro, parum sollicito, singularius emolumentum, quam reliqua eorum adulteratae Politiae intemperies praejudicium adferre videatur? Aut forte intaminatam corporis sui sanitatem vobis appromittat illa singularis eorum solertia, qua inferiora membra altioribus consiliis exclusa, tribus votis et inferioribus muniis obeundis contenta tenere, talesque suae sive famae exteriori forte praejudicaturos, sive procedens interioribus penetrantius insidiabundos e Societate quo lubet dimittere norunt? Quatuor votorum autem et intimiorum technarum jam participes non alio transgredi patiuntur, quam ad solum Carthusianorum ordinem, utpote strictissimo ac perpetuo (quod in hoc Instituto observatur) silentio a secretorum revelatione inibi tutissime coercendos? Aut forte conjuges vestras externus in eorum Ecclesiis ad mundi muliebris imitationem exquisitus nitor alliciat, aut filios vestros histrionica illa theatralium puerilitas ultra modum delectet? Aut denique vos ipsos fallat affectata illa oris motuumque corporis ad regularitatem modestia? seu gressuum vultuumque gravitas, quasi ad imminentem echthasim ordinata, seu in confessionalibus pulpitisque ad accurationis

suae ostentationem studiosa severitas, qua animis in requirenda scil. ab ipsis solatia, loco amoris filialis, servilem potius erga Deum timorem brutis incutere, et ex suavi Christi jugo, scrupulosam conscientiis nostris tyrannidem in suae exactitudinis jactantiam imponere satagunt? Ipsi interim cum de re eorum agitur ad omnem indulgentiam interpretabundi. Sed tandem sanctimoniae, qua omnes suas actiones artificiose illinere docti sunt, fucus vobis non nisi superficiem intuentibus persuadeat, cum ipsis solis Ecclesiae nostrae integritatem ortam esse, cum ipsis perituram. Neque inficias imus hanc Societatem primo per Missionarios suos Regno huic tantillum in rebus fidei incrementi, sed e contra, a quo pedem eumque largum inibi fixerunt, in Politicis eidem plurimum detrimenti attulisse. Unde nos ad hoc posterius universaliter et quod hunc ordinem concernit particulariter reformandum, officii nostri esse ducentes, ejus intentionis et ut spes est vobiscum erimus, ut praememoratos Societatis patres adulta jam apud nos religione pro sua praestitae Majoribus nostris operae remuneratione, tanto ex tantis per tot annos bonis captato usu abunde contentos esse jubeamus. Eosque ad praecavendum ulterius patriae judicium ad alienas et adhuc ethnicas nationes si volunt remittimus, ubi eorum fervor Evangelicus magis necessarius, et per barbaram paganorum saevitiam intra sphaeram activitatis suae Apostolicae sese continere coacti, consequenter loco invidiae veneratione se dignos reddere possint melius, quam in hujusmodi regionibus, ubi jam maturata pietate et fidelium in excessum urgente conniventia ii eo magis securi, quo minus suspecti, sub sacratissimis praetextibus nonnisi ad proprium emolumentum abuti in more et artificio habent.

Quoad secundum. Deplorandum profecto est, dum scientiis per hanc societatem imbui credimus, nos in profundis ignorantiae tenebris sepultos adhuc hoc impedire, quod nihil sciamus. Vos ipsos expertes testes apello: quatenus in disciplinis, quas vocant, humanioribus florentissimi sexennii nimirum jactura, nihil aliud (praetereundo morum ex omni quisquiliarum inibi colluvie corruptelam) adolescentia lucretur, quam solam unius linguae Latinae scil. notitiam, quae insuper vel ridiculis barbarismis corrupta humi repit, vel cum sublimitatem affectat, longe quaesitis dictionum implicitisque periodorum labyrinthis oracula imitando aenigmata vomitat, et mutuatarum phrasium altissima obscuritate aucupans admirationem, plerumque multum loquitur, nihil dicit. Praeterquam enim quod ingentia in classibus inferioribus volumina in torturam puerilis memoriae, quam culturam, uno halitu infructuoso recitare. Pro elegantia proinde in suis ita doctis* declamationibus non

* dictis (ed.)

tam juvenes (qui nesciant quid blaterent) quam se ipsos exercere, suas compositiones coram suis producere et sese hujusmodi scenologiis invicem delectare aut honorare in more gerant. Unde vero adolescentes cum tanto temporis et omnis soliditatis sacrificio, non aliam nanciscuntur habilitatem, quam qua per hos in theatrum protractos, isti comoediae, poeseos simiastri coram imbecillioris judicii populo se pretiosos, aut parentes ob varios complacentiae participationem sibi obstrictos reddere, aut Magnatum scenica adulatione animos sibi devincire adnituntur.

Tunc praeterea in Rhetoricis horum oratorum ex hispidis locorum communium centonibus consarcita, aut suis acuminiolis, anagrammatulis, verborum lusionibus nugabunda dicacitas, puerilitate sua ad aures juvenum pertinniendas magis, quam virorum solida requirentium permovendos animos aptata est, cujusmodi autem lusiunculis adolescentium industriae ita illuditur, ut postquam hi in superanda ejusmodi illiterata literatura diu desudarunt, ultimatim vel ad literas vulgares aut epistolam exarandam imperiti (quod pudor) obrigescant. Accedit, quod veterum eloquentiae aut Poeseos principium * (quos vetustas et primogenitura horum sciolorum invidiae adhuc eximit) scripta ii tantum per frusta et nonnisi pro forma tanti nominis juventuti objiciunt. Erga recentiores vero praesertim Societatis (quasi vero suo ortu haec omnes scientiarum viros in se solam abstraxerit) caeteros scriptores cavit horum hominum zelotypia, qua omnes in Regno literatorio et universos alios praeterquam in fimeto suo enatos auctores a notitia nostra suppressos tenent. Dum ipsi interim doctrinam ab iisdem alienigenis decoctam alio (ut ipsi loquuntur) jusculo superfuso suorumque sub nominibus recoctam, quasi suam nobis apponunt, et quae ex ipso fonte clarius hauriremus, ii nobis scholasteriae suae affusis stillicidiis in temporis magis quam confusionis dispendium tradunt.

Theologiae scholasticae et Philosophiae apud eos summae scientiarum nomina, quae tamen nec in primitivae et miraculis carentis Ecclesiae seculis cognita, nec nostris temporibus, seu prudentiae civili, seu simplicitati Evangelicae idonea, cujuscunque autem tandem valoris, profecto ad statum Ecclesiasticum unice occupanda directa est eaque talia, quibus statui Politico destinati filii vestri (quasi necessario tantum ad ea audienda admissi) tot annis absque ullo reali fructu, nec nisi in futuram oblivionem, incumbunt. Absolutisque hisce curriculis reportant praeterquam (quod pejus nihilo) solidissimam de semet ipsis opinionem, qua se omnes scientiarum numeros jam absolvisse arbitrantur. Atque ita in tam opulente pro universae patriae eruditione fundatis palestris, hi nonnisi disciplinas sibi solis convenientes tradunt, nec eruditos nisi suos efficiunt. Si tamen ii eruditi dici possunt, qui chartis horisque

* principum (ed.)

infinitis scriptitando consumptis, tandem sophisticanae veritatisque obfuscatis contradictionibus obscurandae exercitio in tumiditate scientiae ponunt, scire de omnibus, etiam rebus evidentissimis, et qui abstractionibus lunaticis ab omni rerum cognitione abstracti, peregrinis nec nisi ad haereses progerminandas aptis distinctionum terminis in tenebris titubantes, multa intelligendo, tandem discunt, quod nihil intelligant. Atque ita dum sobrietatem sapere ambiunt, sapientissima insipientia ad ebrietatem usque temulenti ad tam perniciosas et Ecclesiae et Statui scientias jam impegerint * et tam perversa jam dogmata in cathedris suis evomitarunt, quae, ut foetida doctrinae excrementa, tam ab aulis Principum, quam ab ipsa sede Apostolica, per excommunicationes expurgare jam saepius necesse fuit. Neque hic modo nostrum est fusius pro disputatione discutere illas eorum de Probabilitatibus, de Reservatione mentali, de Aequivocatione et pejerandi modalitatibus, de Tyrannicidarum licentia, de Intentionum omnia rectificantium formalitatibus, et sexcentis execrandis eorum Theseitatibus. Quae si inveherentur, omne peccandi libitum in licitum, juramenta in commenta, contractus in contraactus, constitutiones in cavillationes abire faciendo, fidem universam mortalium pervertere totumque humanum commercium evertere, natura apta forent, et quas, quanquam reprobatas, hi omnem censuram censurantes potius quam patientes, Theo-Philo-sophastri inter suos magni, tamen hodie inter suos et sua quasi ipsi Deo imposituri liberrime exercent, et hinc inde in doctrinis suis insinuare et cum scandalosissimo religionis, imo humanitatis discrimine, sapientiae quasi quintam essentiam saltem agitare non intermittunt.

E contra tepet inter nos Jurisprudentiae studium, qua Jus nostrum tripartitum (quod ab exteris rudis indigestaque moles per calumniam dicitur) ad pridem optatam symmetriam ordinari suspiret. Jacet Medicina pridem expiratura, nisi ab extraneis Pharmacopaeis quandoque emendicato refocillamine sustentaretur. Et si hi Patres extra sphaeram suam ejusmodi facultates esse ponunt, certe extra sphaeram boni publici non fore, si tanti pro artibus patriae necessariis cultivandis destinati reditus ab iis solis abripi soliti, hujusmodi tam necessariis scientiis saltem pro parte relinquerentur. Alia vero politioris literaturae, ut Geographiae, diversae Mathematum, Arithmeticae, Architecturae, praesertim militaris, nobis necessariae, Geometriae, Historiae, Chronologiae, Moralium, Politices et complura alia, ut corporalia Nobilitatis exercitia praetereamus in nostris Gymnasiis peregrina studiorum vocabula, tamen illa ipsissima sunt, quibus florentissima Regna, politissimae Respublicae et clarissimae alibi

* impegerunt (ed.)

Academiae pro patriae emolumento juventutis ingenia utilius quam nihilitatibus exercere solent. Quarum autem scientiarum vel ipsa nomina hi artium Monopolae sive ex propria inscitia pro nihilo reputant, sive ex invidia et praeeminendi titillamine, longe a nostris confiniis bannita tenent. Praeterquam quod studiosa versutia Historiae praesertim et Juris cujuscunque Publici, ad quae tanquam ad lapidem Lydium usurpationes Pontificatui et Clericatui objici solitae examinari possent, notitiam hanc usurpantissimi et Pontifici adstrictissimi clerici Regulares a nostra indagatione omnimode alienatam velint, et quaecunque ab hisce studiis, utpote inter sola Acatholicorum Gymnasia exulantibus, contra eorum rationem status producuntur; ea illi proinde licet aequissima, tamen ut mera haereticorum dictamina vestrae imperitiae abominabilia reddere in suam securitatem norint. Quapropter ut et patriae nostrae indocta barbarie hallucinanti, atque ex hac nonnisi solo privatae applicationis adminiculo, subinde eluctandi juventuti cultioribus Musis subveniatur, a rei exigentia non alienum esse ducetis, si pro hisce in theoriae somniis absorptis Doctoribus alios ad artes politioris literaturae tradendas aptiores (et tamen principiorum Fidei instillandorum non minus gnaros), si pro scientiis futilibus solidas, pro monasticis statui Politico magis congruas, pro tempori-perdis proficuas et quidem minori tam patriae sumptu quam morum corruptione, substituere cogitamus.

Sin autem illud Theo- et Philo-sophiae studium longa consuetudine tantam vobis necessitatem imposuit, numquid haec ipsa Societas easdem disciplinas ab aliorum ut S. S. Dominici et Francisci ordinum Doctoribus prius emendicatas tenet, et ex ipsis hisce scaturiginibus, eorum studiis ejusdem sortis Magistros reperiemus: a qualibus eaedem artes tersissime alibi (tacendo Acatholicorum per totam Europam politissimis disciplinis florentissimas universitates) Salisburgi, Coloniae, Lovanii, passim per Poloniam, in Statu Veneto ipsaque Sorbona Parisiensi et compluribus aliis Galliae Hispaniaeque locis, hodienum tradantur* et aliis temporibus ubivis traditae fuerant, et a cujusmodi Instructoribus primos fundatores eas didicisse, haec ipsa Societas fateri cogatur. Nisi eos cum instituti exordio simul scientias infusas habuisse inter alia pia mendacia vobis persuadere desideret. Unde saltem convenientissimum videbitur utriusque generis scientias, sed sub aliis diversarum artium et ordinum, iisque levius utiliusve sustentandis Professoribus instituere, quibus et utilitatem jam disciplinarum cursui prosequendo, et noviter inductis juventuti vestrae politius erudiendae prospiciatur. Neque erga vestros, qui eos gratis instruxerint, informatores ingratitudinis notam exhinc incurrere vobis videatur. Cum iidem per fundatos amplissimos continuosque proventus,

* traduntur (ed.)

largiori longe, quam illorum industria exegerit, mercede plusquam abundanter soluti, consequenter nihil gratis de laboribus suis in vos contulerint; sed quicquid gratis per hoc accepistis, id unice primis Academiae fundatoribus, iisque exactissimis solutoribus in acceptum ferre debeatis.

Quod ad Tertium. Paternum* pro filiis vestris in eandem Societatem (sive jam ob bona fortunae sive animi) adoptatis sollicitudinem concernit. Signum est vos latere, quod in hoc ferventius quam in ullo alio ordine ingredientibus inculcari soleat illud Sancti Patris, ut calcato pergere Patre et Matre, et cum spiritu ut vocant nationalitatis omnem erga patriam et genitores affectum exuere pro praecepto et quasi gradu perfectionis habere discant, quod prudentius nimirum ad subsidia, quae filiis inibi vestris forsan addidistis, vobis ad indigentiam forte relapsuris requirenda speciose via in perpetuum recludatur. Nunc vero dum ipsi necessitudine pressi, ad nomen patriae et ad vos prius exutos respiciunt, inconveniens videtur eos ambabus portare velle manibus, qui in iis, quae favorabilia ipsis vero odiosa sunt, vos non nisi pedibus calcant, praeterquam quod pudor sit, de privatis filiorum civiliter insuper mortuorum commodis magis, quam pro publico patriae emolumento angi, pro quo nos ipsi vitam et sanguinem sacrificamus.

Ex hisce ad vestras de non releganda hac Societate oppositiones obiter repositis, abunde tamen eruendum erit, eorum hominum exclusionem patriae nostrae non tantum praejudicaturam, verum etiam et proficuam et necessariam fore. Cui accedit

Primo. Illa hujus ordinis insatiabilis sub speciosissimis quibusque titulis bonorum temporalium rapsodia, quae tot tantisque majorum vestrorum sanguine contra paganos comparatis territoriis, hi tranquilli a longe spectatores locupletati, reditus Regios diminuunt subditorumque gravamina augent. Dum ipsi ad corradenda undevis bona manus quidem extendunt, humeros vero ab oneribus subtrahunt tantaque proventuum superfluitate cum omnis tributi plerumque exemptione, isti negotiose otiosi saginantur. Unde Portionum pendendarum, quae ex eo non minores a vobis exiguntur, pondus eo confluentius in vos solos et filios vestros redundat. Praeterquam quod nullis circumscribi terminis ea istius Societatis in possessionibus accumulandis rabies, quae viduas, pupillos et vos ipsos sub agnina pelle circuit, ut leo quaerens quem devoret, omnibus omnia facti, ut omnium bona suae communitati lucrifaciant, inhiabundi praesertim haereditatum expilatores. Quod vel nos ipsos (ne ad alia quotidiana et infinita exempla digrediamur) expertos meminimus,

---

* Paternam (ed.)

[1]) Fuit haec Sophia Bátori uxor Georgii Rákotzi Junioris Princ. Transylvaniae, cujus filius fuit Franciscus Rákotzi, pater ex Helena Zirinyi Francisci secundi.

dum Pater Kis S. J. aviae nostrae piae memoriae[1]) expirantis animam ad Patres, cistam vero ditissime sartam ad suos transmisit, cui inscriptum erat: Conciones Patris Kis, tanta videlicet pollentes eloquentiae vi, ut omnia earum veluti Herculis Gallici verba ad attrahendos auditores in catenas aureas, imo in gemmas et lapides pretiosos miraculose transformata reperit Vitricus noster[1]), qui iis in itinere interceptis, cistaque reclusa, et stellionatum hujus scrupulosi confessarii et ingentia pro bello prosequendo media inibi deprehendit. Et semel ab iis obtenta, nunquam ad Statum Politicum reditura, ab iis tanquam ab inferno. ex quo nulla est redemptio, absorbentur, ne insuper pietas (ne dicam superstitio) fidelium, obstetricante horum Patrum hypocrisi, de die in diem plures in eos largitionem parit, ut tanta territoria, nec relicto quidem postliminii jure, irrecuperabilius quam ab ipso hoste Statui eripiatur*, et accrescentibus abhinc oneribus, viribus autem decrescentibus vestris, hi irrecuperabiles sanguisugae exinanitionem Reipublicae insensibiliter irrepturam evidentissime minitentur, tum vobis ipsis dijudicandum relinquimus, an omnes quascunque demum sententiae nostrae contrarias rationes, Leges, Merita et Privilegia eorum particularia, in bilancem apponere valeatis, levioris omnia futura sunt ponderis, quam bonum Reipublicae, quod nobis omnibus ante omnia observandum praecepit, ut: Salus populi suprema lex esto.

Secundo. Et quidem adhuc perniciosior videtur illa eorundem Patrum ratio Status, qua Statum in Statu gerentes, non Regno, cui insunt, sed sibi ex Regno student, nec Principibus nisi quantum e re eorum est, se submittere gnari, hos potius per instillationes soporiferas omni generoso strepitu excitos ad optatam illis regibilitatem cicurare, cicuratos tenero conscientiae fraeno in quam volunt partem flectere, prodere, imo adusque Assasinia (prouti in Galliis factum) persequi nefandissimaque perduellionis attentata, execrandis Theologiae suae dictaminibus insuper sanctificare docti sunt, statum in eum redigentes, ut hic juventute ex eorum supernatandi ambitu, per eorundem scholas a politioribus disciplinis abstracta, idoneorum hinc Ministrorum laborans penuria convulsiones proinde, divulsionesque externas internasque aegerrime patiatur, et ipsae regnantium familiae (prout in vicina Domo Austriaca a Ferdinandorum, qui inibi irrepserunt, temporibus videre est) in declinationem redigantur, dum has ipsis suis lethargicis, sive imperitis sive perfidis, consiliis avertere, Acatholicorum e contra Principum, utpote Ministris principiisque sanioribus subnixorum, praepollentem exinde et

[1]) Comes Emericus Tököli post fata Francisci Rákotzi maritus Helenae Zrinyi.

* eripiantur (ed.)

aliquando Ecclesiae et Statui praejudicaturam potentiam efflorescere in nullam reflexionem ducunt. Quippe nihil quam suam praevalentiam considerantes, Magistratuum legibus se exinde non tantum eximere, sed et Magistratibus leges dictare ausi, creaturas suas in publica munera et totidem suae factionis fulcra intrudere; pro stabilimento diffidentiis Rempublicam irretire, et in turbido piscari pro sublimitate, totum denique Statum Politicum pro ludibrio, dum eum vel externis adhaerentiis in formidine vel devotissimo artificio in directione habent.

Hinc in specie ex Archivo nostro, quod sacratissimum haberi debebat, per illam Cardinali suo Kolonits ita dictam commissionem Neoacquisticam, omnia instrumenta originalia sacrilega invasione intra suos parietes ad S.Annam Viennae abripuisse, ac insuper Romae, ad eripiendum nobis omne ulterioris informationis asylum, libros Fundationum Hungaricarum ex Bibliotheca Vaticana abstraxisse atque ita cum iis beneficia, jura et statuta regni in suo sequestramine nunc retinere non verentur. In genere autem parvis magnisve, privatis publicisque negotiis non vocatos sese ingerere, Domus familiasque singulorum, sive confessionalium, sive scholarium sive conversationum privatarum adminiculo, aut quibuscunque demum cuniculis perspectat, totumque Reipublicae statum sollicitissime exploratum tenere, eumque saepe hostibus correspondentiis vastissimis secretissimisque, et semper sub majori gloriae praetextu proditum, exigentiae suae aut factioni sacrificare, internis externisque bellorum flammis regna involvere, et dum ad eas sedandas proinde omnes incolae sanguinem effundere coguntur, ipsi innocentes, illaesos et indifferentes spectatores agere sueti sunt. Nemini interius nisi sibi fideles, exterius omnibus dediti, ambidextra duplicitate dexterrimi, pro opportunitate utriquistae, et Deum solum, in China et Confutium et Caesarem in Tyroli, ac Imperio, et GalloBatavos adorant. Et ut extraneis exemplis, quae volumina requirerent, praetermissis ad nostra, quae propiora sunt, reflectamus. Nostras, per suum e Domo professa Emissarium Capitaneum Longeval, a nobis (quamquam primum renitentibus) obtentas literas ad Regem Galliae transmittunt et easdem quoque Viennae Imperatori, responsumque manifestant et praefatum Longevallium suis commissionibus instructum expediunt Versaliam, et eum Viennae ad prodenda nostra consilia instruunt et nos ipsos inde in carcerem detrudi, et post modum iidem carcere elabi faciunt, et Neostadii Capitaneo Leehman, nostrae evasionis instrumento, per suum (qui simul ne moriturus alteri cuidam sacerdoti forte complices detegat, praepediet) Patrem Volf salvatorem nostrum ad locum usque supplicii adhaerendo, de ejus praestita contra fidem Caesari debitam nobis assistentia, poenitentiam praedicat. Et simul in Polonia

tam nobis quam Domino Comiti Bertsenyi profugis per Kluzarium ab Ungvar coenibiis pecuniisque assistunt, et nobis proinde belligerantibus Tyrnaviae spectacula, Claudiopoli arcus Triumphales, alibi alia votorum suorum testimonia praeparant. Et simul in Aula Viennensi suam erga Caesarem jactant fidelitatem, ob quam solam ut Caesareani martyres nunc a nobis exilium patiantur. Atque ita hi pseudopolitici Syncretistae, dum una fidelia et Regem Galliae Nosque et Imperatorem erga omnes obsequiosi devinciunt, omnes produnt sibique solis fidi fisique, si hoc bello optata, ut speramus, sortiamur, praestiti nobis obsequii a nobis (utpote tum potentioribus) Galliaeque Rege amplificas recognitiones aucupaturos; si succumberemus, ex nostris a Fisco Caesareo tunc deglutiendis Dominiis in exhibitae Domui Austriacae fidelitatis praemium portionem non minimam asportaturos.

Sicque dum intollerabili impudentia Principibus etiam propriis pro libidine sua illudunt, adhuc se de hisce omnibus per allegatam instituti sui impartiabilitatem abunde legitimatos existimant, quasi vero illi tantae auctoritatis, ut leges particulares in Principis et patriae praejudicium invehere iis permissum sit, aut penes eos foret privati instituti compage Jus Divinum, Naturae et Gentium evertere, quod Principi et Patriae fidelitatem indispensabiliter observandam cuivis imposuit aut saltem prohibet, hostibus perfido adulandi pruritu obviam ire. Neque obstat illa particularium quorundam inter eos sincera et reliquorum sociorum exorbitantem secularismum vel non cognoscens vel detestabunda intentio, qua tales primi sancti Fundatoris sui magis, quam compilatarum cursu temporis constitutionum menti conformes, omni cordialitate et modestia suae vocationi student, siquidem imprimis horum tam exiguus nec nisi inferiorum inter eos numerus est. Et secundo reliqui, qui totius machinae gubernacula tenent, ejusmodi bonis viris non aliter quam instrumentis passivis utuntur, ad Societatis suae in his solis veluti reliquiis adhuc reluctantem sanctimoniam populo ostentandam, ut dum in hanc partem oculos nostros abripiunt, nos eo minus reliquorum quatuor votorum Rabbinorum machinationes Politicas fidem aut oculos reflectimus.

Et sic non tantum nos seculares, quos aliunde pro idiotis, sed una et suos, quos dimissioni adhuc subjectos habent, versutissima captivatione fallunt, dum scil. hos ad nostras mentes sua qualicunque religiositate captivandas instrumentaliter adhibent, hosce ipsos vero ad suum proprium intellectum captivandum coeca obedientia ita imbuunt, ut sicut equi et muli ab omni altiori reflexione praescindere, quia in hoc apicem perfectionis consistere persuasi caeca obsequiositate in mandata qualiacunque Superiorum ruant. Quorum tamen finis ab immediata horum mancipiorum intentione plerumque longe diversus, nec tamen an malus

an bonus? ab hisce captivatis intellectibus examinandus est, dum ultimatus interim totius Societatis finis nemini juxta eorum constitutiones praeterquam soli Praeposito Generali cognitus esse debet. Qualisnam vero nunc ille sit, et an ad sibi substernendum aut haereditarie usurpandum Papatum, an ad Principes seculares inter se committendi arbitrium, an ad Ecclesiae et Statuum subjicienda sibi fata collimet, id perscrutari nostri neque otii neque negotii dijudicamus.

Accedit his omnibus, quod Dei et Ecclesiae cum sua Societate causam communem faciendo, teneras conscientias impertinentissima impostura in reverentia constrictas tenere pro lege fundamentali habeant: unde perspicatiores et Reipublicae quam suae communitatis amantiores contra vel mussitare absterrent talesque quasi Dei et religionis oblitos palam odiosos efficere, pro calumniatoribus et archihaereticis proclamare, imo concitata omni factionum suarum cohaerentia, ex irreconciliabili vindictae praesertim personalis rancore, quoquomodo clandestinis foveis praeceps agere non desistunt. E contra fautores suos praesertim Tertiarios ultra sidera destinatos, uti adversarios a Deo et Fide infra barathrum reprobatos esse persuadentes ipsique praesertim Juniores persuasi, quasi ipsis et solis judicia Dei ex abysso sua velut ex eorundem sacro et periclo protracta juxta conniventiam suam dispandere, praedestinationes Divinas per acceptum (ut barbare loquamur) Chartam Biancham pro sua sententia et emolumento distribuere, et pro sua utilitate cum gratiis benedictionibusque coelestibus tractare commercia concessum sit.

Hinc tanta ferocia omnem neutralitatem aspernantes in quemcunque offendunt, eum vel cum ipsis colligere vel dispergere praetendunt, et unumquemque vestrum non admissa differentia suum credunt vel amicum vel inimicum. Si amicum, et ille prospera gaudet fortuna, tum hujus felicitatem suis consiliis aut precibus et divinae ipsum propter ipsos benedictioni adscribunt. Si sinistra fortuna prematur, Dei in illum amoris allegant indicium, qui filios quos amat castigat et qui illos hic urit et secat, quibus ut suae Societatis fautoribus in aeternum parcere destinavit. Sin vero inimicum quem reputent isque fruatur prosperitate, tum intorto dilemmate hunc a Deo in hac vita coelum obtinere ajunt; quem is ob perversam scil. in eorum nomina mentem in altera eo acerbius puniendum constituit. Sin adversitate laboret, manifesta maledictionis ostentant specimina, quibus ejusdem malignum contra eorum Societatem animum ipsa sidera ulciscantur. Sic demum flexibili in omnem partem navigio portum obtenturi acceptandos* pro suo cursu quoscunque etiam contrariantes ventos, sibi vela texere ex filis Parcarum nostrarum sese posse despotice arbitrantur, et secularibus aliis nimium credulis,

* acceptando (ed.)

aliis ob sua negotia ad horum hominum artificia observanda non attentis, aliis sponte dissimulantibus, aliis rupta dissimulatione frustra obnitentibus, aliis per diversas ambages si non ad eorum partes saltem conniventiam pertractis, aliis denique ultro tanquam ad majorem Dei gloriam omni conatu concurrentibus, hi Patres in eam argutiam, quam impenetrabilem, et impotentiam, quam inexplicabilem putant, hodie se evectos vident, tunc tuta jam errando licentia tumidi omnes actiones suas juxta primam mentis operationem, plerumque non acceptata altera, conceptus impetu prosequuntur magis, quam ratione obstinatione tuentur; non prudentia et securitate in arrogantiam versa, quascunque saniorum oblocutiones, tanquam canum contra lunam latratus, altissimo supercilio explodunt et, dum plurimis exosi sunt, omnes rident.

Neque hic spes vana nobis forsitan blandiatur, quasi vero admonitionibus sive privatis sive publicis ad moderatiora consilia perducendi forent, cum tanta sit in hisce hominibus non modo praepotentiae suae fiducia, verum etiam amoris proprii et aestimationis praeoccupatio tamque solida de semet ipsis praesumptio, ut luxuriante pseudosapientia inflati ipsaque superbia tanquam Angelico vitio superbientes, super omnem corripibilitatem se positos quia infallibiles credant, iis censuras exercere non pati datum: et immensae audaciae esse, eorum acta vel examinare audere, quae coeca veneratione non nisi adorare nos docent, errores nostros coram illis exculpare nostri obsequii, eorum indagare temeritatis esse, de rectitudine nostrorum operum pronunciare eorum officium, nobis de ipsorum dubitare sacrilegium fore, utpote in quibus vitia si resident, per qualitates occultas eo ipso in virtutes evadunt, aut saltem evasisse credendum sit potius nobis, quam illos vitiosos.

Et haec est, quam non tantum fortunis prolibusque, sed et conscientiis animisque universis haec Societas tyrannidem injicit, ut Monarchiam universalem in quovis Monarcha tam odiosam, hosque absque invidia, imo cum concurrentia nostra, non tam affectare, quam exercere videamus atque in dubio sit, an Domus Austriacae an potius hujus Societatis eo intollerabilius, quo latius jugum majori a nobis excutiendum nisu, a nobis videri possit.

Nec itidem (quod si Patres pro universali defensionis scuto ubique mox opponere prompti sunt) vellemus a vobis credi, quasi vero scil. ad haec consilia ingrati, privata quadam passione magis quam boni publici ratione ducti simus, cum nullus particularis affectus aut passio fidem fixerit in illo animo, in quo erum* cum hoste collusionibus aliisque praejudiciis ex una et praestitis nobis servitiis ex altera parte in aequilibrio compertis, post longam primum inter justam vindictam et gratitudinem,

* eorum (ed.)

luctam, mutua parium virium collusione, tandem utraque ita humi prostrata jacet, ut illi, quae nobis in obsequium ab ipsis facta distributione contigit, portioni ultionem nostram Christiane sacrificantes, gratitudinis vicissim ullius nos reos eo minus arbitramur, quo magis proditionem amare, proditores vero odisse usitatum, in illos assistentia sua non nostrum, sed in suum proprium favorem nobis litasse compertum est.

Quandoquidem autem vestris petitionibus nihilominus quantum citra boni Publici et vestrum proprium praejudicium licet connivere, maxime in optatis habemus, tum intentioni supplicationis vestrae et ulteriori praefatae totius Societatis in nostra Patria commorationi assentiri, ab omni ut diximus privata animositate alieni, lubenter condescendemus, modo iidem Patres omnem lapidem offensionis (quod unice nobis curae est) removere serio appromittant. Et quidem

1mo Bonis immobilibus omnibus se abdicent, ex aerario publico persona tenus secundum clericorum suorum a singulis comitatibus definiendum; iis numerum deinceps alendi et annuatim exsolvendi, unde et suae, qua ante certam votorum emissionem publice domatim mendicare sueverunt, impudentissimae sycophantiae renuncient, quandoquidem ea (praeter opprobrium, quod suis proventibus injuriose afficiunt) tantum charitati illudunt, cum isti saccogeruli nonnisi risum excutiunt, quam ipsi in Collegia sua reduces continere non possunt,

2do Scholis, Academiis Gymnasiisque (ut totidem ex filiis vestris de constitutione vest. inquisitionum) excedant, utpote in quibus necessaria deinceps et aptiora Reipublicae studia nec cum tanta juventutis aut temporis aut impensarum jactura morumque perversitate introducenda erunt.

3io Censuram librorum typis mandandorum praetextata fidei morumque cura usurpatam deinceps sibi non arrogent, utpote ad alios praeterquam suae farinae scriptores dijudicandos incapaces, cum insuper peritissimae saepe pennae manum a tabula abstinere, quam despotico arbitrio ejusmodi hominum se subjicere malint, qui nobilissimos alieni ingenii (quam talia extra se dari non autument) partus secundum invidiosae passionis aut convenientiae privatae aut suae (ut corrupte loquamur) Pedanteriae regulam examinare regulati sunt.

4to Confessionibus (nisi forte in vicis et pagis) percipiendis abstineant, quibus non ad privatorum tantum, sed et Principum genios perscrutandos, eosque pro suo complicumque arbitrio in patriae saepe discrimen regendos, ne dicam prodendos, abutuntur. Praeterquam pro suis casuum, intentionum aut emolumentorum differentiis sacratissimum confessionis sigillum et custodiendi et una perstringendi, certas modalitates et paradoxas dispensationes norint a sua sorte (ut vocant) rationis conscientiae redditione emutuatas.

5to Suos (ut vocant) Patres conversatores aut potius exploratores domi contineant, nec domatim quasi Inspectores familiarum aut morum Reformatores vagari patiantur. Cum morum publicorum cura solius Magistratus munus sit, quod privatorum qualecunque hominum genus sibi non audet arrogare.

6to Omnibus recommendationibus supersedeant de creaturis suis ad officia publica promovendis, tales autem ab iis Praepositi tanquam periculosissimae factionis membra eo ipso pro inhabilibus reputentur.

7mo Sic Patrum conscriptorum senatus consulta intra secretos suos parietes statis temporibus agitari solita abjurent, quibus Aulas geniosque Principum et Magnatum ipsaque Tribunalia quasi ad tribunal citare juxta convenientiam suam trutinare, et consilia de statu Reip. suo statui accommodando cudere sueti sunt, cum ejusmodi cyclopaedia supereminens Dominium in praejudicium Majestatis sapiendo, religiositati insuper et modestiae subditorum nec non ipsis primis eorum Regulis insolentissime contrarientur.

8vo Ea omnia, quae alii Religiosi pro publico emolumento exercent, his solis intermittere non liceat, veluti ut nemini fidelium petenti cryptas in Ecclesiis suis pro sepultura occludere, aut pro solita singularum mercede Missas celebrare non detrectent &c., ne loca sacra a publico pro publico iis concessa in suos seu suorum fautorum solum usus publico derogare, aut tantum pro suis sociis seu benefactoribus sacerdotes facti esse videantur. Quod enim e. gr. submissionem erga Episcopos ordinarios aut psalmodiam in choro aut quaecunque hujus generis alia attinet, tum ea utpote statui publico indifferentia, nostra quoque parum intersunt.

9no Epistolas cujuscunque generis non aliis quam publicis Tabellariis, nec ullis stenographicis characteribus suffultas, easque non prius quam a Commissario per Magistratum cujuslibet urbis ad hoc denominando revisas, in aliena loca transmittant, ut omnis non necessariae cum exteris et saepe Regno praejudicaturae correspondentiae suspicio praevitetur.

10mo Denique (quod patriotae Acatholici ut plurimum urgent) voto suo quarto solemni renuncient, quo obedientiam summo Pontifici et in extirpationem haeresium jurant. Praeterquam enim (quoad primum hujus voti membrum) quod voluntas sanctissimi Patris cum voluntate Dei in omnibus una, nec itaque separato voto distinguenda, ac absque hoc tantae per semet ipsum auctoritatis sit, cui absque praerequisita particulari votificatione, unusquisque Religiosorum praestare obedientiam teneatur, adeoque hoc Quartum Votum (quibuscunque demum distinctiunculis anatomizandum) mere superfluum, nec nisi vel sedi Apostolicae adulandi, vel cum hujus potentiae se arctius colligandi, vel prae aliis Religiosis se distinguendi particularitatis studio inventum, ad invidiam

e contra et suspicionem excitandam tantum idoneum videtur, nunc tamen hoc examinare nostra non tantopere quam reflectere interest, quod nimirum contra omnem rationem status vergat in Regno tollerare et insuper alere indigenas extero cuidam Principi etiamsi sanctissimo particulari solemnique juramento obstrictos, et vi hujus eruptura quondam (quod tamen avertant Superi) inter utrosque discrepantia, adversas contra ipsam Remp. partes (nec deficientibus jam exemplis) amplexuros, illamque in ipso gremio discerpturos. Quoad alteram autem hujus voti partem, exstirpationem haeresium, attinet, tum tale votum, quod quieti et concordiae publicae, ubi ratio status diversas Religiones inturbatas tollerare pro lege statuit, e diametro oppositum est, cum tranquillitate itidem et statu Reipubl. nostrae, in qua amor patrioticus non mutuam extirpationem, sed fraternam, non obstante illa Religionum diversitate, non modo tollerantiam, sed unionem sancte constituit, incomparabile esse in comperto est.

Sin vero Equitum Melitensium, qui etiam, pactis a Christianitate cum Turca induciis, perpetuo tamen contra illum bello obstringuntur, exemplum forte fortassis allegarent, tum et ipsos illorum exemplo in separatam quandam insulam a continente avulsam quoque recedere et sedem ibi figere demandemus. Unde et ipsi contra haereticos suas pro zelo et voto, ac sine ulteriori, alteri cui instent statui, turbas adsciscendi periculo excursiones exercere libere queant.

Ex parte vero nostra irremissibilis et nulla temporis vetustate debilitanda Magistratuum vigilantia praefatam communitatem ad omnes et singulos memoratos articulos religiosissima exactitudine observandos ita adstringat, ut sacro-sancta Procerum inflexibilitate iis sub poena totalis ex abrupto Relegationis ab omni etiam minima (sub quocunque licet sacratissimo praetextu, colore. fuco aut titulo) sive dispensatione, sive relaxatione, vel tentanda tantum, vel insinuanda cohibeantur, cum idem sit hujus Societatis, qui terebelli genius, quae sicuti exiguo tantum apice impressum vel tantillum invenerit, mox ulteriori semper et ulteriori subtrusione ampliores suae versutiae vertebras perita ingerere non desistit, donec concesso vel minimo tramite, largificata sibi inadvertenter via, plane in pristinum optatumque statum denuo penetravit.

Qua nostra praecautione si Patres intra scriptos suae activitatis limites, uti diximus, sese continentes, sanctis denique exercitiis meditationibusque ab omni secularitatis spiritu seclusi intra parietes suos saluti animae propriae studere, nec de salute proximi tam spontaneas et irrequisitas sibi poenas aut curas facere jubeantur, cum imprimis non ipsi pro nobis, sed unusquisque nostrum pro semet ipso quondam reddere rationem debebimus, et ille pro proximo salvando zelus melius inter lucis orbos Garamantas et Indos exerceri expediat, quam inter sacro jam

Evangelio illuminatos et aliis a Deo et sancta Matre Ecclesia mediis pridem et abunde munitos Christianos; ubi experientia insuper periculum docuit, ne hi Patres proximi fortunas magis quam animos quaerant et ne dum Hermaphroditica religiosae secularitatis monstruositate alienae incumbunt, de propria salute periclitari videri possint.

Si igitur Remonstrationibus nostris (clarioribus si exigeretis demonstrationibus semper deducendis) vestraeque propriae rationi major quam praeoccupationi apud nos locus eaque vobis Patriae et vestrum quam nobis cura est, tunc hanc ita dictam Societatem Jesu vel principiis suis ante dictis vel regionibus nostris renunciare, unitis nobiscum viribus compelletis, nisi pro membris Patriae male sana excrementa, pro fulcris Reipublicae supplantatores, pro simplicibus juxta S. Spiritus dictamina columbis versutos et variis sanctimoniae coloribus tinctos serpentes in sinu alere ulterius cupiatis. Quibus vos divinae protectioni, vobis autem saniora consilia commendamus.

CACUT DECIMUM QUARTUM.

De quatuor receptis in Transylvania Religionibus et earum Unionis fundamento.

§ I. *Tollerantia Religionum.* Post Sacrorum in Transylvania Reformationem extemplo oriebatur inter regnicolas religionis discidium, ne ex eo opinionum discrimine desolatio subsequeretur Regni, adnitebantur prudentiores modum invenire, quo ad externam saltem formam regnicolae colligarentur. Tollerantiam Religionum, cum in conscientiis dominari licitum non sit, ab Isabella supplici libello petebant in Comitiis Tordensibus anno 1557 prima Junii; quam et accipiebant in haec verba: „Quoniam Nos Filiusque Noster ad instantissimam supplicationem regnicolarum clementer consensimus, ut quisque teneret eam fidem, quam vellet, cum novis et antiquis cerimoniis, permitteremus in negotio Fidei eorum arbitrio id fieri; quod ipsis libenter, citra tamen injuriam quorumlibet, ne novae Religionis sectatores veterem professionem lacesserent aut illius sectatoribus fierent quoquomodo injurii. Itaque Domini regnicolae ob concordiam Ecclesiarum conciliandam et sopiendas controversias in doctrina Evangelica subortas, decreverunt suam Nationalem Synodum instituere, ubi praesentibus piis Ministris verbi Dei et aliis praestantibus viris Nobilibus, collationes sincerae

doctrinae fiant et Deo duce tollantur dissensiones et diversitates in religione" [1]). Anno tandem 1563 in Diaeta Tordae celebrata concluserunt Regnicolae de religionis libertate in haec verba:

„Quia inter Dominos Siculos utriusque Religionis variae contentiones subortae, unde et mala plurima contingere possunt; visum est igitur Dominis Regnicolis, ut ordo utriusque partis secundum articulos et constitutiones superiores serio observentur. Ita ut quisque eam quam maluerit Religionem et Fidem amplecti et concionatores suae Religionis libere alere possit. Quorum alter dum concionem suam inceperit, ne ille impediatur, sed exspectetur donec perficiat; perfecta concione alter suam concionem incipere et in ea utrinque libere procedere, sacramenta Ecclesiastica administrare possint. Turbatores vero evocentur in praesentiam sacrae Regiae Majestatis per hos, quibus injuria illata fuerit, et juris ordine poena debita puniantur" [2]). Iidem articuli et deinceps an. 1568, 1569 in publicis Regni comitiis renovati et de religionis libertate confirmati sunt.

§ II. Verum cum lata videretur hic aperiri porta innovatoribus in religione ad dogmata quaevis spargenda, visum est restringere eam libertatem sequentibus annis. Doctores seu religiosi Pontificiae addicti Religioni anno 1566 regno omnes communiter exesse jussi sunt [3]). De aliis autem innovantibus ita conclusum est: „Deinde de Innovatoribus conclusum est, ut articulus praecedenti anno conclusus observetur, ut tales coram [4]) Superattendentibus utrisque alias etiam si necesse fuerit doctas adhibendo personas examinentur. Si ab utrisque differe * deprehendantur et dogmata sua pertinaciter defenderint, excommunicentur et a Domino nostro Principe proscribantur; cui si non obedierint auctoritatem habeat, aut captivitate aut morte aut alia poena blasphemiam eorum secundum meritum castigare. Si autem quis ex Magnatibus aut Nobilibus aut Civitatibus tales defenderet adversus Principem, Director causarum evocare possit et absque octava jure Fisci adversus eum procedere possit, proscriptos autem ubique prosequatur" [5]). Conclusio haec facta est Principe Stephano Batori. Tandem specificatae sunt quatuor Religiones, quae in regno aequali jure et libertate admitterentur, et non aliae, Evangelico Reformata, Lutherana, Romano Catholica et Unitaria seu Antitrinitaria, quae quia recipiebantur in regno dictae sunt Quatuor receptae Religiones. Quarum jus et libertatem

---

[1]) Articulo VII. ann. 1557.
[2]) In Diaeta Torden. an. 1563.
[3]) In Diaeta Tordensi an. 1566.
[4]) Scil. Reformatorum et Unitariorum.
* differre (ed.)
[5]) In Diaeta Kolosv. an. 1573.

tanta sollicitudine curabant, ut ne miserrimis quidem illis temporibus Bastanis earum curam remitterent; tunc enim conditus est ille articulus anno 1600: „Ante omnia negotiis ad Deum spectantibus intenti conclusimus, quatuor receptas Religiones sua quamque libertate esse permittendas. Si vero in possessionem aliquam vi vel violenta manu Parochum suum obtrusisset aliquis possessor Catholicus, is mox et de facto in jus attrahatur, observetur ergo cujusque libertas hactenus observata" [1]).

§ III. Quando Principes Transylvaniae inaugurabantur, inter conditiones semper aderat postulatum de quatuor receptis Religionibus non turbandis. Prima conditio Gabrieli Batori juranda haec fuit praeposita: Quod se ad libertatem religionis obliget et in ejus libero exercitio omnes absque personarum respectu conservet et defendat, prout fuit tempore Sigismundi Principis [2]). Gabrielis Bethlen pariter prima haec fuit: Quod omnes ordines absque personarum respectu in religione ejusque solito exercitio secundum articulos conservabit [3]). Quinta conditio Georgii Rákotzi fuit ista: „Quod absque personarum respectu in quatuor receptis Religionibus et earum libero exercitio sua Magnificentia conservabit et per alios conservari curabit. Neque potentia mediante ullius religionis Ecclesiam occupabit. Respectu religionis neminem ex patriotis posthabebit, sed in hoc absque Personarum respectu et discretione b. m. Principis laudabile exemplum sequetur, recognoscendo quam utile hoc fuerit tam suae Celsitudini, quam patriae nostrae [4])".

§ IV. Quum leges Transylvaniae anno 1653 in ordinem redigerentur ex antiquioribus Regni constitutionibus, de hac materia sequentem condiderunt articulum: „Quatuor receptae Religiones secundum communes et mutuo consensu Regnicolarum factas constitutiones deinceps quoque in perpetuum pro receptis habeantur, secundum laudabile felicis memoriae Majorum exemplum, postulante id etiam patriae conservatione et similiter regni constitutionibus et unione saepius facta. Harum quatuor receptarum Religionum, utpote Evangelicae Reformatae vulgo Calvinianae, Lutheranae sive Augustanae, Romano-Catholicae, Unitariae seu Antitrinitariae, liberum exercitium in locis juxta Constitutiones regni solitis deinceps quoque concedatur" [5]). Leopoldus quoque, a

---

[1]) In Comitiis Letzfalvae habitis an. 1600.
[2]) Approb. Const. Part. II Tit. I Art. II et III.
[3]) Ll. cc. artic. V.
[4]) Ll. cc. art. VI Cond. 5. Art. VII, Cond. 2.
[5]) Appr. Constit. Part. 1 Tit. 1 ex articulis an. 1588. 1595. 1600. 1607. 1629. 1630. 1564.

morte Principis Apafi regimen Transylvaniae auspicatus, omnium harum Religionum liberum exercitium confirmavit et Diplomate anno 1691 exhibito sanxit.

§ V. Praeter specificatas quatuor receptas Religiones alias recipere et exercere in Transylvania licitum non fuit. Lex sancita ita sonat: „Praeter receptas quatuor Religiones in articulis fidei vel religionis, seu privati qualiscunque ordinis homines, seu Ecclesiae innovationem facere et scissiones inducere, sub poena notae infidelitatis non audeant[1]).

In ritibus et directione Ecclesiastica reformare aut variare quid Ecclesiis ab antiquo licitum fuit; quae libertas Christiana deinceps quoque non arcebitur, ita tamen prout in aliis Christianorum regionibus ac etiam nostris usurpata fuit ac etiamnum usurpatur, scil. quod in minoribus et solos respicientibus Ecclesiasticos causis, ipsi Ecclesiastici concludere possunt et constitutiones facere; verum in Generalibus Synodis. In rebus autem cum auditoribus communibus et Politicos pariter respicientibus, non secus, quam communi eorum assensu, nimirum, cum ejusdem Religionis Magistratuum et patronorum consensu.

Non excluditur interim, ut si quando aliqui placita sua secundum Scripturas communicare vellent in Ecclesiae aedificationem, quod hoc modo conceditur, ut in Synodis Ecclesiasticis proponere obligati sint, et ejus censurae se opinionemque suam submittere; quam in veritatis bilance juste trutinantes absque omni privato affectu, suae Religionis Magnatibus, Magistratui et Patronis communicent, si utilis ac necessaria censebitur, ex communi suffragio in usum convertatur atque ita in externis ritibus directioneque Ecclesiastica possit fieri reformatio aut variatio, neutiquam attingendo fidei fundamenta et articulos. E contra, si non approbetur et acceptetur, opiniones tales sint interdictae nullique ordines extra modum praescriptum rebus talibus se immisceant.

Alias sicubi talia inaudirentur de quibuscunque conditionis hominibus, ejusdem Comitatus aut sedium officiales, ejusdem Religionis Superintendentes, Vicarii, Seniores, Decani, sub quorum inspectione tales residerent, se invicem certiorando confluant ex utroque ordine docti sufficienti numero, certificantes personas quoque accusatas, sive fuerint Ecclesiasticae sive Politicae, rem diligenter examinent; si vero comperiatur accusatio de rebus vetitis vera, primum admoneantur diligenter, et si statim desistunt ac admonitioni submittunt se, non laedantur; si vero contumaciter in iis perseverent multoque magis opiniones in praxin deducerent aut in aliqua Ecclesia privata auctoritate extra consensum communem introducerent, citati per Directorem, si sint seculares immediate, si Ecclesiastici primum degradentur, illi quoque eo modo citati utrinque, comperta rei veritate

[1]) Il. cc. art. 3 ex articulis 1576.

legitimoque juris processu in talibus observari solito, in notam perpetuae infidelitatis incurrant, id est, amissionem omnium bonorum ipsos solos praecise concernentium, caput tamen redemptibiliter. Si qui autem talibus patrocinarentur, rei veritate comperta, hoc modo et processu convicti, simili poena puniantur. Interim convicti perseverantes in eodem errore binaria vitae gratia non concedatur. Huc non annumerantur Valachi vel Graeci ritus, qui pro tempore usque ad bene placitum Principum et Regnicolarum tollerantur" [1]).

§ VI. Receptarum sed a se discrepantium quatuor Religionum unionis conditiones sunt in articulis anni 1649 comprehensi sequentes:

„Quatuor receptis Religionibus 1) liberum exercitium concedatur et illibate conserventur* in Regno et in partibus Hungariae huic Regno incorporatis; ut in 2) omnibus locis major pars interteneat suae Religionis ministros. 3) Sicubi vero exercitio Religio alterutra careret, ad visitandos aegros et in casu necessitatis ad baptizandos infantes liberum sit accedere suae Religionis Ministris. 4) Ex tribus nationibus Provincia constat (observando Regni constitutiones). Si quae natio in libertate, immunitate, privilegiis solitis et ab antiquo receptis ritibus laederetur, requirat duas nationes, quae obligatae sint de facto secundum Fidei obligationem Principem requirere et consiliarios de laesione nationis querulantis. Imo omni modo tres nationes sibi invicem auxiliari teneantur in causis justis. 5) Si persona privata Nobilis quaecunque vel in persona vel bonis, rebus aut libertate a Principibus laederetur, requirat comitatum aut sedem, quae si dignam censebit querimoniam, requirat statim Principem et consiliarios, quem si posthaberet Princeps obligetur Comitatus penes laesum requirere alios Comitatus hic et in partibus Hungariae existentes; eo modo Siculos et Saxones, qui ex tenore juramenti et obligationis de facto (Diaetam non expectantes) obligentur requirere Principem et consiliarios denuo de negotio; consiliarios in tali casu maturo judicio deliberando ob oculos ponant communem Regni libertatem, leges et suam obligationem atque articulos de his Regni conditos, atque tam seria coram Principe instantia, quam sua deliberatione ac authoritate teneantur querulantes in integrum restituere. 6) Si urbes vel oppida in Comitatibus aut Siculos** vel Communitates laederentur, iste modus in restitutione observetur. 7) In Comitiis Regni, quae ad utilitatem, pacem, tranquillitatem patriae, legum conservationem adinvenire possunt, in iis idem sentiat quivis posthabendo suam utilitatem et suum privatum. Nationi nostrae, libertati, imo et justitiae personae alicujus privatae, tres nationes et omnes Status unanimi voto, omni via ac modo patrocinemur atque se invicem defendamus. 8) Si

[1]) In approbat. const. Part. I. Tit. I. art. 3.

* conservetur (ed.)

** Siculi (ed.)

qui alios falso et indigne accusarent, aut executores essent in captivando ad accusationem ante sententiam latam, in possessione et rebus occupandis, in notam perpetuae infidelitatis incurrant" [1]).

Conditiones unionis respicit etiam iste articulus 9: „In locis, ubi diversae sunt Religiones, Templum vero unum, secundum articulos veteres per Commissarios ex utraque Religione aeque idoneos ad id deputatos solet componi, et majori parti aut in qua Religione numerus excellit auditorum illi Templum adjidicari*; communi autem sumptu aliis Religionibus secundum numerum eorum et proportionem Templi communis limitando aliud Templum aedificare. Nunc quoque directio hactenus usurpata loco suo relinquitur; in futurum quoque modus ille ad observandum decernitur. Si quae pars renueret aut ad terminum a Commissariis praefixum aedificationem non continuaret, admoneatur ab officialibus; si contumaciter praetermitterent, toties quoties officiales ducentos florenos exequantur; quorum dualitas convertatur ad usum ejus Ecclesiae, tertialitas vero sit executorum" [2]).

10) Conclusum est, ut nemo plebem sibi subditam, colonos, familiares domus, at cujuscunque conditionis violenter aut sub interminatione qualiscunque poenae ad suam Religionem amplectendam cogat. Neque Dominus terrestris alterius Religionis pagi aut civitatis Templum occupet, alterius Religionis Ministros ipsis non obtrudat aut imponat, Ministris suae Religionis nullos actus Ecclesiasticos in quacunque demum occasione celebrari faciat, sub poena ducentorum florenorum.

11) Diversae Religionis Ministri se in alterius functiones non immisceant, in visitationibus usum hactenus usurpatum observent [3]). Nullius Religionis Minister alteri Religioni addictas personas audeat copulare, divortiari aut ad reconciliationem Ecclesiasticam admittere, etsi vellet interea religionem mutare; cum jam peccata ejus aut conatus ad divortiandum vel compulandum ** aut Ecclesiae reconciliandum sunt manifesti; sed primum coram Ministris ejus Religionis, in qua fuit dum negotium ejus inchoatum, decidatur; tandem si religionem vellet immutare erit in arbitrio. Aliquin *** si quis ecclesiasticus his impingeret, in amissionem honoris et officii incurrat et post degradationem potestati Magistratus politici subjiciatur et coram eo ad instantiam querulantium secundum meritum puniatur [4]). Imo ejusdem quoque Religionis Ministri eos, qui sunt extra propriam Ecclesiam, secus non admittant in superius notatis

---

[2]) Approb. Constit. Part. III. Tit. I.

* adjudicari (ed.)

[1]) Approb. Const. Part. I. Tit. VII.

[2]) ll. cc. Tit. V ex art. an. 1609, 1614.

** copulandum (ed.)

*** Aliquid (ed.)

[3]) ll. cc. art. IV ex artic. 1624 et 1641.

negotiis, quae concernunt eorum functiones, quam ut primum ex testimonialibus aut certis relationibus constet veritas: peregrinos et certo loco et Ecclesiae non adfixos diligenter censeant".

§ VII. Quae hactenus ex tabulis legum patriarum larga manu huc coacervavimus pro Lege scripta observantur. Sed sunt quoque quaedam, quae sola nituntur consuetudine et in legem etsi non scriptam transierunt. Ejusmodi sunt: 1° Quod ubi diversae Religionis personae matrimonium inire volunt, copulatio debet fieri a Ministro a parte viri, non feminae. 2° Quod talium soboles mascula in patris, feminea in matris Religione educatur. 3° In natione Siculica si Reformatus aliquis inhabitet pagum, cujus incolae sunt Pontificiae addicti Religioni, solutionem annuam Plebano praestat Catholico. Vice versa: si Pontificius incola sit inter Reformatos, solutionem praestat Ministro Reformato. 4° Si contingat mori talem Pontificium in pago Reformatorum, Minister Catholicus suas cerimonias et concionem perficit intra portas defuncti; extra portam autem suscipit Minister, qui in coemeterio more suo concionatur et sepellit. Pari ratione si Reformatus fuerit mortuus in pago, ubi caeteri incolae Catholici, Minister Reformatus concionatus est intra aedes; extra portam tandem defuncti caetera peregit Plebanus Catholicus.

§ VIII. Ad unionem seu observationem conditionum quatuor receptarum Religionum juramento patriae cives erant adstricti; quod tale in Legibus patriis extat: „Ego T. et T. juro per Deum vivum, qui est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, sancta Trinitas, unus verus Deus, quod ad conservationem quatuor in hoc Regno receptarum Religionum toto conatu contendo et cum ejus oppressione meam Religionem promoveri in animum non inducam. Neque in oppressionem earum clam palamve quicquam agam: nullius personam ob Fidem ejus et Religionem odio et contentione prosequar, sed ad conservationem ejus in libertate intendam: adversus contrariam Religionem neque palam neque clam machinabor ad ejus oppressionem; neque consilio noxio neque armis per se vel per alios ullo modo adversabor. Imo si quem talem resciscerem significaturus Consiliariis, omnibusque viribus evitabo. Neque Principi meo alteri noxium suggeram consilium: Patriae communis pacis, tranquilitatis, libertatis conservationem ejusque promotionem consensu et ope defendam; adversus eam cum iis, qui sunt extra patriam, tractatus nullos inibo. Quoniam vero etiam Principes secundum fidem Deo debitam assecurant regnicolas, ut si qui adversus communem patriae utilitatem delatores essent, Regnicolis et Consiliariis aperient; ita quoque ego me ad fidem praenominatam obligo; quousque etiam Principes his et aliis juramento firmatis promissis et conditionibus se conformant, eo usque obligatus sim his servandis. Ad se invicem quoque eo usque sit obligatio, donec proximus meus violandi graves causas non subministrabit. Qui autem hanc violaret comperta

rei veritate in notam perpetuae infidelitatis incurrentem pronuncio" [1]). Conservata est sub Reformatis Principibus sollicite haec unio semper inviolata; at vero sub regimine Austriaco inquieti quidam patriae cives et Clerici Romano-Catholici antiquos lapides terminales eo usque moverunt, donec etiam dimoverunt; unde innumerae sunt exortae contentiones ac injuriae, uti alibi scriptum est.

§ IX. Praeter quatuor receptas in Transylvania Religiones fuerunt etiam aliae, quae in liberis suis exercitiis tolleratae sunt: quas qui profitebantur tribus in Regno nationibus non annumerabantur. Tales sunt:

1) Religio Graeca seu Orientalis Ecclesiae, quam sequuntur Vallachi, populus ut plurimum glebae adscriptus, Graeci et Armeni mercaturam exercentes itemque Bulgari, qui ex oriente adventantes sedem hic fixerunt.

2) Religio Anabaptistarum, quae conceditur solum Alvintzini; ita Regnicolae de ea sanxerunt: Liberum suae opinionis in religiosis exercitium inter ipsos Alvintzini conceditur [2]). Hi pulsi ex Moravia ob religionem a Ferdinando secundo, suscepti sunt a Principe Gabriele Bethlen propter artes mechanicas et collocati Alvintzinum; distincta ab aliis religione et moribus ibidem adhucdum subsistunt.

3) Religio Judaica, ubi loca inhabitationis, ibidem etiam liberum opinionis suae exercitium habent. Cigani, gens per Europam dispersa, incertae originis et colluvies hominum sordida; loci quem incolunt adoptant religionem; multi Valachorum, plerique nullam certam sequuntur fidei confessionem.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

§ I. In Ecclesia, quatenus ad formam regiminis Politici gubernatur, dantur diversi gradus personae. Aevo jam Apostolorum nomina Episcoporum seu Inspectorum, Diaconorum, Presbyterorum seu Seniorum, Cleri, etsi in alio quam hodie sunt significatu, invaluerant. Ex forma regiminis Ecclesiae Judaicae transierunt quaedam in religionem Christianam, adscitis cum tempore et dignitate novis titulis, uti Archiepiscopi, Cardinalis, Primatis, Patriarchae, Abbatis, Archidiaconi &c., quae

[1]) Apprab. Const. Hart. III. Tit. art.;
[2]) Approb. Const. Part. III. Tit. LVII.

nomina in Ecclesia Romana hodiedum retinentur. Post Sacrorum Reformationem ad Apostolicam redire volentes simplicitatem et primaevae Ecclesiae puritatem, pauca Reformati retinuerunt nomina officiorum, ea tantum, quae Ecclesiis administrandis secundum verbi Dei praescriptum videbantur necessaria. Septem sunt ea, quae hic materiam praebent scriptionis ac considerationis [1]).

§ II. *Nomen Superintendentis.* Primum est nomen et officium Superintendentis seu Episcopi. Superintendentis maluerunt retinere, cum Episcopi nomen severas ob exactiones Episcoporum aliaque enormia eorum, qui titulum gerebant, facta, inciderat in odium populi et contemptim habebatur a regni ordinibus. Nomen Superintendentis tam in Hungaria quam in Transylvania, aeque apud Lutheranos ac Reformatos, cum Sacrorum reformatione propere susceptum ejus aevi monstrant documenta. In Hungaria confirmatum est illud officium anno 1608 in Diaeta, ubi primus articulus ita est:

„Quantum itaque ad primum Constitutionis Viennensis articulum attinet, deliberatum est per status et ordines inclyti Regni Hungariae, ut religionis exercitium tam Baronibus, Magnatibus et Nobilibus, quam etiam liberis Civitatibus ac universis statibus ac ordinibus Regni in suis ac Fisci bonis, item in confiniis quoque Regni Hungariae, militibus Hungaris sua cujusque Confessio et Religio, nec non oppidis ac villis eam sponte ac libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur, nec quisquam omnium in libero ejusdem usu ac exercitio a quoquam impediatur. Quin imo ad praecavenda inter status et ordines aliqua odia et dissensiones, ut quaelibet Religio suae professionis superiores seu superintendentes habeat, statutum est."

In Transylvania cum disceptationes de Coena Domini terminari nullo modo possent, Johannes Secundus an. 1564 in Synodo Enyedensi jussit, ut Ecclesiae Saxonicae et quicunque praesentiam corporis in coena asserunt, habeant unum certum Superintendentem, qui in unitate doctrinae et ceremoniarum conformitate ac disciplina Evangelica Ecclesias gubernet, ac in sontes et inobedientes digna poena animadvertat. Rursus qui localem absentiam corporis Christi asserunt, suum habeant Superintendentem, cujus cura et vigiliis solitis ritibus et cerimoniis Ecclesiae eorum in disciplina Evangelica gubernentur, atque ita distinctis limitibus et functionibus quibuscunque suis omnibus prospicerent, et controversiae ac contentiones vel hoc modo sedarentur. Ab hoc anno Ecclesiae Reformatae a Lutheranis segreges factae a propriis Superintendentibus sunt gubernatae.

---

[1]) In Canonibus Transylv. Can. II. recensentur.

§ III. *Electio Superintendentis.* — Eliguntur autem Superintendentes per libera seniorum suffragia, ubi praesentes sunt (in Transylvania quidem, nam in Hungaria alia jam eorum est ratio, ubi Synodi convocari non possunt, quod prohibitum est) supremi Reformatorum Consistorii legati ex Magnatibus, suaque vota addunt. Electus deposito juramento ad omnes officii partes rite peragendas facultatur ac obstringitur [1]). Ita Canon Ecclesiasticus tradit: „Omnes in universum Senioratus seu Dioeceses intra ambitum totius Regni Transylvaniae et partium eidem annexarum seorsim in unum confluentes, uni Episcopo seu Superattendenti decedenti vel in alium Tractum transmigranti, communibus votis ac suffragiis alterum quempiam e medio fratrum suorum electum substituere pio ritu debebunt, virum nempe singularibus animi et corporis dotibus exornatum, pium, doctum, prudentem, disertum, notum, spectabilem, gravem ac industrium, seu juxta Apostolum, irreprehensibilem, justum, pium, continentem, unius uxoris virum, vigilantem, temperantem, compositum, hospitalem, aptum ad docendum, non superbum seu sibi nimis placentem, non vinosum, non iracundum, non maledicum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, non novitium, sed aequum, alienum a pugnis et ab amore pecuniae, bonorum amantem, tenacem fidelis illius sermonis, qui est secundum doctrinam, ut possit et exhortari doctrina sana et contradicentes convincere, filios habentem subjectos cum omni honestate, honestumque habentem testimonium etiam ab extraneis. Eum vero solenniter electum ad officium suum fideliter pro facultate virium faciendum jurejurando obstringant ac impositione manuum praecipuorum seniorum confirment peculiarique benedictione inaugurent" [2]).

Formula Juramenti, qua se officio obstringit secundum tenorem patrii sermonis est ista: Deus verus, qui est Pater, Filius et Spiritus sanctus, sacro sancta Trinitas, unus verus et aeternus Deus, ita te in vera fide tua adjuvet, quod tu in officio isto Superintendentiae vere et fideliter secundum tuam facultatem functurus es, absque omni indulgentia, acceptione donarii, ira et personarum respectu, conscientiose omnibus justitiam administrabis, cujuslibet honorem pro demerito reddes et juxta articulos cum reverendis Dominis Senioribus in omnibus justis et necessariis rebus consenties. Ita te Deus adjuvet.

§ IV. *Officia Superintend. in genere.* — Superintendentis seu Episcopi officia in genere sunt, ut Ecclesiarum et scholarum suo Episcopatui

---

[1]) Nec alia confirmatio a Principibus extitit, anno tamen 1749 Aulicus cancellarius per Agentem Reformatorum Viennensem illustri Reformatorum in Transylvania Consistorio insinuavit, Superintendentem Reform. suae Majestati Regiae electum confirmandum offerre debere, prout Augustanae Confessionis faciunt. Factum tamen hactenus non est, cum nec olim in usu fuerit, nec sua Majestas directe mandaverit.

[2]) Canon xc.

subjacentium, bonorumque ac redituum ad eas pertinentium solicitam curam habeat, illas juxta praescriptum verbi Dei ac contenta Canonum Ecclesiasticorum regat, summoque studio promoveat ac aedificet. Haec vero bona nempe earumdem fideliter dispenset, dispensationisque subinde, coram certis ad id a generali Synodo delectis personis Ecclesiasticis, rationem reddat. Ne qua porro vel in doctrina vel in ceremoniis, tam sacramentalibus, quam aliis boni ordinis causa constitutis, vel vero in disciplina immutatio privato cujusquam ausu fiat, diligenter provideat. Eamque ob causam studiosos non quosvis indiscrete pro suo lubitu, verum exploratae fidei, pietatis ac modestiae, nec non sufficientis eruditionis atque docendi dono praeditos, collegis, Professoribus vel etiam Rectoribus consultis, in Academias exoticas sumptibus Ecclesiae promoveat. Quod ipsum ut et alii quilibet eorum commendatores vel promotores reciproce faciant, justitia et aequitas postulat. Senioribus tanquam collegis suis debitum honorem exhibeat, officia eorum temere non invadat neque legitimam eorumdem jurisdictionem impediat, sed eam in omnibus sartam tectamque relinquat. Nihil in causis praesertim gravioribus privato suo placito faciat, sed omnia inito cum senioribus et tota universitate consilio. Causas a suo foro ad Consistorium Synodi Generalis appellatas transmittat. Ministros omnes pro ratione eruditionis, aetatis et ordinis, eo quo par est honore afficiat. Supplicantes placide exaudiat, nec quemquam ex praecipiti ira indictaque causa duriter vel increpet vel mulctet; quin imo patrocinium illorum contra quosvis impetitores et impeditores apud Magnates suscipiat. Antiquam Ecclesiae libertatem ac immunitatem justis quibuscunque potest modis ac mediis defendat: in dissolutos autem scandalosos et ignavos fucos legitime animadvertat. Nullum in collegas vel confratres suos dominatum usurpet. A nullaque officii pastoralis vel disciplinae Ecclesiasticae parte se exemptum putet, neque seipsum potestate vel gradu, sed ordine duntaxat aliis superiorem existimet; non ut eo dignitatis fastigio intumescat, sed ut plus laborum, curarum et molestiarum in Ecclesiarum conservatione, amplificatione, gubernatione et defensione sustineat.

Si quid ergo intollerabile ex insolentia vel animi elatione patraverit, Collegium seniorum habebit potestatem communi consilio, privatim imprimis eum honorifice admonendi, ac postea, si eo nihil profecerint, publicas quoque adversus ipsum in generali congregatione querelas instituendi eumque in ordinem redigendi vel etiam deponendi [1]).

§ V. Specialis officii Superattendentialis pars consistit in visitatione Dioecesium; qui eas visitaturus olim in Transylvania armabat se Principis mandato, nunc a Regio gubernio accepto, ad officiales Comitatuum ac

[1]) Canon XCI.

Sedium supremos ac subordinatos, in quibus mandatur de adsistentia, sicubi necessitas postulaverit, adversus contumaces ac inobedientes ejusque directioni contravenientes. Visitationes autem Dioecesium tertio quovis vertente anno in Transylvania secundum receptam consuetudinem, in ipsis seniorum residentiis, eo advocatis omnibus eorum confratribus, cum duobus aut tribus sibi adjunctis senioribus totam Universitatem repraesentantibus, tenetur instituere. In quibus Ministros Ecclesiarum et Rectores scholarum sigillatim de senioris sui vigilantia, aequitate regendique dexteritate ad conscientiam Deo debitam examinet, an nimirum Ecclesias, suae fidei commissas, annuatim modis jam praescriptis visitet ac legitime secundum Canones Ecclesiae regat singulasque officii sui partes fideliter exsequatur, vel vero e contra indebite ipsos vel ipsorum auditores vexet disciplinaque rigidiori praeter jus et aequum gravet.

Post vero eosdem ad fidem Deo et Ecclesiae datam adigat adjuretque, ut si quos ex confratribus suis a recto officii sui tramite vel in rituum canonumque observatione vel vero in morum conformatione non sine scandalo exorbitantes animadverterint, eos abque ullo respectu denominent, nulliusque excessum vel defectum intolerabiliorem praesertim coram suo antistite et ei adjunctis senioribus celent.

Denique a Senioribus quoque ipsismet solicite exquirat, an aliquos sub inspectione ipsorum observaverint vel refractarios, debitam ipsis obedientiam ac reverentiam non praestantes, dissolutos moribusqne perversis praeditos, vel leges Ecclesiae susque deque habentes, vel in docendo negligentes, vel denique secularibus negotiis sese implicantes. Percontetur etiam diligenter ab utrisqne, quid in ipsorum Ecclesiis potissimum desideretur, an adhuc aliquae superstitionis antiquae vel consuetudinis pravae reliquiae in iis supersint; quae vitia inter auditores ipsorum regnent; quis inter illos Evangelii fructus, et an non bona aliqua Ecclesiastica inter illos sint abalienata &c.

Una autem eademque opera Ecclesias quoque seniorum, accersitis praecipuis earum civibus, visitet, eosque fide mediante non quidem jam de officio senioratus sed pastoratus duntaxat examinet, quam fideliter nimirum eo inter ipsos fungantur, et qualiter vitam ac conversationem tum ipsi tum vero ipsorum domestici instituant. Similiter de Rectorum quoque, qui scholis celebrioribus praesunt, tum vitae probitate, tum vero docendi peritia ac solertia ab eorum discipulis sciscitetur, quo vero ea magis innotescat, examen ab illis in praesentia sua institui jubeat. Quoscunque tandem naevos, excessus aut defectus inter ipsos ex certis relationibus deprehenderint, Notarius in Protocolum Ecclesiae accurate consignet, et leviores, qui vel admonitionem duntaxat vel reprehensionem vel vero etiam suspensionem ab officio ad tempus merentur, ibidem censeat, graviores autem, ob quos vel proscriptionis vel excommunica-

tionis damnantes judicandi sunt, ad futuram synodum generalem differat.

Interim tamen manifesti adulterii vel homicidii vel alius cujusvis flagrantis criminis reos convictos, nisi sufficientes obsides ac sponsores statuerint, arestandi etiam eos, sive sint Pastores sive Rectores, ad judicium usque sacrae coronae potestas ipsi cum caeteris visitatoribus generalibus conceditur. Rectores autem scholarum trivialium, scortatores, digladiatores ac scurriliter publico cum scandalo se gerentes, Magistratui politico tradendi jus habebunt. Finita demum visitatione supplicantes ac litigantes exaudiat, causasque omnes, quas ab exhibitis ipsius certificatoriis in pendenti offenderit, decidat dirimatque. Caeterum officium erga ipsos hospitalitatis exercere singulae Dioeceses communibus sumptibus tenentur [1]).

§ VI. Alterum speciale Superintendentis seu Episcopi officium est, ut Synodum universalem seu provincialem semel pro more jam solito quotannis in locum commodum ac idoneum convocet. Duobus ex denis quibusque Ministris, si necesse fuerit, in Comitatibus ac sedibus Siculicalibus Marus, Udvarhely et Arannyas, in tribus autem sedibus, paulo remotioribus, plusculis uti jam limitatum est domi relictis [2]). Ordinarie quidem in Transylvania ad secundam, in Hungariae autem partibus cis Tibiscanis ad primam post Trinitatis dominicam [3]) literis convocatoriis una cum thesibus Theologicis ad disputandum proponendis [4]) mature emissis. Termino autem condicto appetente, concursu ad Episcopi hospitium omnium seniorum cum suis confratribus facto, post mutuam salutationem Processuros recenseant ac nomina eorum Matriculae Ecclesiae inscribant [5]) deque agendis disponant deliberentque. Postero tandem die, dominico videlicet, magna cum frequentia templum ingressi, postquam Pastorum quispiam [6]) ad id deputatus concionem matutinam de subjecta materia absolverit, Episcopus conscensa cathedra praeloquium ac preces peculiariter conceptas instituat; quibus finitis primum omnium Candidatos sacri ministerii legitime ab Ecclesiis vocatos atque melioribus notis commendatos [7]) juxta seriem, qua pridie adscripti sunt, publice

---

[1]) Canon XCII.

[2]) Ita quidem olim: jam vero Senior cum Notario et uno e confratrum numero ex singulis Dioecesibus adesse tenetur.

[3]) Jam in Hungaria Synodales conventus tenore articuli XXXI Diaeta an. 1715 sunt interdicti.

[4]) Typis descriptae theses Th. ad singulas Dioeceses olim demittebantur, nunc capita duo aut tria ex Confessione Helvetica ad disputandum designantur.

[5]) Procedentes dicuntur ad S. Ministerium Candidati jamque per impositionem manuum ordinandi, qui in Belgio dicuntur Proponentes.

[6]) Concionatores designare solet Superintendens in literis convocatoriis.

[7]) Literae testimoniales expetuntur a Ministerio consecraneis, quibus se legitiment ab Ecclesia acceptos; raro enim alii ordinantur, nisi qui jam habent Ecclesiam, ubi functionem exerceant.

examinandos, nominatim advocet, ac in meditullio sacri consessus ordine collocet, ac partes opponendi iis, quibus convenit, successive offerat[1]) per eosque Procedentium in Theologicis profectum secundum Theses exhibitas explorari jubeat. Disputationi autem ipsemet praesideat eamque, quamdiu interesse vacabit, dirigat: post vero alio quopiam idoneo sui loco Praeside suffecto[2]), evocatis secum in consistorium senioribus ac adsessoribus, causas appellatas ac transmissas revideat, discutiat, collectisque eorum votis ac vocibus, communem omnium vel saltem partis potioris sententiam pronunciet. Supplicationes publice praelegi curet, causas omnes propositas adsumat, omnia denique forum illud concernentia in medium prolata, bona fide ac secundum dictamen conscientiae cum universo consistorio peremptorie decidat (nec enim illinc ad superiorem sedem, nisi forsan ad Synodum Nationalem, si lis sit de religione aut ritibus publicis, appellare licet)[3]) eaque Notarius Universitatis protocolo Ecclesiae fideliter inscribat.

Expeditis autem rite omnibus, quinto demum Congregationis die vulgo Mercurii dicto, pulsu campanae dato, cum reverendis Senioribus ac reliquis fratribus templum ingrediatur. Candidatos jam satis superque examinatos, una cum senioribus, quinam illorum sacro munere digni, quinam vero indigni sunt, accurate censeat; pro majori autem experimento caput aliquod Biblicum materiae disputationis congruum vernacule ab iis exponi jubeat, et ineptos compertos communi Seniorum judicio rejiciat, aptos vero judicatos solenni ritu in sacro sancto Ministerio inauguret, jurejurando eos ac* certa vocationis suae capita obstringendo, ac manuum, qua suarum, qua Seniorum, impositione confirmando, iisque, invocato super eos Spiritu Sancto, bene precando: ac tum demum sacrum Conventum publica gratiarum actione ac benedictione, symbolo Apostolico decantato, dimittat; admonitis novis Ministris ut Formatam[4]) a Notario redimant, Synodique futurae tum loco, tum Fidei capite, de quo in ea disputandum sit, publicato[5]). Quodsi vero ob praesentissimam

---

[1]) Opponentis partes ordinarie subire solent, superiori anno ad S. Ministerium consecrati, et studiosi e Gymnasiis in hunc finem delegati: extraordinarie autem cuivis veniam a Praeside petenti conceditur: cum autem ex omni Religione concursus fiat, saepe evenit, ut non cum larvis sed veris depugnetur adversariis iisque exercitatis.

[2]) Nunc officium istud sustinere solet Professor aliquis Collegiorum jam ante praemonitus.

[3]) Ita quidem olim; at vero ab aliquot retro annis, si decisio synodalis alterutri litigantium displiceat, provocatur ad Regiam Majestatem, unde finalis expectatur sententia. Regia quoque Majestas in quodam Rescripto d. XXVII Julii an. 1750 in causa divortiali Christinae Matskasi se vocat Supremum Protestantium in hujusmodi causis Judicem.

* ad (ed).

[4]) Vocantur ita literae testimoniales de ordinatione exhibitae.

[5]) Jam mos ille desiit, sed publicatio fit per literas encyclicas duobus ante Synodi terminum circiter mensibus.

aliquam necessitatem privatim quoque ordinandi ab eo nonnulli fuerint [1]), non nisi aut altero viciniore Seniore suisque confratribus convocatis id faciat [2]).

§ VII. Formula juramenti, qua ordinandi se sacro Ministerio obstringunt, est haec: Deus verus, qui est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, sacro sancta Trinitas, unus verus et aeternus Deus, ita te in vera tua fide adjuvet, quod veram doctrinam coelestem, in scriptis Prophetarum, Apostolorum et Evangelistarum comprehensam, pure et recte praedicabis, contrarias huic opiniones, speciatim Papisticam, Francisci Davidis et reliquos his consimiles errores, secundum tuam facultatem refutabis et iis contradices. Peccata absque omni indulgentia et metu, ubi et quando decet, modus locusque erit, reprehendes et argues. Sacramenta vere et juxta Christi institutionem administrabis; diligentissime disces et docebis; in officio Ministri usque ad mortem, nisi Deus tale tibi immiserit judicium, quo munus illud sustinere non posses, perseverabis, et condecentem isti officio sanctam inculpatamque vitam vives; Superintendenti et Seniori tuo in omnibus divinis et honestis rebus obtemperabis. Ita te Deus adjuvet. Canitur: Veni Sancte Spiritus &c. daturque potestas Verbum Dei annunciandi, sacramenta secundum institutionem Christi administrandi, peccata remittendi et ligandi. Quae omnia Candidati genibus flexis excipiunt.

§ VIII. *Seniorum electio in Dioecesibus.* — Secundo loco sunt Dioecesium Seniores, qui olim dicebantur Archidiaconi. Eliguntur isti libero confratrum suffragio ex eorum numero, confirmantur tandem in Synodo a Superintendente, jurisjurandi sacramento ibidem solenniter deposito. Canon ita rem exponit omnem. Singulae Dioeceses unum quendam ministrum ex suis confratribus, reliquis eruditione, pietate, experientia, prudentia aliisque donis spiritualibus praestantiorem, communibus suffragiis, non nesciente quoque nec improbante Episcopo, sibi in Seniorem seu Inspectorem eligere debent, qui tandem in generali Synodo per Episcopum, Senioribus quoque aliis haud dissentientibus, solenniter jurisjurandi sacramento ad officium suum fideliter obeundum obstringatur ac per Episcopum confirmetur. Fratres quoque ejus inspectionis, ut debitam ei obedientiam ac reverentiam exhibeant, serio admonentur [3]).

Formula juramenti, qua se Deo ac Ecclesiae Seniores obstringunt, est haec: Deus verus, qui est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, sacro sancta Trinitas, unus verus et aeternus Deus, ita te in vera tua fide adjuvet, quod in officio isto Senioratus vere et fideliter secundum omnem tuam facultatem functurus es, absque omni gratificatione, amicitia et

---

[1]) In Hungaria ita omnes ordinantur, cum conventus Synodales sint prohibiti; in Transylvania vero in publica Synodo.

[2]) Canon XCIII.

[3]) Canon LXXXVI.

invidia omnibus suum jus administrabis, Ecclesias tibi subjectas juxta legem Dei et articulos Ecclesiae gubernabis, Superintendenti tuo obedientiam praestabis, et cum Ecclesia generali in omnibus rebus divinis et usitatis ritibus consenties, scissionem seu schisma non facies. Ita te Deus adjuvet.

§ IX. *Officium Seniorum.* — Seniorum in genere officium est, ut suas Dioeceses juxta normam Verbi divini et Canones Ecclesiae illi consentaneos regant ac dirigant. Suas inquam Dioeceses, nam nullus Senior in alium Seniorem aut in ministros alterius Senioratus ullum jus ullamque potestatem habet; sed in fratres duntaxat suae Classis seu Senioratus, quorum numerum et nomina certo catalogo inscripta tenere debet, ne fiat confusio inter Senioratus. In suos tamen etiam non absolutam, sed limitatam habent jurisdictionem, non ut iis dominentur aut tyrannidem aliquam super iis exerceant, quasi ipsi e communi Ministerii ordine, officio ac legibus exempti atque immunitate donati sint, sed ut primariam Ecclesiarum suae inspectioni subjectarum curam humeris suis sustineant, providendo ut in iis, tum quoad doctrinam, tum quoad ritus, tum vero quoad disciplinam ipsam, omnia recte ac legitime disposita sint, ac singuli tum Pastores Ecclesiarum, tum Rectores scholarum, curae eorum commissarum, officium suum fideliter faciant. Negligentes excitent, non recto pede incedentes in ordinem redigant et coerceant; at non potestate aut poena aliqua civili, verum Ecclesiastica seu disciplina mere spirituali, objurgatione nimirum, depositione et excommunicatione, pios autem ac fideliter in domo Dei versantes, utut alias simplices honore et amore praeveniant; in suis Ecclesiis ac scholis fratres perspectae pietatis ac exploratae eruditionis collocent, ac patrocinium illorum apud Magistratum et extraneos quosvis pro sua virili suscipiant. Redituum denique Ecclesiasticorum [1]) rationem exactam habeant [2]).

§ X. *Visitatio Seniorum.* Incumbit praecipue Senioribus, ut Ecclesias suae directioni concreditas annuatim, adscitis sibi duobus aut tribus ex praecipuis suis confratribus, visitent atque in doctrinam imprimis solertiamque ministrorum diligentissime fideque mediante vel saltem secundum conscientiam Deo debitam, inter auditores ipsorum inquirant. An nimirum tum ipsi sedulo discant, tum alios cum fructu et quidem secundum fidei analogiam doceant? an non horas concionibus et precibus destinatas ob privata sua negotia negligant? an manifesto sceleratos et scandalosos publice sine personarum respectu arguant? an non aliquos privata authoritate e coetu sacro excludant vel a tota synodo exclusos recipiant? an

[1]) Cum subinde inveniantur e politicis, qui reditus ecclesiasticos vel intercipiant vel etiam ad suos convertant usus, extat contra tales Lex. Appr. Constitutione Parte 1. Tit. V. Art. 1.

[2]) Canone LXXXVII.

sacramenta juxta institutionem Christi statis et statutis temporibus ac locis administrent? num catechizent? num conjuges legitime publicatione praemissa et quidem pares ac honestae famae diebus locisque consuetis copulent? num aegrotos visitent, funerumque deductionibus vocati intersint? &c. Deinde mores quoque ac vitam habitumque tum ipsorum, tum vero conjugum ac liberorum accurate investigent. An nimirum sint temperantes, moderati, pii, honesti, factis et verbis, victu et amictu irreprehensibiles?

Rectorum similiter eruditionem, functionem tam scholarem, quam templarem, vitam item et mores explorent [1]). An nimirum ii cum Pastoribus omnia, juxta praescriptas in Liturgia Canonibusque Ecclesiae regulas ac formulas agant administrentque? Et si quid reprehensione digni in iis compererint, debito modo pro qualitate excessus vel defectus eos reprehendant censuraeque gravioris interminatione ceu stimulo ac calcari quodam ad sui correctionem instigent; vel vero si vitium eorum tantum sit, ut publicam animadversionem mereri videatur, censuram illius ad Synodum futuram differant?

Ut vero tum doctrinam, tum docendi facultatem Ministrorum et Rectorum eo commodius experiri ac censere queant, Ministrum quemque praesertim novitium concionantem et Rectorem examen instituentem coram audiant. Aedificia porro circa templa, domos Parochiales, scholas, sepulcreta perlustrent et si quid in iis desideratum fuerit, sub poena interdicendae functionis [2]) cum Pastoris tum Rectoris, adhibito etiam, sicubi opus est et licet, brachio seculari, auditoribus ad praefixum aliquem terminum instaurandum injungant.

Pastores denique et ipsi de suis auditoribus examinandi erunt, qualiter nempe ii se tum erga Deum, tum erga suos Pastores, tum denique erga se invicem gerant. Erga Deum, an in cultu Dei sint fervidi ac devoti; an concionibus et precibus frequentes intersint; an sacra Domini coena crebro utantur; an admonitiones aequo animo ferant inque pietate dietim magis magisque proficiant vel potius deficiant? &c. Erga Pastores suos, an digno eos honore afficiant; an salarium illorum integre et quidem tempestive iis administrent? &c. Erga se ipsos vero, an fraterno se invicem amore prosequantur; an disciplina inter ipsos politica vigeat et scelerati debito modo puniantur; an vero pecunia tantum mulctentur? &c. Et si quid inter illos minus recte ac ordinate fieri deprehenderint, illis exprobrent rectiusque eos instituant

---

[1]) Rectores vocantur hic in pagis et minoribus oppidis scholarum Magistri, quorum officium est in Templo coetui canendo praeire, in schola liberos auditorum ad rudimenta pietatis et linguae Latinae instituere.

[2]) Quum poena illa insolentior visa sit et saepe innocentes eo modo punirentur, usu sensim transiit in pecuniariam.

ac ut imposterum omnia meliori ordine ac decentius inter illos fiant, sub exasperatione disciplinae Ecclesiasticae eis injungant. Bona Ecclesiastica, si quae sunt, quorsum impendantur, diligenter exquirant et ab administratoribus rationem exigant, abalienata autem reposcant. De honesta Visitatorum tractatione Ecclesiae prospicere tenebuntur[1]), quibus tamen, quantum fieri potest, parcendum erit, ne nimiis expensis graventur[2]).

§ XI. Visitaturi cum effectu Dioecesium Seniores olim Principis armabant se mandato, jam vero Regii Gubernii, ut si qui temerarii ac reluctantes invenirentur, in ordinem redigi possent.

Tale est Mandatum, quod hic exhibeo.

Georgius Rakotzi, Dei Gratia Transylvaniae Princeps, partium Regni Hungariae Dominus et Siculorum Comes &c Fidelibus nostris universis et singulis spectabilibus, magnificis, generosis, egregiis et Nobilibus, Comitibus, Vicecomitibus et Judicibus Nobilium, Capitaneis, Praefectis Provisoribus, aliisque officialibus Arcium, Castrorum, Curiarum Nobilitarium, Tricesimatoribus, Teloniatoribus pontium, passuum, vadorum, viarumque custodibus, nec non prudentibus et circumspectis Magistris civium, Judicibus et juratis Civibus, quarumcunque Civitatum, Oppidorum, Villarum et Possessionum earumque Rectoribus et Patronis. Praeterea Pastoribus et Ministris Ecclesiarum quarumvis orthodoxarum, partim in Tordensi et Albensi Transylvaniae, signanter vero in de Küküllöiensi Comitatibus constitutis et commorantibus, praesentes nostras visuris, Nobis gratis, salutem et favorem!

Quoniam Nos ad confusiones et multiplices errores, ministrorum verbi Dei persecutiones libertatisque eorum perturbationes tollendas, quae in Ecclesias partim propter docentium quorundam vitam dissolutam et doctrinam orthodoxorum etiam nonnullorum, ab analogia orthodoxae Fidei discedentem, partim vero propter Verbi divini contemptum et ingratitudinem auditorum bona Ecclesiastica abalienantium et ad se rapientium, deinde vero ad profanos usus convertentium, irrepserit. Honorabilem Mosen Patakfalvi, Ecclesiae Sövényfalvensis pastorem, Ecclesiarum orthodoxarum in eodem Comitatu de Küküllö Seniorem, in medium vestri ea ratione emittere duximus, ut Ecclesias vestras orthodoxas visitet earumque pastores de doctrina, vita et moribus diligenter examinet simulque convocato etiam si aliter fieri nequiverit coetu, fide mediante, ecclesiastica bona antiquitus ad Ecclesias collata, una cum libertatibus, domibus Parochialibus ac Ministrorum Rectorumque proventibus cognoscat, praesentia stabiliat, confirmet, quovis modo abalienata repetat, recuperet et

---

[1]) Saepe aediles seu bonorum Ecclesiae procuratores occasione arrepta ipsi quae consumunt, visitatoribus adscribunt, fecisse impensam &c., unde etiam expensa visitatoribus impendenda a Sup. Consistorio circumscripta est.

[2]) Canon LXXXVIII,

restituat. Cumprimis vero salarium sigillatim seu ut vocant capitatim persolvi debitum a quibusvis conjugatis, etsi plures in una familia sint ac cohabitent, diligentissime exigat. At ea, quae a Majoribus nostris viris piis et religiosis ordinata fuerant, in novum, pristinum ac legitimum usum revocet. Templa et alia aedificia ecclesiastica, per quorumlibet negligentiam collapsa, erigi aut saltem restaurari curet. Et si qui talia bona abalienata aut temere divendita remittere recusarint, eos cujuscunque status et conditionis homines fuerint, Comitibus etiam, Vicecomitibus et Judicibus Nobilium, opem et auxilium annotato Seniori ferre debentibus, primo quidem duodecim, deinde secundo viginti quatuor florenis mulctet praesentium harum Nostrarum vigore. Denique temerarios in curiam nostram, ubi post talis causae fieri de jure decisionem, debita contumaciae ipsorum poena irrogabitur, ad diem decimum quintum a die hujusmodi Visitationis computando, vigore praesentium evocet atque citet. Tandem vero ministris iis, qui videlicet dissolutam agendi vitam aliis scandalo essent vel de aliquibus orthodoxae Fidei articulis perperam sentientes, doctrinam pravam discriminarent, vel qualitercunque ab analogia orthodoxae Fidei discederent remotis, Pastores pios et sacrorum a Deo institutorum fideles administratores, sed tales qui in Plebaniam vocati fuerint legitime, suscipiat et surroget. Secularis conditionis hominibus, si quid praetensionis contra cleros habuerint, justitiam administret neque eosdem quispiam alibi, quam coram praefato Seniore ipsorum, in jus convenire, turbare et molestare praesumat, ne libertas Ecclesiae a secularibus quoquomodo turbetur. Proinde vobis harum serie committimus et mandamus firmiter, ut dum et quandocunque dictus Moses Patakfalvi cum adjunctis sibi collegis vestri in medium venerit, eumdem una cum suis omnibus absque ulla tergiversatione procedere permittere; vocati in coetum sacrum convenire, legitimos usus et reditus Ecclesiarum ab antiquis bonis et patronis ordinatos ad requisitionem ipsius sine cunctatione remittere. Vos vero Comites et officiales subsidio adesse ac ubicunque locorum visitaverint, eisdem de victualibus honorifice prospicere modis omnibus debeatis et teneamini. Secus non facturi. Praesentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum in Civitate Nostra Alba Julia die X mensis Jan. anno Domini MDCXXXI.

Georgius Rakotzi mp. L.S.

Martinus Markosfalvi Secretar. mp.

Exemplar Mandati Regii Guberni Dioecesin visitaturo Seniori exhibitum est sequens:

Sacratissimae Caesareae Regiaeque Catholicae Majestatis Principis Transylvaniae Regium in Transylvania Gubernium! Spectabilibus, magnifico, generosis, egregiis, Nobilibus, agilibus Sedium Siculicalium in Transylvania supremis et subalternis officialibus praesentes visuris salutem

et gratiae Caesareo Regiae incrementum. Cum honorabilis Michaël Szent Királyi, Communitatis Ecclesiarum Helveticae Confessioni addictarum in sedibus Siculicalibus Háromszék Praeses et Senior, una cum suis confratribus Senioribus ad visitationem praefatarum Ecclesiarum exire contendat. Proinde universis praementionatis authoritate a sacratissima Caesarea Regiaque Catholica Majestate nobis clementissime tributa, hisce committimus, ut dicto Seniori una cum suis confratribus non solum ubique pacificum passum et repassum permittere velint, sed et omnem adsistentiam durante Visitationis suae cursu, et si quae pro Regulis eorundem canonicis instituendae fecerint correctiones, debitam Gubernialibusque Interdictis conformem opem praestare debent et teneantur. Sic facturis Praesent. Perlect. Exhibenti restitutis. Datum ex Regio Principatus Transylvaniae Gubernio Claudiopoli d. XII Oct. an. MDCCXX.

Sigismundus Kornis Gubernat. mp.

L.S. Samuel Köleséri secretarius mp.

§ XII. *Synodos convocare est Seniorum officium.* — Ad speciale Seniorum Dioecesium officium pertinet, Synodos suorum confratrum statis temporibus ad se vel in alium quempiam locum convenientem convocare et quidem ordinarie singulis quibusque annis terna vice, primo nempe vere circa diem Gregorio sacrum, proxima item ante generalem Synodum septimana, nec non ante festum Michaeli Archangelo dicatum. Extraordinarie vero si gravis aliqua ac urgens necessitas ingruerit, aliis quoque temporibus intermediis, in quibus causas matrimoniales et alias pro re nata incidentes controversias censurasque ecclesiasticas agitent, nec non noviter in opus Domini emittendos examinent, quos postea publico examini praesentent. Salva tamen in omnibus manente authoritate ac praerogativa generalis Synodi, ita ut difficilia quaeque et res arduas ad illius judicium referant causasque ad consistorium commune appellatas, cum tota serie transmittant. Inter caetera autem finaliter ac in perpetuum ullum ecclesiae Ministrum deponendi, proscribendi aut potestati civili tradendi, ut et communi decreto depositos aut relegatos reassumendi vel recipiendi potestatem, quae penes solam provincialem Synodum est, sibi minime arrogent. Nil quicquam gravioris momenti absque potioris suorum confratrum, Adsessorum cumprimis, partis consensu, et invito inconsultoque suo Superintendente, statuant vel faciant: cujus quidem judicium si aequum ipsis censebitur sequantur, sin minus negotium totum Synodi generalis arbitrio definiendum relinquat.*

Si quid vero tale proprio affectu attentaverint, confratres ipsorum communi consilio placide ac absque omni rancore debita cum reverentia

(*) relinquant (ed.)

admonendi ipsos jus et potestatem habeant, et ni illos audiant, ad Episcopum tandem et generalem Synodum collegiumque Seniorum rem deferre impune eis liceat. Quin imo privatas quoque injurias a Seniore factas unicuique Ministro, si caeteri causam ejus ob respectum aliquem apud illum agere recusarint, ad Episcopum referre fas erit; qui postquam illum nec quicquam monuerit, communicato tandem cum reliquis Senioribus vel tota etiam universitate negotio, si monitis quoque illorum minime paruerit, de officio Senioratus seu dignitate inspectorali si non etiam pastorali dejiciatur [1]).

§ XIII. *Eruditio Ministrorum.* — Tertio. Pastores seu ministri Ecclesiarum jam sequuntur exhibendi. Qualiter in Synodis generalibus facultatem ministerium exercendi accipiant, superius exhibuimus [2]). Jam reliqua, quae sunt officii eorum ex Canonibus Ecclesiasticis, interspersis ubi necesse erit illustrationibus, trademus.

De Ministrorum eruditione.

Quoniam Ministri Ecclesiarum sunt doctores et ductores populi, oportet eos, si non solida, saltem mediocri literatura ac eruditione praeditos, praesertim vero in divinis scriptis ac fundamentalibus fidei dogmatibus probe versatos ac institutos esse. Ut teneant hypothesin seu expressam formam sanorum verborum, sciant recte secare verbum veritatis, ac proinde sint apti ad docendum. Alioqui idiotae, qui et ipsi gnari sunt, alios docere haud poterunt, sed idem iis accidet quod Christus alicubi dicit: Si caecus caecum ducat, ambo in foveam cadent.

Priusquam ergo aliqui ad Ministerium sacrum admittantur, diligenter de doctrina ac eruditione examinandi sunt [3]). Et si rudes plane ac illiterati comperiantur, rejiciendi ac ad aliud vitae genus, nisi postmodum profecerint, remittendi sunt.

Quamobrem omnibus ad functionem Ecclesiasticam adsumptis serio injungendum est, ut sacra Biblia [4]), liturgiam ac commentarios Theologorum doctiorum celebriorumque in Vetus et Novum Testamentum sibi comparent, eos diligenter volvant ac revolvant: ut ex iis in dies magis magisque proficiant ac concionibus proprio Marte conscribendis asuescant. Libris vero necessariis carentes et discere plane nolentes post unam atque

---

[1]) Canon LXXXIX.

[2]) § VI. VII.

[3]) Examen emittendorum ordinarie fieri debet in Synodo Dioecesana ac tandem in Provinciali, ubi etiam manuum impositio fit.

[4]) Miserrimus ille est Bibliorum interpres, qui iis caret; a puero doctrinae Biblicae innutriri debet.

alteram admonitionem a ministerio tamdiu arcebuntur, donec sufficientem librariam supellectilem comparaverint et majores in Theologia profectus fecerint [1]).

De Ministrorum religione.

§ XIV. *Religio Ministrorum.* — Quoniam cura salutis auditorum secundum Deum ministris Ecclesiarum commissa est, priusquam ii aut emittantur aut jam emissi in aliquam Ecclesiam recipiantur, maxime si sint peregrini vel ignoti, inquirendum diligentissime est, an orthodoxae sint confessionis, ne quomodo sub ementito veritatis praetextu, falso aliquo dogmate suos auditores inficiant. Probandi itaque spiritus sunt. Nam multi pseudoprophetae exierunt in mundum, multique lupi rapaces latitant sub tegmine ovium; qui clandestine in ovile Christi irrepunt ac incautas oviculas, nisi observentur, depraedantur.

Quocirca Neophyti, utpote sacrificuli, Monachi aliique, qui sectam quamcunque deseruisse dictitant, ad Ecclesiae vel scholae alicujus gubernationem [2]) cito ac temere citra publicum generalis Synodi consensum, nequaquam sunt admittendi; verum circumspecte admodum ac magna cum prudentia, qui, quales et unde sint, disquirendum prius est, ac tunc demum, si nihil obstiterit, post publicam erroris sui recantationem in sinum Ecclesiae sunt recipiendi. Vagabundi similiter ac circumforanei certis ac indubitatis testimoniis destituti, tanquam suspecti, nulli officio sunt praeficiendi.

Non solum autem peregrini et erronei, sed et indigenae ex una dioecesi in aliam transmigrantes, nisi testimoniales de veritate doctrinae ac honestate vitae a suis Senioribus sub usualibus Dioecesium sigillis attulerint, nequaquam admitti debent. De Rectoribus scholarum eadem lex esto.

Quoniam Apostolus haereticos, convictos praesertim ac obstinatos blasphemosve, fugiendos esse jubet, nemo Ministrorum cum ejusmodi nimiam conservationem intimamque familiaritatem cum scandalo infirmorum colat, neve eos temere sine permissione suorum superiorum solenniter ad disputandum provocet. Alioqui qui semel atque iterum admonitus id ipsum tentare praesumpserit, a sua dioecesi ad generalem usque Synodum officio privabitur. Provocantibus tamen cum consensu eorundem ex verbo Dei placide ac modeste cuilibet respondere, multo vero magis discendi cupidos informare licebit.

Nulli, sive sit Ecclesiastica persona sive scholastica, aliquid contra

---

[1]) Canon. IV. V. VI.

[2]) Ubi diversae sunt Religiones, prout etiam in Transylvania, subinde ex antitrinitariis ministris Reformatam Religionem amplectuntur. Monachi etiam olim deposito cucullo eam sequebantur, nunc Mandato Regio acceptare eos aliae Religiones prohibentur.

fundamentales confessionis fidei articulos aut essentiales disciplinae Ecclesiasticae Canones in verbo Dei fundatos, publice vel privatim sub poena suspensionis ab officio, ad generalem usque congregationem docere fas erit. Quin nec in non fundamentalibus fidei aut disciplinae articulis privatam suam opinionem cum aliorum fratrum contemptu, Ecclesiae perturbatione aut infirmorum scandalo quisquam publice docebit, sed si gravem quendam scrupulum in conscientia habeat, eum coram Seniore ac Superintendente suo imprimis, mox et tota Synodo, humaniter Christianaque modestia ac decenti submissione proponere poterit, ut universum negotium ex sacris Literis disquiratur ac discutiatur. Is ergo non modo non contemnatur vel silentiun ei imponatur, sed et placide exaudiatur ejusque verba accurate pensitentur, quae si idonea comperiantur, acceptentur; sin vero minus idonea, sed ex mera curiositate Scripturis repugnante profecta vel scandalosa publicoque dissidio obnoxia judicentur, rejiciantur, ac serio sub poena canone proxime sequenti irrogata, ne ea in vulgus spargantur, inhibeatur. *

Nemo igitur vel in articulis fidei ac fundamentalibus Religionis Christianae capitibus, vel in ritibus ac cerimoniis externis sacramentorumque administrationibus, privata vel paucorum quorundam sibi adhaerentium authoritate vel publico scandalo, immutationem aut innovationem aliquam facere praesumat. Sed si quid omnino mutandum aut emendandum in ritibus fuerit, unanimi totius Ecclesiae nec non Principis [1]) ac statuum Evangelicorum Helveticae Confessioni addictorum consensu, in Provinciali vel vero Nationali Synodo fiat. Qui secus facere ausit, a suo Seniore accedente reliquorum suae Dioeceseos confratrum judicio ad universalem ejus Episcopatus, sub quo degit, Synodum, a functione arcebitur ac tunc demum si pertinaciter ei proposito inhaeserit, nec ullis admonitionibus ab ea recedere voluerit, in perpetuum deponatur [2]). Quod si vero fors partes in discrepantes abire sententias contingat, eo casu nihil in alterutrius partis praejudicium decernatur, sed antiqua constitutio in suo usu ac vigore permaneat [3]).

De legitima Ministrorum vocatione.

§ XV. *Vocatio Ministrorum.* — Sine vocatione legitima nullus mortalium Ministerium usurpare attentet, sed unusquisque vocationem a Deo per media expectet: neque enim quispiam sibi hunc honorem sumit,

(*) inhibeantur (ed.)

[1]) Tunc Princeps erat Reformatus cum canones ederentur, qui sua authoritate edito Diplomate istos confirmavit an. 1649.

[2]) Signum depositionis est amputatio vestium talarium et scissio pilei in partes, quod post latam sententiam illico fit.

[3]) Canones VII–XII.

sed qui vocatur a Deo sicut et Aron. Unde Deus graviter invehitur in illos Prophetas, qui non missi currunt et prophetant, cum non sit locutus ad eos. Quicunque ergo invitis Ecclesiarum antistitibus aut auditoribus sese obtruserint, tanquam fures et latrones, qui non ingressi sunt per ostium in caulam ovium, sed aliunde ascenderunt, ignominiose extrudantur.

Vocationem autem debent habere duplicem: internam nimirum et externam. Internam a Deo per Spiritum Sanctum, corda eorum ac voluntates ad sponte obeundum sacro sanctum Ministerium efficaciter flectentem. Externam autem ab ipsis presbyteris, seu praestantibus tum pietate tum dignitate Ecclesiarum civibus, consensu tamen plebis quoque Christianae minime excluso [1]).

Utramque tam internam quam externam vocationem habentes, mitti tandem ab universa Ecclesia ejusque praefectis communibus votis ac suffragiis debent, praemisso publico doctrinae ac vitae ipsorum examine, ordinatione item solenni ac manuum impositione confirmata cum plena praedicandi verbum Dei ac administrandi sacramenta potestate [2]). In cujus majorem fidem ac certitudinem publico Ecclesiae testimonio, authentico Universitatis sigillo ac manu Episcopi propria roborato ordinandi sunt. Quod quicunque ignoti praecipue ac proinde suspecti producere nequiverint, nuspiam recipiendi erunt.

Interim tamen Seniores perspectae pietatis et notae eruditionis fratres, postquam privatim ab ipsis probe examinati fuerint, etiam ante judicium Synodi generalis, ad opus Ministerii, verbi praesertim praedicationem emittere possunt; sed a sacramentorum administratione, antequam rite ordinati fuerint, abstinere debebunt, nisi singulari aliqua de causa ob praesentissimam ac urgentissimam quandam necessitatem, si scilicet vel alii Ministri, quorum opera in ea uti possent, ab ipsis remotiores, vel vero ab adversariis undique cincti sint, a tota Dioecesi facultatem obtinuerint, si quidem ii stipulata manu se in futura Synodo processuros seque publico examini stituros sancte promiserint [3]).

Nullus ergo Ministrorum vel prece vel precio locum sibi aliquem emendicare, vel seculari potestate violenter quasi occupare ac se obtrudere, vel denique aliis supplantare malisque artibus eos Parochiis suis clandestine exturbare attentet. Alias quicunque hujus tam nefandi sceleris certo convicti fuerint, poenam talionis sustinebunt, hoc est, intra unius ad minus anni spatium parochia destituentur [1]).

---

[1]) Abusus in vocatione Ministrorum est, cum saepe Nobiles vel Possessores Domini, non requisito Con-Possessorum consensu suos clientes in Parochiam introducunt, variaque senioribus Dioecesium negotia causantur.

[2]) Fit in synodo generali, vidimus superius § VI & VII.

[3]) Tempore pestis et bellorum deficientibus Ministris per manuum impositionem, non statim alii substitui possunt; cum ea fieri assolet in Synodo generali; illa vero coire non potest.

Quaemadmodum nemini, etiam legitime vocato, in Ecclesiam aliquam pastore illius nondum terminante irrumpere, sic neque suam ante exactam anni sui periodum temere et cum injuria suorum auditorum deserere, sub poena annuae depositionis licebit, nisi id gravi aliqua de causa jussu suorum superiorum faciat: iis namque authoritas a sancta Universitate datur, Ministros eximiis donis ornatos, summa Ecclesiae alicujus necessitate sic postulante, etiam ante anni sui terminum loco movendi, in eamque alio quodam idoneo suffecto transferendi; quibus etiam absque omni tergiversatione, si non evidens aliqua impossibilitas eos impediat, sub amissione officii parendum ultro erit[2]).

Quilibet igitur, cujusvis Ecclesiae Minister terminum anni sui auditoribus suis, vel ipsemet immediate a concione, vel per tertias (ut loquuntur) personas vel vero per literas, prout antiqua loci consuetudo requirit, mature significet[3]), et si ii ulterius quoque operam ejus expetiverint novamque ei vocationem honeste obtulerint, ac animus ei tulerit, loco manere licebit. Sin vero contenti ejus Ministerio, ei renunciaverint, scitu sui Senioris, aliis, a quibus acceptabitur ac vocabitur, se obstringere libere poterit, nec Senior legitimam ejus vocationem, nisi ob grave aliquod scandalum ac Ecclesiae detrimentum praecavendum impedire debebit.

Ministris novellis, quorum ordinationem auditores suis sumptibus procurarunt[4]), eruditioribus quidem biennii, tenuioris autem eruditionis triennii spatio, si sic optaverint sique dignos eis honores exhibuerint ac debitum salarium juste persolverint, in eo loco in quem primum emissi sunt permanendum erit. Qui ergo ante id tempus locum illum invitis auditoribus deseruerint, aut redire a suis Senioribus cogantur aut si id nolint, etiam eo, in quem transierunt, loco excludendi sunt.

Cautum etiam sub poena severae correptionis est, ne quispiam Ecclesiam alienam, absque venia sui Senioris vel consensu Pastoris illius vel vero necessitate aliqua inevitabili, temere invadat, falcemque suam in messem alterius vel docendo vel conjuges copulando vel vero sacramenta administrando immittat, sed unusquisque intra limites vocationis suae se contineat. Qui identidem duabus tribusque admonitionibus spretis, id ipsum factitavit, sua quoque Ecclesia privabitur. Si tamen absente pastore

---

[1]) Evenit aliquando iste casus, cum Ministri inquietioris ingenii se aliis subdole insinuant, quamvis sit rarior.

[2]) Rarior etiam hic est casus, cum vocatio Ministrorum ex usu sit penes Ecclesiam, nec Senior nolenti quemquam obtrudere possit.

[3]) Consuetudo ea significandi terminum adventantem cessavit; auditores tamen norunt terminum, quo si ejus opera placuerit nova illis vocatio offertur. Neque ea ubique obtinet consuetudo.

[4]) Tres tunc offeruntur floreni cum in Synodo ordinantur ab Ecclesia: insuper fit sumptus tempore introductionis in Parochiam, ad vecturam, victualia &c.

infans aliquis recens natus moribundus sit, illum baptizatum, vicino ob id requisito, juxta consuetudinem hactenus observatam, transire fas erit. Optimatibus quoque sacra celebratum absque injuria ac despectu Pastorum suorum, viros eximios aliunde accersere licebit [1]).

Ut nullum Pastorum, invito ac repugnante populo, Senior Dioeceseos obtrudere, sic etiam populus neminem eorum invito Seniore conducere ac introducere potest. Pastoribus quoque omnibus stricte interdicitur, ne etiamsi alio vocentur, absque scitu ac permissu sui Inspectoris, operam aliis absolute addicat, sed ea conditione, si is assentiatur, ut is cum praecipuis suis confratribus, an ille eo loco sit dignus, dijudicare queat. Quicunque ex mera contumacia et contemptu disciplinae, non vero ex simplicitate vel ignorantia, contrarium perpetraverit, etiamsi non omni, ea tamen, cujus ministerio, inscio ac invito suo Inspectore, se addixit, Ecclesia destituatur; ut tum ipse inobedientiae, tum populus refractarius despectus sacri regiminis poenam luat. Idem tamen hic quoque quod in XIX Canone Seniori praescribitur.

Pii verbi Ministri, si honestum salarium, quo se suosque frugaliter sustentare poterunt, suppetat, laboremque suum auditoribus gratum ac utilem esse in Domino agnoscant, loca sua frequenter mutare haud debebunt; ne proprium commodum magis quam Ecclesiae emolumentum quaerere existimentur [2]).

Si quis semel ex concessu sui Senioris alicui Ecclesiae operam suam stipulata manu vel verbali obligatione promiserit, et interim gratiore aliquo opimioreque loco ipsi oblato, cum priore illo posthabito, amplectatur ac fidem suam datam fallat, ei tanquam mercenario neutrum eo anno adire licebit.

Quicunque alibi minus grati atque accepti, ut eo magis animos auditorum ad se allicere ac facultatem apud eos manendi ab illis impetrare possint, nonnihil ex ordinario stipendio remiserint, atque sic publicum Ecclesiae reditum, ob privatum suum commodum, clam et fraudenter diminuerint, usque ad tempus Synodi generalis, tanquam fures boni Ecclesiastici a functione sacra arcebuntur. Si qui tamen Patronorum ex sua munificentia aliquanto plusculum cuidam singulari dono praedito contulerit, id statim pro ordinario ac debito salario reputandum non erit.

Si quis porro Ecclesiastarum vineas parochiales sua culpa neglexerit

---

[1]) Magnus est hodie inter Magnates abusus cultus sacri, qui etsi templum in Civitate, oppido, vel pago, ubi commorantur, adsit, tamen adire non aut raro solent, sed in aedibus suis cultum peragere publicum, atque ita quot sunt toties ministrum de die fatigant.

[2]) Salarium V. D. Ministrorum valde quam coepit imminui in Transylvania, cum Decimas aut Decimarum Quartas a piis olim Principibus aut Ecclesiarum benefactoribus collatas violenter Catholici aut detinent aut intercipiunt. Exempla undique prostant.

incultasque reddiderit, justa aestimatione facta damnum ab ipso successori illatum eidem refundere tenebitur, nec prius illinc dimittendus est, quam ei exacte satisfecerit; ut habeat is, siquidem vinearum cultura ipsi incumbit, unde illas neglectas denuo excolere possit. Idem justa aequabilitas a civibus quoque seu incolis, si vineae eorum incuria sterilescant, exigit. Novus tamen interim minister, sub certa satisfactionis spe, intromittendus erit.

Parochiales itidem domos, cum annexis aedificiis, utpote hortis, horreis, stabulis et aliis, quicunque Ministrorum vel studio destruxerint, vel eas deserendo inque proprias, quas forte ibi loci habent, transmigrando neglexerint ac desolari permiserint, ruinam omnem aequum est, ut ipsi aere proprio restaurent. Quod ni sponte fecerint, ex salariis eorum, authoritate Senioris, secundum aestimationem damni detrahatur, ac in manus Aedituorum tradatur. Illinc autem alio concedentes* ac inquilinos in aedibus suis relinquentes, ii more aliorum incolarum, quod justum est, pro sua facultate ac substantia pastori illius Ecclesiae reddere tenebuntur; at pastores ipsimet, sive ibidem vacantes ac commorantes, sive alibi ministerio fungentes, a solutione salarii immunes sint.

Priusquam alicubi Pastoribus praecedentibus plenarie persolutum fuerit, sive ii jam parochiis illis emigrarint, sive adhuc illuc commorentur, novi interim sub poena suspensionis annuae ab officio nequaquam supervenire iisque succedere ausint. Idem de scholarum quoque Rectoribus statutum sit.

Quin imo auditores quoque male erga Ecclesiam affecti contemptimque ministerium habentes, qui vel ob correptionis impatientiam vel levem aliquam ob causam ministros exploratae fidei ac integrae vitae, ante completum anni sui terminum a se relegant, nisi justam eamque sufficientem facti sui rationem apud Seniorem vel coram Synodo reddiderint, ministerio aliquamdiu privandi sunt, praesertim si periculum nullum ne a fide deficiant, exstiterit[1]).

Si quis Ministrorum semestri ad summum spatio ante completum anni sui terminum e vivis excesserit, Senior illius, si sine maxima auditorum injuria ac summo Ecclesiae incommodo licuerit, ex fraterna paternaque commiseratione residuam anni partem per vicinos suos confratres expleri curet, ut vidua ejus proventum annuum integre percipere seque ac misellos suos orphanos exinde alere queat.

Ecclesias vicinas, quae solae pastores alere possent, nemo cum injuria Ministrorum inopum, lautioris stipendii ac quaestus causa ad se

---

* consedentes (ed.)

[1]) Poena haec non gravat nocentes, qui vilipendunt cultum sacrum, eoque libenter carent; adeoque sensim fere sublata est.

rapiat [1]). Propter defectum tamen Ministrorum vel paupertatem colonorum vel alia aliqua justa de causa, ex assensu Dioeceseos vel consuetudine jam inveterata, unus Pastor duabus, tribus aut etiam pluribus Ecclesiolis ministrare poterit, modo ne is rei suae familiari augendae, sed gloriae Dei ac saluti auditorum promovendae praecipue intentus sit.

Filiales a Matribus (ut vocantur) Ecclesiis separare, easque vel Matres constituere, vel iterum aliis annectere, ne totius quidem alicujus Classis seu Dioeceseos voluntati ac arbitrio permittitur, sed id universalis Synodi judicio, accedente quoque ad id patronorum ac plebis consensu, sub poena gravis animadversionis reservari jubetur.

Pastores ejusmodi Ecclesiis inservientes, quae alias collegas seu Pastores secundarios alere solitae sint, ut ea consuetudo abrogetur nullatenus, quantum in ipsis est, patiantur, nec quisquam eorum onus et munus collegae in se recipiat proventumque illius percipiat. Alioqui si temere quispiam id facere praesumpserit, proventus ille per suum Seniorem, assentiente Classe seu Dioecesi potiorique auditorum parte, ei adimatur, ac in usum aliquem Ecclesiae necessarium conferatur.

Hactenus Canones [2]) de iis quae circa Vocationem Ministrorum contingere solent occurrentiis tractarunt; jam sequitur ut ea videamus quae pertinent ad eorum Functionem [3]).

De assiduitate docendi.

§ XVI. Meminerint pastores Ecclesiarum, se non ad ignavum otium, nec externam rusticationem. sed ad laborandum in agro ac messe Domini e promiscua plebe evocatos esse. Summa igitur ope contendant, ut officium quam fidelissime faciant diligentissimeque doceant. Vae enim illis nisi evangelizaverint! Et maledictus, qui fecerit opus Domini fraudulenter. Desides itaque et laborem docendi, cum recte valeant ac dono docendi polleant, subterfugientes, ac inani otio torpescentes, aut profanis negotiis tempus impendentes, tanquam ignavi fuci ac mercenarii inutiles, e parochiis ejiciendi ac sine testimonialibus relegandi sunt.

Honesti tamen interim manuum labores, si urgens aliqua necessitas postulet, modo ne in iis modum excedant neque functionem suam sacram eorum causa negligant, Ministris verbi ad exemplum Pauli concedi possunt, utpote vineolae alicujus sive propriae sive Parochialis cultura, nec non recreationes inculpatae [4]). At nimium insatiabileque agros vine-

[1]) Raro contingit ut duae combinentur, nisi incolis deficientibus, sed contrarius invasit auditores pruritus, ut filias a Matribus separare conentur; unde evenit ut Ministri ad summam deveniant paupertatem, cum iis alendis auditores non sufficiant.

[2]) Canon XIII usque ad XXXIII.

[3]) a Canone XXXVI usque ad LXXXV.

[4]) Rari sunt, qui oeconomicas istas occupationes praeterfugere possint, quoniam deservientes altari ex eo sufficienter non aluntur. Attendunt tamen ne occupationes externae ecclesiasticis eorum officiant functionibus.

asque colendi studium, ut et discursitationes crebrae minusque necessariae. Dominicis praesertim diebus serio iis prohibentur, et si qui eorum non semel a suis superioribus objurgati, eas nihilominus frequentare haud intermiserint, nulla iis imposterum Ecclesia erit adsignanda. Nemo enim, qui manu sua admota aratro respexerit ad ea, quae retro sunt, appositus est ad regnum Dei.

Qui vero ministerii pertaesi et amore hujus seculi instar Demae illecti, etiamsi vocatio honesta, ut et facultas fungendi ipsis haud desit, stationem suam nulla justa de causa deseruerint, ac vel domi suae delituerint, vel oeconomiam turpemque aliquem quaestum exercuerint, si omnino ad functionem suam continuandam animum applicare renuerint, communi totius Synodi generalis judicio ab omnibus prorsus sacris arceantur, solenniterque tanquam perfidi ordinis sui desertores excommunicentur ac pro ethnicis publicanisque habeantur.

Pro concionibus autem habendis, materias seu loca ex scriptis Prophetarum, Apostolorum et Evangelistarum canonicis assumant seu praelegant eaque praemisso exordiolo, textui ac tractationi accomodato, breviter quidem, sed clare ac nervose explicent, et sensum eorum genuinum ostendant, similitudines et allegorias, sicubi occurrunt, diligenter expendant sensumque mysticum luculenter exponant, dubia ex verbis enascentia enodent, contrariam expositionem refutent, ac sic demum cum textum secundum omnes ejus partes satis dilucide ac perspicue interpretati fuerint, Locum communem seu doctrinam ex ipsis textus visceribus ultro quasi emergentem eruant, illamque ex Scripturis si sit dubia sufficienter confirment adque usum auditorum, institutionem nempe consolationem et correctionem nec non ad falsi dogmatis, si locus sit controversus, redargutionem accommodent, ac denique applicatione ad circumstantias loci, temporis, personarum ac status, conditionisque ecclesiae, vel Reipublicae praesentis facta, cum brevi ac summaria praecipuorum capituum repetitione, pio aliquo voto ac doxologia concludant.

Non quaelibet Scripturae loca a quibusvis et inter quosvis sunt tractanda, sed unusquisque concionatorum pro mensura fidei, quae in ipso est, et ratione capacitatis auditorum suorum, materiam suis viribus aptam captuique populi accommodatam enarrandam proponat.

Praeter Evangelia Dominicalia, ut vocant, quae et ipsa interdum magno cum fructu ac utilitate vulgi explicari possunt, textum tempori et occasioni convenientem vel ex Prophetiis Veteris, vel vero ex historiis Evangelicis ac epistolis Apostolicis Novi Testamenti, non solum profestis sed et Dominicis diebus, pastores depromere ac exponere debent, ut tum ipsi, tum auditores ipsorum ex variarum materiarum Theologicarum investigationibus in caelestis doctrinae cognitione in dies magis magisque proficiant.

Singulis septimanis ordinarie quaternae [1]): Dominicis nempe diebus binae, Mercurii vero ac Veneris, ut gentilium more vocantur, diebus, vel aliis quibusdam, pro locorum consuetudine, singulae conciones habendae sunt, sermone quidem culto et terso, sed non nimis polito ac picto, verum populari ac perspicuo, ad aedificationem, non vero ad ostentationem composito, earumque quaelibet non ultra unius horae spatium protrahenda, ne tum concionatoribus spiritus exhauriantur, tum vero auditoribus taedium pariatur. Sicubi tamen plures hactenus conciones antiquo usu haberi solitae sunt, habeantur et imposterum, licet [2]).

De correptione delinquentium.

§ XVII. Eos, qui cum publico scandalo peccant, fideles animarum Pastores publice etiam et quidem praesentes arguere coram omnibus tempestive et intempestive absque omni personarum respectu debent, ne pro canibus mutis latrare non valentibus habeantur. Non tamen ex affectu aliquo pravo ob offensam aliquam privatam, sed ex pio gloriae ac legis divinae zelo, nec tam ex odio personarum quam vitiorum, nec ex levi aliqua suspicione aut susurronum quorundam delatione, sed ex certa hominum integerrimorum relatione, nec porro cum denominatione personarum, nisi notoriarum ac manifestissime sceleratarum; nec denique nimis rigide ac duriter, eo vero minus obscoene, sed cum omni animi patientia, lenitate ac eruditione verbisque castis ex Scriptura desumptis, ut eo efficacius corda eorum moveantur patientiusque ferant. Alioqui plus nocebunt, quam docebunt: plus etenim plerumque monendo, quam minando, plusque lenioribus verbis quam nimis asperis efficitur. Secus temere facientes gravem Ecclesiae animadversionem sustinebunt [3]).

De exclusione impoenitentium et admissione poenitentium alibi [4]) scriptum est. Sequitur Refutatio Adversariorum.

§ XVIII. Dogmatis erronei confutatio, cum textus ipse pro concione adsumptus praesentissimam suppeditat occasionem, ibi potissimum instituenda est, ubi periculum est, ne eo auditores inficiantur; non vero ubi nulla requirit necessitas, haeresibus jam sepultis in silentio relictis, ne ipsa refutatione eae quasi refricentur ac ab orco revocentur; idque ea verborum adhibita moderatione, ut non tam personarum, quam errorum odio instituta esse videatur; nec adversariis errores, quos non docent, calumniose sunt affingendi, nisi forte ex iis, quae docent, apertissime

---

[1]) Jam cessat illa consuetudo, habentur conciones diebus Dominicis, raro aliis nisi funebres; nec erat labor supportabilis uni Ecclesiastae quatuor ordinarias conciones in septimana habere, et incidentes quandoque funebres, ac praeter eas ad preces communes bis de die cum populo in Templo comparere.

[2]) Canon XXXVI—XLII.

[3]) Canone XLIII.

[4]) Supra Lib. II Cap. XIII. § 19.

consequantur; nec denique omnes et singulae eorum objectiones, sed praecipue* duntaxat, in quibus fundamentum suae causae ponunt, dissolvendae sunt. Integra namque erroris alicujus refutatio, ex professo, scholis reservanda est[1]).

De precibus instituendis cum capitum Bibliorum lectione.

§ XIX. Preces publicae singulis diebus profestis, nullis vel ob mercatum vel aliam quampiam causam exceptis, in quibus scilicet conciones non habentur, binae unicuique Pastorum in Ecclesiis suis frequentioribus praesertim habendae sunt, matutinae videlicet hora sexta et pomeridianae hora secunda, vel alia quavis pro consuetudine loci. In quibus vero conciones mane instituuntur, unae tantum vespertinae nimirum. Negligentes graviter imprimis a suis senioribus objurgandi, postea vero increpandi, ac tunc demum, si ne sic quidem officium fecerint, animadvertendi etiam sunt.

Precum publicarum eadem ubique forma retinenda nec ea uspiam varianda est, ut tum unitatem ac concordiam nostram homines exinde conspiciant, tum etiam facilius preces publicas addiscant, ac de loco in locum migrantes cum ejus loci fidelibus devotius precari possint. Variatio siquidem verborum devotionem precantium nonnihil impedire solet. Publicis tamen et quotidianis precibus pro ratione temporum ac statuum necessitatumque specialiter incidentium peculiares quaedam formulae annecti possunt ac debent[2]).

Constitutum etiam pie admodum est, ut post singulas preces publicas singula itidem capita biblica publice e suggesto a Ministris populo praelegantur, et quidem post matutinas ex Veteri, post vespertinas autem ex Novo Testamento, juxta ordinem sacrorum librorum, quibus ad calem** usque perlectis, denuo iterum ad principium redeundum, ac sic perpetua serie lectio illa sacra in Ecclesiis continuanda est; ut ex frequenti divinarum literarum auditione fideles in coelesti doctrina ac pietate christiana salutariter quotidie proficere queant. Quicunque ergo verbi preconum opus tam pium tamque sanctum continuare temere neglexerint, gravem Ecclesiae censuram haud subterfugient.

Quia omnis noster labor a precibus inchoandus et gratiarum actione

---

* praecipuae (ed.)

[1]) Canon XLV.

[2]) Alio nunc sunt genio et ingenio auditores, qni facile Ministros easdem preces saepius repetentes contemnunt. In Hungaria e libris certas precum formulas praelegunt. In Transylvania Pastores ex memoria semper precibus populo praeeunt, conformantque eas plurimi Psalmo in coetu tunc decantato, ex tempore: quibus vero ea facultas non suppetit, certas precum formulas memoriae impressas recitant.

** calcem (ed.)

finiendus est, conciones quoque suas Pastores precibus et gratiarum actionibus incipere ac finire debent, et quidem verbis non in tertia persona indirecte, sed in secunda semper directe ad Deum conversis; nec in iis sint nimis battologi, tautologi et polylogi seu multiloqui, quae Christus Dominus expresse vetat, sed eas breviter et nervose efficacibusque verbis concipiant ac recitent, non vel intra se demurmurando, vel nimis alte cantillando, vel vero perfunctorie tantum ac celeriter deblaterando, sed moderata audibilique vocis elatione distincte, clare ac devote, ut coetus quoque sacer eos in orando sequi et assequi possit [1]).

De officio Catechizandi.

§ XX. Quia Catechismus est isagoge seu introductio quaedam ad Christianismum, is non solum in scholis pueris, sed et in ecclesiis puellis ac femellis diligenti studio inculcandus est. Stricte omnibus et singulis Ecclesiarum Ministris publico decreto, sub poena amotionis ab officio, injungitur, ut ad minus semel singulis septimanis, statis ac usitatis horis, pro locorum commoditatibus, puellas publice in Templo finita concione aut oratione catechesin doceant; ut ex ea tyrocinia Christianismi cum lacte quasi materno imbibant ac praecipua doctrinae Christianae capita a primis velut cunabulis addiscant atque sic rationali sinceroque sermonis lacte enutritae in dies magis magisque adolescant, donec tandem solidioris quoque doctrinae cibis capaces esse possint. Oportet autem catechesin unam eandemque ab omnibus Ecclesiasticis doceri, ne mutatione illius tenera ingenia perturbentur profectusque eorum impediatur [2]).

De Sacramentorum administratione in genere.

§ XXI. Quoniam sacramenta sunt cerimoniae divinitus institutae adeoque pars cultus necessarii, nihil illis humana authoritate vel addi vel adimi debet: frustra namque Deus praeceptis et traditionibus humanis colitur, nec per illas in cordibus hominum efficaciter operari vult, cum sint merae ἐθελοθρησκειαι, quae speciem quidem habent sapientiae, sed revera sunt idololatriae ac superstitionum fomenta. Quapropter nemo ministrorum quicquam earum in administratione Sacramentorum adhibere sub poena in Canone duodecimo posita ausit, sed unusquisque ea nude ac simpliciter, prout a Christo sunt instituta et ab Apostolis apostolicisque viris administrata, administret, ut dicere bona fide cum divo Paulo possit: Ego sic accepi a Domino, et sic etiam vobis trado. Neque enim homines Christo, Dei sapientia, sapientiores sunt, nec Dei mandatum traditionibus hominum irritum faciendum est [3]).

---

[1]) Canon XLVI—XLIX.
[2]) Canon L.
[3]) Can. LIV.

De administratione baptismi, sacrae coenae, copulatione neogamorum alibi[1]) actum est.

De pia et honesta Ministrorum conversatione.

§ XXII. Ministros verbi oportet vitam sanctam et inculpatam vivere, quae doctrinae ipsorum examussim respondeat illiusque sit vivum quasi exemplar. Vita autem Ministrorum inculpata consistit maxime in pia ac honesta conversatione. Piam autem et honestam conversationem Pastores debent habere cum suis tum auditoribus, tum symmystis, tum ludimoderatoribus, tum vero domesticis. Cum suis auditoribus, ita ut inter illos et erga illos ne sint nimis morosi, biliosi, rixosi, litigiosi, impatientes, sed comes, mites, blandi, compositi, affabiles, irreprehensibiles, a pugnis alieni, injurias personales imprimis aequo animo ferentes, paterno amore eos prosequentes et debitum unicuique eorum honorem exhibentes, seniores hortantes ut patres, juniores ut fratres, mulieres natu grandiores ut matres, juniores ut sorores cum omni castitate. Cum suis symmystis autem, ne intestinam alant simultatem, eo vero minus palam hostiliter concertent, vel convitiis se mutuo proscindant; sed fraternam potius colant concordiam, eosque reverenter observent, non traducant, sed infirmitates eorum pallio charitatis tegant; simpliciores eruditioribus non invideant, nec procaciter eis detrahant, sed donum Dei in illis insigne honorent; eruditiores vicissim donis Spiritus sancti non efferantur nec simpliciores prae se contemnant aut derideant, sed eos potius instituant ac, quantum in ipsis est, rationibus illorum promovendis studeant. Cum ludimoderatoribus porro, tanquam collegis, ut eos nulla in re defraudent, sed quicquid iis de jure debent, sive partem aliquam salarii, sive vero honorem personis ipsorum competentem ex communi justitiae regula ipsis reddant: indebitum ab iis vel eorum discipulis officium cum jactura ac impedimento studiorum ne exigant, nec ullam justam iis conquerendi ansam et causam praebeant. Cum domesticis denique, inter quos caveant, ne sint nimis iracundi, jurgiosi, severi, maledici, percussores, implacabiles, tenaces, sed moderati, placidi, pii, a jurgiis alieni, frugales, familiam honeste alentes ac liberos in timore Domini educantes. Nam si propriae domui praeesse nesciant, quomodo Ecclesiam Dei curabunt? In summa: Toti in id incumbant, ut illis omnibus pietate morum ac integritate vitae, facis instar, praeluceant eosque ad studium virtutum exemplo suo post se trahant. Contraria facientes, a suis Superioribus bis terve, si ita visum fuerit, objurgati morem gerere nolentes, censuram Ecclesiae mitiorem vel severiorem pro facti vel dicti qualitate sustinebunt[2]).

[1]) Lib. II. Cap. XIII.
[2]) Canon LXXIX.

De aversatione occupationum secularium.

§ XXIII. Cum Ministri Ecclesiarum ab aliis hominibus sint quasi sequestrati, necesse admodum est, ut omnes eorum vanitates summo studio aversentur, neque seculo huic sese configurent. Politicis itaque officiis ac negotiis se non implicent, πολυπραγμοσυνην tanquam pestem fugiant; ab usuris lege Dei vetitis sibi caveant; nullum quaestum vel ex vino vel ex frumento vel ex pecoribus pecunia emptis vel ex aliis quibusvis mercibus exerceant, sed ex solo Evangelio ceu altari, cui inserviunt, vivant [1]). Propria tamen sua bona vel ex oeconomia vel ex stipendio provenientia distrahere ipsis nefas non est.

Canes venaticos et accipitres non alant, nec sclopetis feras investigent [2]). Piscatores namque hominum et non venatores aut aucupes a Christo constituti sunt. Causarum forensium defensionem pro secularibus nullatenus suscipiant, nisi forsan pro Ministris aut ludimagistris in summa necessitate constitutis [3]). Cantiones scurriles neque edant neque cantillent, libellos famosos pasquillosque minime spargant, aliena ad se non rapiant, a choreis ac saltationibus histrionicis abstineant; testudine cytharisque non ludant; digladiationes et ex eis oritura homicidia, spontanea nimirum et innoxii sanguinis effusione facta (nam vim injustam per modum inculpatae tutelae repellere, lex naturae Ecclesiasticis quoque non prohibet), convitia item praesertim blasphema illa spiritui impacta, mendacia crassa, perjuria verbis: sic me Deus adjuvet, futiliter prolata, imprecationes diras, furta denique et id genus alia studiosissime evitent. Alioqui gravissimam Ecclesiae censuram pro qualitate delicti, sive factis sive verbis perpetrati, minime subterfugient, sed vel ab officio sacro ad tempus amovebuntur, ut foeneratores, quaestuosi, caupones, scurrantes, chorearum ductores, digladiatores, blasphema convitia usurpantes, pejerantes &c.; vel etiam solemniter excommunicabuntur, ut contumaces et temerarii legum contemtores ac nulla alia disciplina in meliorem mentem redeuntes, vel denique finaliter depositi, ut homicidae et fures manifeste convicti, civili Magistratui ad juste puniendum tradentur. Qui, ut et omnes alii capitali supplicio digni, etiamsi vita a Magistratu donentur, nunquam tamen amplius ad sacrum Ministerium sunt adsumendi [4]).

---

[1]) Hodie ita passim fere ubique imminuitur Ministrorum salarium, rapientibus ad se Romano Catholicis, ubi ubi contingere possunt, ut de altari cui inserviunt difficulter vivant, nisi ex honesta aliqua sibi prosperent oeconomia.

[2]) In Hungaria, maxime vero in Transylvania, venatus et aucupium rusticis quoque est liberum; facile occasio Ministros V. D. invitare posset.

[3]) Saepe necessitas cogit aliquem subire illud munus propter defectum procuratorum ordinariorum.

[4]) Canon LXXX.

De castimonia et sanctimonia Ministrorum.

§ XXIV. Quoniam Pastores sunt vel saltem esse debent lux mundi et sal terrae, castimoniam et sanctimoniam sectentur necesse est, non modo in factis, sed et in verbis. In factis quidem ne vel conjugum alienarum pudicitiae insidientur, eo vero minus illegitime cum iis congrediantur vel scorta ac concubinas alant. Sed unusquisque eorum, si se continere nequit, vel virginem castam vel vero viduam honestam eamque orthodoxam sibi in uxorem ducat, ut sit unius uxoris vir ac in conjugio sancto sancte vivat. Alioqui concubinatus ac scortationis rei convicti, non solum publice proscribentur, sed et excommunicabuntur: manifestis autem adulteris ac polygamis idem eveniet, quod de homicidis et furibus Canone proxime superiori pronunciatum est.

Verba quoque eorum non nisi castitatem et sanctitatem redoleant, nullus putris scurrilisque sermo ex ore ipsorum prodeat, sed qui est bonus, sale conditus, ad aedificationem auditorum faciens gratiamque apud eos promerens. Obscoeni itaque scurrae, joculares, et ex profano corde verba profana loquentes, verbis imprimis severe castigandi, et si iis nihilo modestiores ac verecundiores reddantur, tanquam scandalum aliis praebentes, et vel castas illorum aures mentesque inverecundis suis sermonibus quasi adulterantes, sacrumque ordinem conspurcantes, e societate nostra relegandi sunt [1]).

De temperanti Ministrorum victu.

§ XXV. Nihil inter alia Ministros Ecclesiae magis dedecet, quam intemperantia, voracitas et ebrietas, quae omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Sint itaque temperantes, sobrii, non vinosi, ventri et abdomini servientes ac per tabernas oberrantes. Alioqui si foedum illud vitium identidem iteraverint, non a ministerio solum, sed et a communione sacra arcebuntur. Conviviis interim tum nuptialibus tum aliis quibusvis honestis interesse ipsis nefas non est, modo ne limites honestatis et pietatis in iis excedant, neve compotantibus ac helluantibus sese conforment, sed sobrie et modeste se gerant, ut suo exemplo alios quoque convivantes ad pietatem ac temperantiam invitent; quin imo verbis quoque ipsos a nimia ingurgitatione, lasciviis ac petulantiis dehortentur, omnemque captent occasionem, ut salutare aliquod colloquium ex Sacris Literis symposio illorum admisceant, quibus eos a vanis et otiosis sermocinationibus hircinisque saltationibus avocent. Ubi vero vino incalescentes monita surdis auribus audire, genio indulgere et choreas ducere occe-

---

[1]) Canon LXXXI.

perint, ipsi Pastores surgant et bona illorum venia abeant, ne praesentia eorum lasciviam probare videantur. Secus facientes rigida increpatione digni sunt[1]).

De decenti Ministrorum amictu.

§ XXVI. Quamvis nulla certa vestitus forma ministris Novi Testamenti in Sacris Literis est praescripta, interim tamen in eo quoque, ut et in aliis omnibus, ordinem et decorum observare debent, ita ut habitus eorum sit ordini et vocationi sacrae conveniens, nec nimis sordidus ut Anabaptistarum, nec ridiculus ut Monachorum, nec denique nimis splendidus ut Magnatum ac Praesulum Romanensium, sed mediocris ac honestus, quo tum a militibus et aliis statibus secularibus, tum vero ab Ecclesiasticis aliarum sectarum primo intuitu discerni ac dignosci queant; qualis noster jam vulgo receptus et ipsa vetustate velut approbatus ac confirmatus est. Quicunque igitur vel novas aliquas vestium formas, sannis et ludibrio extraneorum obnoxias, proprio suo motu et affectu usurpaverint, vel nimis pretiosas simplicitatem Evangelicam dedecorantes induerint, nisi a suis Superioribus admoniti deposuerint, in iis munere ecclesiastico fungi ipsis minime licebit. Aut itaque vestes peregrinas abjiciant seque aliis fratribus conforment, aut si id facere renuerint, Ministerio sacro se abdicent. Idem de Rectoribus quoque scholarum sentiendum ac sanciendum est.

Quia vero non solum Pastores, sed et eorum familiae exemplar quasi gregis dominici esse debent, serio etiam ac authoritate Apostoli jubetur, ut uxores quoque et filiae eorum habitu decenti, omnis luxus ac fastus experte, incedant, verecundia ac modestia ornantes sese, non cincinnis vel auro vel margaritis vel veste pretiosa, sed amictu honesto, qui decet mulieres pietati studentes; non aemulantes feminas Nobiles in frontalibus, vittis, praecinctoriis sericis, torquibus, armillis, monilibus, cothurnis cujuscunque coloris, tunicis infimam laciniam fimbriis aureis vel argenteis inspersis, clamidulis, Graecanico capitis velo et id genus aliis ornamentis Pastorum conjuges dehonestantibus, sed se suo ordini ac statui accommodantes, vitam insuper ac mores suos sic instituant, ne quod ipsarum mariti in aliis mulieribus ex verbo Dei reprehendunt, in ipsis summo cum aliorum scandalo deprehendatur. Pietati itaque, sobrietati ac castitati studeant, garrulitatem, obscoenitatem, rixas jurgiaque tanquam pestem fugiant ac choreis abstineant; verum in omnibus quantum in ipsis est viva quasi verecundiae ac honestatis matronalis exemplaria sese exhibeant. Maleferiatarum ac luxuriantium, obsequi

[1]) Can. LXXXII.

nolentium mariti post unam atque alteram admonitionem posthabitam ad tempus Synodi generalis a sacra functione suspendantur[1]).

De Ministrorum obedientia erga Superiores.

§ XXVII. Etsi quoad gradum dignitatis, officii, omnes ecclesiarum ministri, verbum Dei praedicantes, sint aequales, nec ullus inter illos detur primatus, interim tamen, quia singulae Dioeceses spontaneo animi consensu gravibus de causis ex suis confratribus unum aliquem sibi ordine praeficiunt, quem Seniorem appellant, eique se voluntarie subjiciunt: omnes vicissim et univêrsim Dioeceses communibus votis ac suffragiis quempiam singularibus donis ornatum virum in generalem ac supremum suum Inspectorem eligunt, quem Superintendentem vel Episcopum nominant; tenentur illis, quod jurarunt, obsequium et obedientiam in omnibus, emolumentum ecclesiae, promotionem gloriae divinae ac salutem proximorum concernentibus, fideliter praestare; in Synodum ab iis vocati comparere, aliquo in negotio Ecclesiae ab eis missi abire; literas convocatorias celeriter, integre ac inviolate in loca vicina transmittere, ipsos pro competentibus suis judicibus agnoscere, non seculari foro, invitis ipsis, se sistere, nec injuriam aut infamiam in ipsorum personis toti Ministerio ac Ecclesiae illatam vel inustam absque illorum scitu ac permissu cuiquam condonare. Refractarii, qui vel contumacia ducti obsequi noluerint, vel vero tergiversando frivolas quasdam rationes suae emansionis, inobedientiae aut negligentiae obtenderint (justae namque ipsorum excusationes admitti debent), prima quidem vice a suis Senioribus privatim vel in synodo particulari fraterne commoneantur; secunda vice in generali congregatione acrius corripiantur; tertia denique, si omnino obduratos se exhibuerint, tanquam temerarii fidefragi officio priventur ac publice proscribantur. Quamquam enim Monarchiam illam et Hierarchiam antichristianam merito damnamus ac rejicimus, nequaquam tamen anarchiam quoque aut politiam Cyclopicam, in qua nemo audit neminem et quae Monarchia ipsa longe est pestilentior, in Ecclesiis nostris ferre possumus; sed aristocraticum quoddam seu potius aristocratico-democraticum Ecclesiae regimen amplectimur, inter alia propter rationes a Wilhelmo Zeppero, Theologo doctissimo, tum ex Sacris Literis, tum ex patribus et historiis ecclesiasticis, nec non doctoribus quoque nostratibus, Calvino, Bucero, Beza, Zanchio et aliis, tum vero a summa illius necessitate ac utilitate adductas Politia Eccles. Lib. 2. Cap. XIV. Quicquid recentiores nonnulli sentiant ac doceant[2]), qui qualesque debeant esse V. D. Ministri satis hi ostendunt canones.

---

[1]) Canon LXXXIII. LXXXIV.
[2]) Canon LXXXV.

§ XXVIII. Quarto loco inter personas Ecclesiasticas recensentur Rectores scholarum, ubi subintelliguntur Collegiorum etiam Professores ac alumni. Rara in Canonibus nostris Ecclesiasticis Professorum est mentio, tum quia illi sunt omnes sacro Ministerio consecrati, tum vero quia ea aetate Rectores vocabantur cum canones conderentur. Rectores scholarum illi praecipue dicuntur, qui in civitatibus, oppidis pagisque scholas moderantur, et teneram pubem in pietate educant ac doctrina; de his Canon ita:

Rectoribus scholarum ex officio sibi demandato incumbit juventutem ac teneram pubem suae fidei commissam, primum omnium in capitibus Religionis Christianae, in vera erga Deum pietate, inque moribus honestioribus ac cultioribus recte informare, post vero in politiori quoque literatura, tum soluta, tum ligata ex probatioribus authoribus (obscoenis et profanis, si quae eis occurrunt, rejectis), Graecae insuper ac Hebraicae linguae mediocri cognitione, artibus denique liberalioribus ac humanioribus imbuere, in stylo declamationibus, disputationibus, examinibus, publicis ac privatis aemulationibus, item eos sedulo exercere; pronunciationem claram ac distinctam, gestusque decoros eos docere, ad ingenium ac captum illorum sese accommodare; dictatis plurimis eos non obruere; judicium magis quam memoriam illorum acuere, paterno plane animo erga illos se gerere; ut nec nimis severi et plagosi, nec vero nimium mites ac lenes in ipsos sint; de commodiori profectus eorum ratione dies noctesque cogitare, ac studia trivialium scholarum ita instituere, ut ex iis in celebriores scholas ad sublimiora ingeniorum exercitia discipuli ipsorum feliciter ascendere, atque hoc pacto e scholis tanquam non solum Ecclesiae, sed et reipublicae seminariis, utilia aptaque ad utriusque regimen organa prodire et emergere queant.

Quia vero animos auditorum vita docentium plus movet, quam praecepta eorundem, necesse omnino est, ut suo iis exemplo ludimagistri praeeant, Deum timeant, operas suas scholasticas a precibus incipiant, precibusque vicissim finiant, sobrie, pie, caste vivant; futilia coram eis nec dicant, nec faciant, assidue discant, legibus ac canonibus ecclesiae, quicunque tandem ii fuerint, subjaceant; Senioribus ac Pastoribus suis, seu parentibus, in omnibus pietatis ac humanitatis officiis debitum obsequium praestent: synodis una cum iis intersint; nullis eos calumniis ac iniquis criminationibus apud vulgus gravent, sed naevos potius eorum pallio reverentiae filialis tegant, nec levi quavis de causa absque scitu ac permissu eorum huc atque illuc discursitent divagenturque, sed domi maneant ac laboribus suis scholasticis incumbant; nec porro officiis ac negotiis ecclesiasticis, non rogati, temere se immisceant, sed in suo se termino contineant ac sua agant; nec denique privatas aliquas opiniones, in Theologicis praesertim, novosque ritus in scholis doceant, vel semina

dissensionis ac schismatis alicujus intra vel extra eas in vulgus spargant. In externo quoque habitu pietatem, gravitatem ac modestiam quandam prae se ferant, et amictu suo ordini convenienti, longo jam usu in gente nostra recepto ac usurpato, incedant.

Alioqui contumaciter se ecclesiae opponentes, novas opiniones foventes novosque ritus introducere studentes ac juventutem corrumpentes, postquam semel atque iterum a Superioribus commonefacti supersedere noluerint, communi Dioeceseos, in qua degunt, Episcopique sui consensu, a corpore ecclesiae tanquam membra putrida amputentur publiceque proscribantur, vel pro gravitate delicti, schismatis puta, homicidii, adulterii et similis, Magistratui politico poena commerita afficiendi tradantur.

Levius autem peccantes utpote negligentes nec discentes nec docentes, sed fucorum instar stertentes, vel stellionum more oberrantes, scurriliter ac immodeste se gerentes, indecore vestitu se deformantes Pastorumque suorum admonitiones flocci pendentes ac insuper eos injuriis afficientes, re bene expensa, si sint pagani, authoritate Senioris, consentientibus tamen etiam confratribus, e scholis ignominiose ejiciantur; vel si majus ac intolerabilius quid commiserint, detineantur ac publico consistorii generalis judicio sistantur. Sin vero sint oppidani vel civitanei, maxime vero si sint Academici, non nisi re prius cum Episcopo et caeteris Senioribus communicata, amoveantur, vel aliquid gravius de iis statuatur.

Juvenes coelibes domi docti, ne sine justa causa ultra biennium Rectoratu fungi permittantur, sed in scholam ad studia sua continuanda redire jubeantur. At uxorati, quamdiu cum laude officio suo satisfecerint, tolerandi, postquam vero se turpi otio dederint, e scholis expellendi sunt. Sacro sancto Ministerio se devoventibus licebit venia sui Senioris et Pastoris concionibus quoque publice e suggesto habendis se exercere; qui vero nondum se ad id stipulata manu obstrinxerint, neutiquam; preces tamen publicas a pulpito, absente vel aegre valente Pastore, praelegere iis conceditur.

Quoniam vero plerique eorum, qui a piis Patronis ea spe in peregrinas scholas ac Academias liberaliter sunt promoti, ut olim reduces facti in scholis vel Ecclesiis patriis utiliter ac cum fructu doceant, nescitur quo spiritu ducti statum ac stationem suam sacram profane deserunt, invitisque suis Patronis ac fautoribus contra reversales a se datas seculare quoddam vitae genus sibi deligunt eique se addicunt. Decernitur itaque communi omnium voto, ut ii, qui tales reperiuntur, tanquam ingrati clientes ac perfidi reversalium violatores, ubicunque locorum deprehendi poterunt, a suis Promotoribus libere arestentur, ac tamdiu detineantur, donec vel ad officium, cui se chirographo obstrinxerant, redierint, vel vero pecuniam in se insumptam plenarie refuderint. Quod si neutrum effici poterit,

excommunicentur, obtrectatores praesertim, ac nefarie se erga ecclesiam ecclesiasticosque gerentes [1]).

§ XXIX. Cantores quoque personis accensentur ecclesiasticis, de quibus talis extat canon. Cantus est pars cultus divini publici, ac propterea in ecclesiis nostris minime debet negligi. Cantores tamen a Pastoribus suis, quibus subsunt, commonefaciendi, ut cantiones Hungaricas temporibus accommodas easque analogiae fidei congruas, hoc est spirituales, tum in Templis, tum in funeribus [2]) ex cantionalibus jam receptis, Graduali nimirum ac Psalterio [3]) choro, imo vero toti coetui praecinant. Diebus quidem profestis ex majori et minori antiquas illas a piis nostris Majoribus et primis Reformatoribus, ad suaves illas nationi nostrae consuetas melodias ex Psalmis ac aliunde ex verbo Dei compositas [4]), diebus autem Dominicis ex utrisque, nec non ex Psalterio rhythmos illos ad melodias Gallicas concinnatos [5]), festis denique solemnioribus cantiones vicissim illas antiquas, de operibus redemptionis ex historiis Evangelicis elaboratas, tum ex Graduali, tum vero ex cantionali minori decantent, et quidem ea brevitate, ut concionibus sacris tempus non eripiant, eoque modo ac vocis flexione modulationeque, ut non tam oblectationi quam aedificationi inserviant, non sono aliquo tortuoso aut inarticulato, verum simplici et articulato, nec stentorio clamore vel potius boatu, sed modica ac moderata, quae sacris convenit, vocis elatione, nec denique ore saltem, sed corde etiam ac devote cum gratia auditorum, et ut quod ore canitur, mente intelligatur, corde credatur ac operibus compleatur, juxta illud Apostoli monitum: Sermo Christi inhabitet in vobis copiose cum omni sapientia, docendo et commonefaciendo vos mutuo Psalmis, hymnis et cantionibus spiritualibus, cum gratia canendo in corde vestro Domino [6]).

§ XXX. Presbyteri itidem Ecclesiasticis adnumerantur, qui qualesque hic intelligantur canon satis fuse describit. Presbyteri juxta praxin Veteris et Novi Testamenti apud alias nationes Evangelicae confessionis pagatim ac oppidatim elegi ac constitui solent, viri doctrinam sanam amplectentes, inculpabiles, unius uxoris, liberos habentes fideles, qui non sint obnoxii crimini luxus aut subjici nescii, quique nullo scelere nullaque infamia sunt notati, qui parrhesia quadam ac personae gravitate

---

[1]) Canon XCIV, XCV.

[2]) Sepultura defunctorum fit cum cantu et concione funebri, concio instituitur vel ad donum defuncti, vel in coemeterio &c. Funus cum deducitur etiam in itinere cantatur aut aliquis Psalmus poenitentialis, aut cantio occasioni accommodata.

[3]) Graduale vocatur a gradibus melodiarum.

[4]) Tempore Reformationis de justificatione, sanctificatione et aliis fidei capitibus suaves compositae erant cantiones, item ex Psalmis Davidicis, qui canuntur cum fructu.

[5]) Ad melodias Gallicas Psalmos aptavit Albertus Molnár Szenciensis an. 1607.

[6]) Canon XCVIII.

authoritateque sint praediti, nec tamen nimis vehementes aut impetuosi, sed sedati moderatique ingenii, ac prudentia spirituali imbuti, qui cum discretione ac judicio quaelibet agunt, nec garruli rimarumque pleni, qui quaevis effutiunt, sed qui linguas suas in potestate habent; nec denique tales, qui ob negotiationes aut alias occupationes domo saepius abesse coguntur, sed qui continue vel saltem saepius domi manent. Quibus incumbit, ut omnium ecclesiae civium vitam et conversationem diligentissime observent et dissolute viventes commonefaciant, aut si opus sit, causam eorum ad Pastores totumque Presbyterium referant, ut publice coram iis, qui totam ecclesiam repraesentant, pro qualitate delicti juxta gradus a Christo praescriptos admoneantur, objurgentur, exclusioni vel etiam excommunicationi adjudicentur. Ut porro salarii docentium in Ecclesiis ac scholis nec non bonorum omnium ac redituum ecclesiasticorum, quocunque nomine venientium, rationem habeant, illorumque dispensationem fidelibus oeconomis committant, ptochotrophia, sicubi sunt, curent, mendicorum delectum faciant[1]), ac validos minusque egentes ab usu elemosynae arceant. Ut porro aedes sacrae, templa, scholae, parochiae, sartae tectaeque conserventur, ac coemeteria bene munita clausaque sint, operam dent; scholas denique tam Latinas quam vernaculas diligentissime curent. In summa: ut quamcunque *αταξιαν* in ecclesia accurate observent, ac eam cum Pastoribus, qui et ipsis praesunt praesidentque, in ordinem redigant[2]).

Tale Presbyterium in Ecclesiis Transylvanicis Hungaricisque, etsi circa annum 1650 plurimi plenis voluminibus tractaverint ac urserint, constitutum nondum est.

§ XXXI. Septimo. Inter personas ministrantes in ecclesia sunt etiam aeditui a tuendis aedibus sacris dicti, de quibus ita canon noster sciscit. Aeditui a Pastoribus ac praecipuis civibus in unaquaque ecclesia eligendi sunt, et quidem viri pii, prudentes, fideles, in vera doctrina probe fundati, honestae vitae ac famae, et si fieri potest, praesertim in oppidis, mediocri etiam literatura tincti; quorum officia erunt Templorum fores, quando sacri coetus habendi sunt, aperire et claudere, eadem templa cum atriis verrere et munda servare; mensam Domini sternere ac instruere, aquam ad sacri baptismi, panem autem et vinum ad coenae Dominicae administrationem, una cum vasis sacris, baptisterio nimirum, cantharo, calice, disco, linteolo, apponere, eademque remota, domi suae vel alibi in loco solito, sub fideli custodia, in arca ecclesiae conservare.

---

[1]) Utinam pius Magistratus hanc curam susciperet, et mendicos ab otiosis laborem sub vano praetextu subterfugientibus distingueret! Tot enim nequam circumeunt, ut reipublicae sint oneri, aliorum labores depascunt, et sub larva pietatis paupertatis benefactorum facultates suffurantur.

[2]) Canon XCIX.

Pulsatoribus praeesse ac campanarum horologiique curam habere; pecuniam ex gazophylacio et proventum campanarum vel etiam vinearum ac aliorum bonorum, si quae sunt, ad se recipere, ac vel ad fabricam templorum impendere, vel pauperibus distribuere, vel in usum alium ecclesiae necessarium ex consensu Pastoris ecclesiae et senioris Dioeceseos vel etiam Episcopi provinciae convertere; perceptorumque ac expensorum singulis annis rationem coram iisdem reddere, ruinas item templorum, aedium parochialium et scholarum restaurare, et id genus alia aedificia procurare. Mendicos rejectaneos in porticu templi e medio aliorum, una cum curatoribus, seu ut vocamus, judicibus vel magistris ptochotrophiorum segregare, et ne aliis elemosynam praeripiant abigere, ut sic diaconorum quoque vices simul sustineant. Stipendium item ac salarium Pastorum Rectorumque exigere, scholis vernaculis advigilare, denique Ministris ecclesiarum in omnibus negotiis ecclesiasticis inservire [1]).

§ XXXII. Dantur quoque Curatores Ecclesiarum, qui sunt personae politicae, et quidem in Transylvania iste gradus inter Curatores observatur. Consiliarii quatuor Guberniales Regii sunt supremi in tota provincia Ecclesiarum Curatores, qui cum consistorio omnes causas dirimunt. Quaelibet Dioecesis habet Inspectores Curatores ex Magnatibus, rursum quaelibet Ecclesia vice-Curatores ex Nobilibus. Causae in Ecclesia subortae si ibi sopiri non possint in gremio Ecclesiae, deferri debent ad Dioecesanum Curatorem: inde ad supremos Curatores seu supremum Consistorium, ubi sopitur, ni pars alterutra ad Principis praesentiam deferre velit.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De quibusdam Synodorum actis sub decursu seculi decimi septimi.

§ I. Synodos controversiasque in Synodis agitatas plures exstitisse intra decursum unius seculi nemo ambigere potest. Acta tamen Synodorum ad manus pauca admodum sunt; quamvis vir doctus Stephanus Benjamin Szilágyi ea, quae aetatem illius praecesserant, diligentissime collegerit. Mihi vero ita felici esse non licuit, ut ejus collectione adjutum depraedicare possem. Quae itaque hinc inde tabulae in vasto mari se ostenderunt, arreptas in publicum suspendere cogor.

---

[1]) Canon c.

§ II. In Synodo M. Vásarhelyina salubres sanciti sunt Canones Superintendente Michaële R. Tasnádi, qui ita sequuntur.

Canones seu articuli Ministrorum Transylvanicorum, incorruptam doctrinam de uno vero Deo, Patre, Filio et Spiritu Sancto profitentium, boni ordinis et disciplinae Ecclesiasticae causa collecti, propositi et approbati in Synodo generali Marus Vásárhelyini die 2 Julii anno 1606 celebrata, Superintendente Michaële Ruber Tasnádi.

I Canon. Principio omnium ecclesiarum orthodoxarum Ministri analogiam fidei in fundamento, et praecipuis doctrinae Christianae articulis, pio zelo et summo consensu fideliter retineant atque sacramento juramenti confirment.

II. Dent operam singuli comparandi copiam librorum Biblicorum et aliorum doctorum, oracula Prophetarum, Evangelistarum et Apostolorum explicantium. Carentes autem Bibliis post unam atque alteram admonitionem mulctentur a Seniore florenis 6, tandem a Ministerio arcebuntur.

III. Attendant Pastores orationi, gratiarum actioni, hortationi, dehortationi, caeterisque officiis Ministerii Sancti, utpote lectioni sanctae Scripturae, eamque religiose soliciteque meditentur et in id laborent, ut profectus ipsorum in omnibus sit evidens. Hoc enim faciens et seipsum servabit et eos qui ipsum audiverint. Poena negligentiae post unam admonitionem fl. 3, deinde a Seniore suo ad tempus Synodi generalis ab officio removebuntur.

IV. In concionibus publicis honesto et decenti utantur sermone, ut sermo Dei in cordibus fidelium fructificari possit, 1 Tim. IV: 12.

V. Loci Scripturae difficiliores magno cum judicio tractentur et populo prius temere non proponantur, quam saniores et orthodoxi interpretes diligenter consulantur vel seniores requirantur, 2 Pet. II: 16. Act. I: 15.

VI. Sacrosancti baptismi formula a Filio Dei apud Evangelistam Mat. XXVIII praescripta et ab Ecclesiis nostris pie usurpata, infantibus et ex Gentilismo conversis temporibus idoneis in Templo administrent. Obstetrices autem baptisantes, aut publico Magistratui puniendos* committant, aut excommunicent. Non enim permittit Apostolus feminis munus docendi in ecclesia, 1 Cor. XIV: 34. 1 Tim. II: 12. Ergo neque sacramentorum administrationem, typum siquidem capitis Christi referre non possunt, 1 Cor. XI: 7[1]).

VII. Eucharistiae quoque sacramentum velut visibile quoddam Dei verbum, in Ecclesia singulis annis sexies administrent, ut populus ad studium pietatis asuefiat. Nec ab eo, quod Christus Magister praecepit et

* puniendas (ed.)

[1]) Locumtenentiale consilium an. 1742 d. 15 Septembris edidit Mandatum nomine regio, quo obstetrices in casu necessitatis jubentur baptizare etiam apud Reformatos.

gessit, humana et novella institutione decedant ministrando, sed hoc potius faciant, quod Dominus noster Jesus Christus sacramentorum Author et Doctor fecit et docuit, ut cum Paulo optima fide dicere possint: Accepi a Domino, quod tradidi vobis, 1 Cor. XI: 23. Poena transgressionis fl. 3. Contemptoribus autem tempore necessitatis Pastor officium praestare non tenetur.

VIII. Catechismum, qui est Isagoge ad Christianismum, in coetu publico usitatis horis et temporibus ad informandam juventutem proponant. Utile autem fuerit unam certam formam ubique retinere juxta illud Apostoli 2 Tim. 1:13: Formam habe sanorum verborum, quae a me audivisti. Ne diversitate verborum et prolixitate quaestionum tenera discentium ingenia turbentur sub poena fl. 3.

IX. Festa calendarii consensu Regnicolarum admissi uno eodemque tempore celebrentur, ut omnia decenter et ordine fiant in Ecclesia Dei. Poena transgressionis fl. 12. Innovatio autem in doctrinae capitibus in ritibus et cerimoniis, quantumvis Magistratus et auditorum authoritate Minister impellatur, praeter Synodi generalis determinationem, non admittatur sub poena depositionis, ne subnascantur schismata et dissensiones, quas damnat Apostolus 1 Cor. III.

X. Ministrorum in articulis fidei adversantium commercia, quibus pietas et ecclesiae unitas magno scandalo scindi solet, omni occasione et praetextu posthabito fugiant nec quisquam citra Superintendentis aut Senioris sui consensum adversarios domi suae, aut in consessu auditorum in certamen de fidei capitibus provocet; provocanti tamen modeste respondeat. Nullum enim est consortium cum Belial aut infideli cum fideli, 1 Cor. VI. Poena fl. 3.

XI. Vitia auditorum arguantur tempestive et intempestive sed cum omni lenitate, ut Apostolus monet Gal. VI. 1. 2 Tim. IV. 2. Corruptores autem coelestis doctrinae et manifeste flagitiosi semel atque iterum ex verbo Dei admoneantur secundum praescriptionem Salvatoris Mat. XVIII: 15. Inemendabiles tandem non privato arbitrio, sed ex consensu conventus classici excommunicentur. Poenitentes vero fraterno amore erigantur et ex consensu ejusdem Ecclesiae ad communionem sanctorum admittantur.

XII. Spiritus sanctus constituit ministros gregis Domini Episcopos Act. XX : 28. Sint igitur irreprehensibiles, compositi, urbani, aequi bonique studiosi, non vino sese ingurgitantes (quo ex vitio omnis immodestia, intemperantia insolentiaque intollerabilis nascitur), sed temperantes, alieni ab avaritia, simplices, boni denique milites Jesu Christi, et exercitati in acie illius, ne lupi rapaces oves Christi discerpant. His contraria facientes primo mulctabuntur fl. 12, postea ab officio removebuntur.

XIII. Minister aut scholae Rector usuras a debitoribus exigens, aut desinat cum poena, aut dejiciatur.

XIV. Vetat Apostolus cupiditatem turpis lucri. Nullus igitur Ministrorum vitae externae indignis curis implicetur; contraria officia vocationi suae ne sectentur, utpote officialitatem tributorum, vectigalium, arendarum et decimarum exactionem, sed modeste exerceant honestos manuum labores et id faciant potissimum tempore et necessitate urgente, sicut Apostolus Paulus fecit. At negotiationem et mercaturas non necessarias, item discursiones atque insatiabile studium agriculturae omnino prohibemus. Nemo enim, qui manu sua admota aratro Dei respexerit ad ea, quae retro sunt, appositus est ad Regnum Dei, ait Christus Dominus Luc. IX : 62.

XV. Pastoribus Ecclesiarum aut ludimagistris canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat, sub poena fl. 12. Sunt enim constituti piscatores hominum, non ferarum aut volucrum.

XVI. Nullus Ministrorum officium sibi delegatum intra periodum anni sui temere et cum damno ecclesiae deserat, neque falcem suam in messem alterius docendo, copulando aut sacramenta administrando mittat, nisi Senioris consilio legitimo usus, vel ab ejus loci pastore vocatus. Perfunctus vero officio cum venia Senioris et plebis honeste decedat. Poena fl. 12.

XVII. Nullus Ministrorum seculari utatur potestate in obtinenda aliqua Parochia, sed legitimam exspectet vocationem. Qui contrarium tentaverit, praesertim clandestine alium excludendo, deponatur intra annum.

XVIII. Nemo Ministrorum et ludimagistrorum decedenti succedat, nisi prioribus integre satisfactum fuerit et salva venia locum mutaverit, sub poena amittendi totius salarii.

XIX. Ecclesiarum plurium moderationem cum injuria fratrum inopum et quaestus gratia nemo ad se rapiat, nisi inopia docentium et urgens necessitas requisiverit.

XX. Reditus solitos ecclesiarum, templorum et scholarum nemo abradat, quin potius eosdem summa industria provehat, augeat et tueatur fidelissime. Poena transgressionis fl. 24.

XXI. Tripudia, saltationes, comessationes intempestivae, cantus indecentes, scurriles sermones, digladiationes, convicia, turpis barbaries, ebrietas et vitia his similia Ministris indigna vitentur, ut vere lux mundi, sal terrae et forma fidelium haberi possint. Superintendentes sub poena depositionis, Senior fl. 12, reliqui fl. 6.

XXII. Nullus Ministrorum aut ludimagistrorum sese submittat jurisdictioni et tribunali externi Magistratus, ne fiat confusio ordinum et dignitatum; qui secus fecerit mulctabitur fl. 12.

XXIII. Hominibus alienis ab ecclesiae membris, idololatris, item contemptoribus Verbi et sacramentorum, impiis nimirum homicidis et id genus facinorosis, poenitere nesciis Minister, Ecclesiae et ludimagister cum suis scholaribus tempore necessitatis operam suam navare non tenentur.

XXIV. Personis praeeminentibus doctrina et gradibus officiorum inferiores nihil per simultatem, invidiam aut procacem audaciam derogent. Contraria facientes usque ad tempus Synodi generalis removebuntur ab officio per Seniorem. Sed eos digno honore praeveniant. Ad eundem modum et eruditione cultiores, utpote praecipue Ecclesiae organa, donis Spiritus sancti non efferantur; indoctiores et simpliciores non contemnant, non derideant, non proculcent, quin potius doceant, corrigant et in concordia sancto vinculo contineant.

XXV. Libellos famosos et scurriles, qui vulgo Pasquili nominantur, praesertim ex verbo Dei contentos, nullus spargat, sub poena depositionis.

XXVI. Vestitus Ministrorum sit liber, ordini tamen et vocationi congruens, decorus sine luxu, non militaris et sannis extraneorum expositus. Uxores similiter et filiae eorundem cultus nimios in vestitu, luxus et habitus indecentes, aliis ordinibus competentes, maximo studio evitent, sub poena fl. 6.

XXVII. Copulationes conjugum et nuptiarum celebrationes diebus sabbathi et Dominicis studiose caveantur propter abrogationem cultus divini. Priusquam autem conjuges copulentur, matrimonia futura Pastores Ecclesiae pro concione prius promulgent et sic tandem copulationes in publico loco decenter instituant, et personis liberis comparibus et connubio idoneis gradum consanguinitatis et affinitatis prudenter cognoscant et observent, sub poena in tali casu observari solita.

XXVIII. Hostium vinculis detenti ab uxoribus praestolentur, et contra, donec superstites intellexerint. Quod si de vita non constiterit, femina triennium, vir vero quadriennium expectanto. Ubi autem maritus ex hostium carceribus solutus aut redemptus redierit, consortem alteri interim adjunctam omnino recipere tenetur. Sin minus vivente conjuge maneat coelebs ex verbo Dei Rom. VII : 2. 1 Cor. VII : 38.

XXIX. Virgines cum juvenibus intra annum 14 non copulentur. Gradus consanguinitatis et affinitatis ut plurimum quintus in lineis prudenter agnoscatur et observetur.

XXX. Ministri Ecclesiarum et ludimagistri virginem castam aut viduam honestae famae uxorem ducant, liberos in pietate educent et bonis artibus informandos tradant. Scorta vero, lenones et concubinas nuspiam alant, sub poena depositionis, ne matrimonium vituperetur et Evangelii preconium contemnatur.

XXXI. Literas convocatorias sub poena irroganda nemo violet, aut remoretur, aut negligenter perdat. Easdem Minister per ludimagistrum vel juvenem scholasticum, non plebejum aliquem, in loca vicina transferri curet sub poena fl. 3.

XXXII. Synodo temere absentantes mulctabuntur, Superintendens depositione, Seniores fl. 6, reliqui vero fl. 3.

XXXIII. Causarum forensium tuitionem pro secularibus suscipere Minister prohibetur sub poena fl. 12. Ministrorum autem aut ludimagistrorum et scholarium causam tueri permittitur, si res postulet.

XXXIV. Superintendens nihil privato affectu tentet, in causis praesertim gravioribus, sed cum collegio Seniorum sancte consilium ineat de rebus ad aedificationem Ecclesiae et functionem suam pertinentibus.

XXXV. Synodum generalem bis quotannis, locis et temporibus publica ecclesiae authoritate confirmatis, visitatione per Seniores praemissa instituant, ut dogmata pietatis explorentur et emergentes ecclesiasticae contentiones amoveantur.

XXXVI. Singula ecclesiae membra sine respectu personarum, prout eruditionis, aetatis et conditionis ratio postulat, digno honore praeveniant, supplicantes placide exaudiant, nec quemquam indicta causa culpent.

XXXVII. Seniores non dominentur Ministris inspectioni suae subjectis more tyrannorum, sunt enim et ipsi cleri. Habeant autem sub certo catalogo Presbyteros suae fidei commissos, ne fiat confusio inter Seniores, sed eos duntaxat quisque gubernet, qui sub inspectione sua degunt; neque alios convocandi libertatem habeant, nisi qui sunt sub senioratu suo, quos explorent quotannis visitationibus fide mediante et examinibus institutis, ut doctrinae sinceritas, vitae integritas, et de Pastoribus atque scholarum Rectoribus, industria plebis, hisce vigiliis cognoscatur.

XXXVIII. Iidem in suis Dioecesibus habeant potestatem collocandi fratres ordinandos perspectae pietatis et integritatis, intercedente juris jurandi sacramento et mercede ac favore remotis, et eosdem ad publicam synodum et examen cogant, eodem anno, quo sunt emissi. Qui autem in contrarium iverit mulctabitur primo fl. 12.

XXXIX. Sciolos indoctos, neophytos, errones et recens ex haeresi conversos ad gubernationem Ecclesiae temere citra publicum ecclesiae consensum ne admittant.

XL. Rectores scholarum a munere docendi alienos qui tantummodo lucrum et quaestum turpem venantur non admittant; arceant item ebriosos, petulantes suorum Pastorum criminatores, inordinate viventes et scurras vagabundos.

XLI. Divortia faciant ob adulterium, desertionem infidelem et alias justas causas, in verbo Dei et veteribus Canonibus expressas, easque ad Superintendentem cum processu causarum, relatoriis et transmissione fideliter relegent.

XLII. Scholarum Rectores Ministris ceu parentibus et procuratoribus suis semper et ubique debitum obsequium deferant, neque eos iniquis criminationibus apud vulgum aggravent, nec temere absque permissione et scitu pastorum suorum divagentur; sed juventutem scholasticam diligenter erudiant, et fundamenta Theologiae sibi familiaria reddant eaque

summo studio juventuti inculcent, ut olim e scholis tanquam e seminariis utilia ecclesiae membra emergere possint. Transgressores puniuntur amissione omnium bonorum.

XLIII. Nullus Rectorum praeter nutum Pastoris et Senioris sui conciones, copulationes personarum et sacramentorum administrationem instituant*, sub poena fl. 3.

Hos canones fuisse olim in usu inde manifestum est, quod antiquis omnium fere Tractuum matricibus sunt inserti.

§ III. *Synodi Varadiensis Canones.* — Occasione turbarum, quas Emericus Ujfalvi Pastor Ecclesiae Varadiensis excitaverat, superius[1]) fuse descriptarum, de potestate Ecclesiastica conditi sunt quidam canones in Synodo celebri Varadiensi anno 1610. Sunt vero sequentes:

I. Potestas Ecclesiastica est jus seu authoritas docendi Evangelium, remittendi et retinendi peccata, administrandi sacramenta, recipiendi et absolvendi poenitentes, ordinem constituendi et etiam excommunicandi delinquentes.

II. Hanc potestatem omnibus ad ministerium ecclesiasticum legitime vocatis et ordinatis a Domino datam esse, Scriptura sacra et rationes ex ea desumptae comprobant Mat. XVI & XVIII. Marc. XVI. Joan. XX.

III. Haec potestas consistit in docendo Dei verbo, ordine constituendo et disciplina ecclesiastica.

IV. Authoritas docendi non quidvis sed unum id tradendum in ecclesia permittit, quod Deus in libris suorum Prophetarum et Apostolorum scriptum reliquit. Ea tantum sacramenta administrari patitur, quae Dominus ordinavit: estque haec clavium pars prior, posterior enim ad disciplinam pertinet.

V. Potestas ordinis est facultas, qua non solum tradendae et definiendae doctrinae modus, ad fidei analogiam, normam et regulam in symbolo Apostolico breviter comprehensam congruens traditur; verum etiam leges Politiae in ecclesia, ritus item necessarii et decori, vero Dei cultui, pietati, modestiae et conversationi Christianae convenientes ordinantur. Quarum tamen rerum propter varias et repugnantes circumstantias, ubique et omnibus temporibus, eadem ratio esse non potest.

VI. Disciplina ecclesiastica est coërcitio authoritate verbi Dei instituta, qua homines, in Ecclesiae societatem recepti, ad vitae sanctimoniam et praestanda pietatis officia impelluntur; peccantes vero pro ratione et qualitate delicti vel privatim vel publice corripiuntur, et si in viam redire noluerint, vel a gradu honoris removentur, vel omnino ab Ecclesiae societate separantur et excommunicantur.

---

* instituat (ed.)

[1]) Lib. III. Cap. X. § VIII.

VII. Quia vero in Ecclesia non tantum Pastores et Doctores sunt, sed etiam plebs reliquusque populus, huic disciplinae omnes cujuscunque sint sexus, conditionis, gradus et authoritatis, etiam Imperatores, subjici et parere debent. Unde recte dixit Ambrosius: Quid honorificentius, quam ut filius ecclesiae dicatur Imperator? Imperator enim bonus intra ecclesiam, non supra ecclesiam est.

VIII. Ejus exercendae facultas non penes unum est, sive sit Papa, sive Episcopus, sive Superattendens, ut pro suo arbitrio ac privata authoritate quidvis faciat, sed penes Presbyterium, id est, consessum seniorum, ecclesiae ipsius consensu et suffragio electorum, qui sunt in Ecclesia quod est senatus in Urbe. 1 Cor. V.

IX. Differt haec potestas a civili potestate. Illa ab Ecclesia per moderationem Presbyterorum regitur: soli fideles seu Christiani ei subjacent: tota est spiritualis, ad animam et conscientiam pertinens, gladio spirituali, nempe verbo Dei, sua decreta exequitur. Haec vero a Magistratu authoritate praetoria in omnes sive fideles sive infideles, gladio carnali et vi externa usurpatur, ad hoc ut societas humana sit tranquilla, corporalis vita conservetur, justitia civilis et pax retineatur, legum vero authoritas salva maneat.

X. Quum autem (ut ex antiquis historiis et testimonio Hieronymi constat) non ita multis post mortem Apostolorum seculis, credentium et docentium numerus multiplicari coepisset, instinctu Diaboli, ex aequalitate dissidiae et contentiones difficiles exortae sunt. Salubri ergo consilio ad tollenda dissensionum et schismatum seminaria unus aliquis eligebatur, cui specialiter dabant titulum Episcopi (viventibus enim Apostolis idem erat Episcopus ac Presbyter), quem Presbyteris praeponebant et praeficiebant. Sicque singula collegia civitatum praecipuarum, quibus certae regiones erant attributae, politiae in Ecclesia et pacis conservandae gratia, uni Episcopo suberant.

XI. Neque tamen, ut inquit Calvinus, sic eminebat Episcopus, ut in collegas dominium externum seu tyrannicum haberet, sed ut de negotiis referret, sententias rogaret, consulendo, monendo, hortando aliis praeiret, authoritate sua totam actionem regeret et quod decretum communi consilio fuerat exequeretur.

XII. Hanc formam gubernandae ecclesiae in schismatis remedium a Patribus primitivae ecclesiae introductam, nostri quoque Majores, a sordibus antichristi ecclesias Filii Dei repurgantes, in eo statu, quo Patres ante tempora Constantini Magni reliquerant, non solum acceptarunt, sed etiam editis scriptis observandam statuerunt. Sic enim non solum ferociam multitudinis, sed etiam coetum docentium, a simplicitate Apostolica modo in infinitum distantem, in officio facilius contineri, et ad opera pietatis exercenda compelli judicarunt.

XIII. Quamvis ergo affirmemus, statuamus et credamus aequalem esse Pastorum in nostris quoque ecclesiis authoritatem, sicut una est functio, nihilominus tamen necessarium esse censemus in collegio Pastorum nunc quoque aliquos oportere esse Seniores et Superintendentes, qui reliquis boni ordinis causa praeeant, Synodos intra suos terminos cogant, in illis ex consensu reliquorum praesideant et omnia decenter ac ordine in ecclesia fieri curent.

XIV. Hi diligenter cavere debent, ne potestatem ecclesiasticam cum civili confundant, neque dominium authoritate praetoria sibi usurpent. Sed omnia ex consensu Presbyterorum faciant, in executione disciplinae mandatum Salvatoris observent Mat. XVIII. Delinquentes spiritu mansuetudinis excipiant: obstinatis et in suo malo pertinacibus durissima quaeque fraena injiciant, et cum spe admissionis, si resipuerint, excommunicent. In summa nihil faciant, quo occasio ad tyrannidem introducendam subministretur.

XV. Placet ergo illa Calvini admonitio, qui Inst. Lib. IV. Cap. VIII. § I. sic loquitur: Est igitur ecclesiastica potestas, non maligne quidem ornanda, sed tamen includenda certis finibus, ne pro hominum libidine huc atque illuc trahatur. Ad id plurimum proderit observare, qualiter a Prophetis et Apostolis describatur. Nam si simpliciter hominibus concedimus, quam sumere ipsis visum fuerit potestatem, omnibus in promptu est, quam sit proclivis in tyrannidem lapsus, quae procul a Christi ecclesia abesse debet.

XVI. Ex his omnibus concludimus, primo, Papam esse superbum, ambitiosum et impudentem, qui ex clavibus gladios conflavit, jus utriusque gladii ad se pertinere, quam divino quam humano jure affirmat. Jactat insolenter se solum esse caput ecclesiae; esse universalem episcopum; habere jus eligendi, ordinandi, confirmandi et deponendi omnes episcopos, habere item authoritatem regna conferendi et transferendi. Deinde, peccare eos omnes, qui contra testimonia Scripturarum et exempla primitivae Ecclesiae nullum potestati ecclesiasticae potissimum sub Christianis Principibus locum relinquunt eam, cum civili turpiter confundunt et causas mere ecclesiasticas, quarum cognitio proprie ad consessum Seniorum pertinet, ut cum quaeritur de doctrina, de moribus et violatione Politiae ecclesiasticae, ad civilem Magistratum devolvunt. Tertio, pastores ecclesiarum in criminalibus et civilibus a foro et jurisdictione civili suo modo non esse exemptos [1]).

§ IV. Celebrata est Synodus Komjatini in Hungaria anno 1626 a Ministris Helveticam confessionem amplexis in Comitatibus Mosoniensi, Posoniensi, Komaromiensi, Nitriensi, Barsiensi, Hontensi, Negradiensi,

[1]) Confer. de his Histor. Reform. pag. 339.

Albensi, Tolnensi, Pest Pilis Soltensi, Hevesiensi, ubi conditi sunt Canones ecclesiastici, et in quinque classes distributi, ex veterum Conciliorum decretis coagmentati. Prima classis XXVII Canonibus tractat de Fide orthodoxa tenenda, et Episcoporum ordinationibus ac officiis. Secunda classis XIII Canonibus tractat de Senioribus. Tertia classis continet articulos LXIX, quibus officia praescribit Presbyteris seu Ecclesiarum pastoribus. Quarta agit de scholis, habet canones XVI. Quinta classis est de conciliis complectiturque XVII Canones. Hi iterato editi inque linguam Hungaricam transfusi anno 1642. Editi etiam Debrecini sunt canones, quos olim anno 1577 Varadini in Synodo publicaverat ac Vittebergae in lucem exire fecerat Georgius Göntzi, Pastor ecclesiae Debrecinensis et cistibiscanarum Superintendens. Ejusdem successor Stephanus Keresszegi anno 1633 adjecit Appendicem Canonibus hactenus editis, qua ad faciem praesentis temporis Regulas diversis vicibus editas conformaret [1]).

§ V. *Synodi Albensis sanctiones.* — Albae Juliae in Transylvania habita est Synodus generalis, ubi sequentes sanctiones sunt conclusae ac editae anno 1640.

1. Psalmos melodiis Gallicis adaptatos sancta Synodus recipit, ut in cultu publico usurpentur; ita tamen ne aliae cantiones neglectim habeantur, sed alternatim canantur. Diebus autem festivis cantiones illis conformes in cultu adhibeantur. Profestis diebus, at raro, Psalmi Gallicis clavibus conformati usurpentur [2]).

2. Sacrae synaxeos administratio tempore messis, deinceps in omnibus ecclesiis sit Dominica undecima post Trinitatem.

3. Bachanalia hactenus usurpata, et galliregia (Kakas király tétel) sub poena interdicitur. Si quis Rectorum scholae contumacia ductus consuetudinem illam retinere voluerit, officio privabitur.

4. Lapsi bis ad reconciliationem admitti possunt; at vero severe monendi ne suos lapsus renovent, nunquam alias in gremium ecclesiae recipiendi.

5. Ministri ecclesiarum in iis rebus, quas certissime et indubitate non norunt, juramentum non deponant.

6. Rhytmi in funeribus inter omnes ordines prohibiti sunt, sed in locum eorum oratio recitetur vernacula aut Latina.

7. Absque testimonialibus fide dignis nemo ad ecclesiae aut scholae regimen admittatur.

8. Malefactores morti addictos ad locum supplicii Pastor comitari obligatus est, et iis inservire. Aegrotos pariter visitare et consolari.

---

[1]) Historia Reform. pag. 365. 372.

[2]) Apparet vel hinc, quam sero notae Gallicae in Psalmis canendis in Transylvania receptae sunt, cum an. 1607 adhuc Albertus Molnar ediderat.

9. Sacra Eucharistia sexies in anno administretur, Dominica XI post Trinitatem, D. Adventus, D. Quadragesima, et tribus Festis anniversariis.

10. Nemo conjuges multo ante nuptiarum diem tempore copulet, uno tamen ante die copulare potest.

11. Nemo ministrorum absque scitu sui Senioris se alteri ecclesiae obliget, aut loco suo sine venia discedat: canonibus se conformet.

12. Tempore visitationis si per inquisitionem elucescit, ministrum ecclesiae aut scholae aut eorum familiam in parochia ab aliis maledictis vel verberibus lacessitos, coram Seniore et brachio seculari secundum legem disceptetur et decidatur. At vero si extra Parochiam contigerit, forum rei actor sequi necesse habebit.

13. Reos ad unius vel alterius delationem non excommunicent, sed ubi certo de facinore constiterit, cum consensu illius ecclesiae aut partialis. [1])

§ VI. *Constitutiones Synodi Enyedensis.* — Nagy Enyedini anno 1642 ad diem XXIX Junii celebrata est generalis Synodus, ubi singularibus quibusdam casibus seu excessibus poenae sunt dictatae. Casus autem illi sunt sequentes.

1. Quicunque pastorum sese alicui ecclesiae aut patrono ad munus ministerii stipulata manu vel expressis saltem verbis semel obligaverit, revocare minime ausit, nisi forsan jussu a superioribus ob graves aliquas causas; alioqui si temere id attentaverit, utroque loco, tam eo, quem deserere, quam vero ad quem migrare voluerit excidet, et loco carebit ad certum tempus.

2. Nemo Seniorum Ministris ecclesiarum aut Rectoribus scholarum eorumque discipulis suae inspectioni subjacentibus, enormis alicujus sceleris convictis atque damnatis, poenam meritam propria authoritate absque scitu et indultu Episcopi condonet vel saltem mitiget, sub poena imprimis fl. 24, postea vero depositionis.

3. Qui diebus Adventus vel duabus ante Festa anniversaria septimanis conjuges copulaverit, fl. 3 mulctabitur.

4. Qui personas fugitivas nondum a prioris matrimonii vinculo solutas, vel notorios quosvis malefactores, nondum ecclesiae reconciliatos, aut ullos ob scelus aliquod infames, temere sine publicatione ac scitu permissuque sui Senioris copulaverint, ad generalem usque Synodum officio priventur. Senior quoque praecipitanter absque ulla disquisitione annuens, si copulati vel bigami vel quovis scelere notati postea comperiantur, eidem poenae subjaceat, vel in instanti fl. 12 deponat.

5. Qui super funere Magnatum vel Nobilium conciones plures,

---

[1]) Ex Matricula Tract. Udvarhelyensis Mss.

quam ecclesia limitavit, instituerit, aut rhytmos jam vetitos recitaverit, concionator quidem fl. 3 privabitur. Si vero sit adolescens quispiam ignominiose e schola ejicietur.

6. Quicunque habitum ecclesiasticis haud convenientem, utpote Holosericum, aut ei colore et nitore haud absimilem, aut pileum marte cinctum [1]) praeter Episcopum, concionatores aulicos et praecipuos aliquot Seniores gestaverint, ipsis per superiores adimatur, et jacturam illius patiantur.

7. Eadem poena maneat uxores Pastorum, modum in ornandis suis corporibus excedentes, si nimirum lacinias seu circumferentiam infimam tunicarum suarum fimbriis aureis argenteisque insperserint, cervices torquibus gemmatis aut aliud id genus sphaerulis circumvallarint, cothurnis cujuscunque coloris pedes munierint, frontalia vittasque capitibus imposuerint.

8. Qui blasphemum illud convitium in Spiritum sanctum usurpaverit, prima quidem vice fl. 12, secunda 24, tertia officio perennaliter privabitur.

9. Qui pudicitiam alienae conjugis tentaverit, primo fl. 12 mulctabitur, post vero deponetur.

10. Pastores inter se rixantes conviciis ac verbis probrosis se mutuo proscindentes, vel etiam vulnera sibi invicem non tamen lethalia infligentes, poenam fl. 12 sustinento, ac praeterea chirurgo pro vulneris curatione solvunto.

11. Rectores autem scholarum eadem inter se patrantes poenam 6 fl. solvunto. Quod si vero iidem in Pastores suos vel alios quospiam eadem commiserint, flagris excepti, ignominiose proscribantur.

12. Qui vini empti educillatione quaestum exercuerit, pro singulis vasis ternis florenis mulctetur. Licebit tamen vinum in salarium suum datum ex annuentia Domini terrestris impune vendere.

13. Qui fidibus in conviviis cecinerit aut testudine luserit, poenam trium fl. luito.

14. Qui choreas duxerint tribus florenis privabuntur. Eadem poena decernitur Pastorum conjugibus, si in publicis nuptiis vel aliis conviviis saltaverint.

15. Qui superstitiosam curandi morbos rationem, precularum videlicet demurmuratione, aut alio quovis lege Dei vetito modo exercuerit, mulctam fl. 3 sustinebit.

16. Qui vulgariter et ex levitate pejeraverint fl. 6 deponunto. Qui vero solenniter et comprobabitur, officio suo deponunto.

17. Qui diebus Dominicis aut aliis Festis solemnioribus ecclesiam

[1]) Martes est animal, cujus pelle pileos clamydesque Magnates subduci curant.

suam ob privatum aliquod commodum, peregrinationem non necessariam aut occupationes aliquas externas neglexerit fl. 6.

18. Qui diebus iisdem sacris in privato suo negotio ac profanum aliquem ob finem iter fecerit seu peregre profectus fuerit, fl. 3 privabitur.

19. Qui privata sua authoritate sine Senioris et partialis Synodi deliberatione aliquos auditorum suorum e coetu sacro excluserit vel publico decreto exclusos receperit, fl. 6 mulctetur.

20. Qui curias Parochiales sordibus ac foetoribus compleverint, expurgare teneantur [1]).

§ VII. Turbas a Johanne Tolnai ejusque asseclis in Ecclesiis cistibiscanis excitatas superius [2]) exhibuimus. Eae ut componerentur nationalis Szathmár Nemetinum convocata est Synodus a Transylvaniae Principe, cujus Acta a Praeside Stephano Katona Geleji Superintendente Transylvano edita sunt ea aetate: hic quoque ut locum habeant digna puto. Simul cum praefatione collectoris ac editoris ita se habent:

Acta Synodi Nationalis, ad sopiendas turbas scandalose a quibusdam fratribus in ecclesia ex imprudentia excitatas, ab Illustrissimo celsissimoque Transilvaniae Principe ac magnarum Hungariae Partium D. D. Georgio Rakotzi Szathmár Nemetinum anno MDCXLVI ad X Junii convocatae, in certas conclusiones redacta. Phil: II 1, 2, 3, 4, Mat. XVIII: 6, 7.

Lectori amico S.

Acta ac conclusa haec Synodalia de rebus in quaestionem vocatis, Lector amice, tertio abhinc anno Szathmar Nemetini in Hungaria, uti inter varias disceptationes ob angustiam temporis ac incommoditatem loci licuit, a Notariis ex utraque parte constitutis, juxta ordinem dierum ac sessionum, memoriae causa, raptim ac summatim, fideliter tamen excepta ac publice post ea perlecta, ab omnibusque etiam iis, qui partes in causam attractorum tueri videbantur, approbata, domi tandem ex authentico alterius scribarum exemplari, pleniori declaratione, absque ulla rei ac sensus immutatione, ceu Praeses descripsi, ac in XXX hasce conclusiones comprehendi. Quas primum omnium Ill. Principi gloriosae memoriae, Synodi illius nationalis Indictori ac Directori, post venerabili cistibiscano Superintendenti, ac per ejusdem manus reverendis ac doctissimis transtibiscanis Senioribus ac antistitibus, Transilvanicis demum fratribus ac collegis meis honorandissimis per formam cursus in paribus distinctis censendas misi. Qui etsi eas publice in suis conventibus praelegi curaverint, de nulla tamen earum discrepantia, etiam

[1]) Ex Matricula Tractus Udvarhelyensis Mss.
[2]) Lib. III. Cap. X § 3—5.

solemniter post annum Claudiopoli interrogati sunt conquesti: alias paratus fuissem non congruentia rectificare. Illust. Principi erectio Presbyterii non modo difficilis, sed et impossibilis apud nos visa est. Argutantur etiam curiosiores, id Presbyterorum genus in primaeva ecclesia ob paucitatem Apostolorum, eorumque perpetuo circumeuntium ac propterea directioni ecclesiarum passim a se fundatarum non vacantium, institutum esse, ac crescente postea Dei gratia pastorum ubivis locorum numero, id intermissum, longoque demum post tempore apud quasdam nationes restitutum esse. Necdum praeterea Theologos quoque reformatos de Diaconorum, Presbyterorum ac Episcoporum eorumque officiorum discrimine inter se penitus convenisse, sed litem adhuc sub judice esse. Patres vero etiam per Presbyteros ubique fere docentes seu pastores intelligere, ac denique satius longe consultiusque esse, ecclesiis a pastoribus ipsis, in sacris Literis probe versatis, quam ab hominibus plebejis, ut plurimum illiteratis, gubernari. Sed haec ego inpraesentiarum missa facio. Speciales quasdam sanctae Synodi de certis quibusdam personis deliberationes ac sententias latas, ut et alia nonnulla, tanquam non necessaria, inserere studio neglexi. Discrimen quoque dierum ac sessionum retinere hanc ob causam nolui, quod duobus primis diebus ac sessionibus aliquot, nihil fere certi (ut in recenti adhuc est memoria) ob tardiusculum suae Celsitudinis adventum concludi potuit, quin nec seriem Actorum stricte ubique observandam duxi, ne homogenea cum heterogeneis connecterentur; verum ea in hanc quae cernitur methodum redegi, sensu tamen interim ac numero conclusionum praecipuarum salvo et integro relicto. Cui si quispiam contrarium asserere veritus non fuerit, ex autographo isto Notarii publici et quidem Hungariensis adhuc superstitis, itemque ex deliberato communi, ad testimonia omni exceptione majora usualibus Universitatum sigillis, manuumque nostrarum subscriptionibus roborato, nec non ex postulatis Dominorum politicorum trans-Tibiscanorum, et resolutione iis adscripta, ea propria denique ipsarummet rerum confessione, quae omnia formaliter ad manus habeo, ac pro futura cautela in archivum ecclesiae depono, confutari poterit. Cum autem varia a nonnullis sequioris conscientiae hominibus, non solum apud indigenas, sed et apud peregrinos, de paucis hisce actis ac conclusionibus perperam ac traductorie sparsa esse certo compertum habeamus, placuit post exactam Cels. Principis et nonnullorum ejus consiliariorum censuram ex gratiosa suae Celsitudinis annuentia, ad notificandam rei veritatem ac turbatores si qui forent compescendos, hos quoque Canonibus, cum quibus per omnia concordant, adjungere ac una cum iis, explicatius aliquanto in lucem emittere[1]), sic de aequis lectoribus (iniquos enim

[1]) Canones intelligit, quibus hodiedum ecclesiae Transylvanicae reguntur.

non moramur) in animo persuasi, ut eas aequi bonique sunt* consulturi, et si quae etiam minus in iis probaverint, censoria tamen virgula, consideratis circumstantiarum qualitatibus, minime notaturi, verum iis non obstantibus sanctam nobiscum amicitiam ac fraternitatem culturi. Vale et nos mutuo charitatis affectu prosequere.

Tuus in Christo, Domino communi, conservus S. K. G.

Conclusio.

1. Si quidem unio ac communio sanctorum sit instar nervorum ac tendinum, quibus universa corporis mystici membra sub uno capite, Christo, firmiter compacta, indivulse cohaerent ac conglutinantur, Synodus ista nationalis in nomine Domini congregata hac ipsa occasione satis tristi sanctam eamque perpetuam inter ecclesias Hungaricas, cis et ultra Tibiscum sitas, ut et Transylvanicas ex verbo Dei reformatas, unionem a piis nostris Majoribus olim sancitam, ante omnia, ut omnium maxime necessariam, unanimi delegatorum consensu ac singulari desiderio, renovat et confirmat, seque omnes praedictae ecclesiae promptissimo animo ad sibi invicem, necessitate ita exposcente, opem ferendam ac communem ecclesiae ecclesiasticaeque disciplinae causam, mutuis consiliis ac auxiliis pro virili juvandam obstringunt.

2. Ut autem eo arctiori inter se vinculo connecti possent, aequissimum sanctae Synodo visum est, ut publica aliqua confessio, Apostolicae ac Helveticae correspondens, communi nomine Latine ac Hungarice breviter concipiatur, cui publice approbatae ab omnibus concorditer subscribatur, ac praeterea eadem ubique Catechesis Hejdelbergensis seu Palatina retineatur ac doceatur; antiqua tamen etiam illa Hungarica a. p. m. Johanne Siderio conscripta, haudquaquam negligenda.

3. Quia vero ad unitatem fidei ac confessionis conformitas quoque rituum ac cerimoniarum non parum requiritur, unanimiter etiam conclusum est, ut communis liturgia, Scripturae sacrae ac praxi piae antiquitatis haud adversa, communes item articuli seu Canones, ex veteribus qua Hungaricis qua Transylvanicis collecti, proximo quoque tempore edantur. Quibus imprimis vero magis substantialibus omnes in universum Hungari, vere reformati atque uniti, imposterum utantur, salva tamen interim unione ac fraterna eorum charitate manente, etiam si quid in minutioribus quibusdam et indifferentibus pro circumstantiarum varietate discrepaverint.

4. De Baptismo, quo de imprimis controvertitur, pro re nata concluditur, quod is ordinarie quidem, non obstante gravi aliqua ac inevitabili necessitate, uti hactenus, sic et deinceps in Templis seu locis quibusvis

---

* sint (ed.)

publico Dei cultui destinatis, praesentibus aliquot testibus seu susceptoribus, semper administrari debeat. Extraordinarie tamen infantibus ob repentinum aliquem morbum de vita periclitantibus, si parentes illorum enixe a pastoribus contenderint, privatim quoque, locis tamen honestis, adhibita si non justa concione, saltem commonefactione, ad rem praesentem pertinente, verbis institutionis ac precatione, juxta non vulgarium Theologorum quorundam sententiam, iis conferri poterit. Quam indignabunde coetus universus baptismum cujusvis infantis in loco publico apud nos exspectet, et quantum offendiculum ex inhibitione baptismi privati enascatur, experientia jam satis superque edocti sumus. Dissidium itaque ex rebus tam mediis, in ecclesiis nostris, amplius oriri nolumus.

5. Quandoquidem in regno Christi nulla sexuum differentia est, sed par utriusque salutis ratio habenda, sicut pro pueris masculis in literis instituendis, pagatim ac oppidatim, scholae Latinae constitutae sunt, ita etiam pro puellis ac femellis vernaculae, prout locorum commoditates patientur, aperiendae sunt, in quibus eae literas legere, et si ipsis parentibusque cordi fuerit, etiam pingere discant, ut hoc modo ac medio ex lectione Bibliorum aliorumque utilium ac captui ipsarum accommodatorum librorum, in doctrina salutis ac pietatis exercitiis facilius ac felicius proficere queant.

6. Quoniam Majores nostri divinitus excitati ecclesias Hungaricas ac Transylvanicas ab abominationibus papisticis heroico plane zelo repurgantes, Presbyterium ipsum ob varia obstacula (quorum pleraque etiamnum supersunt) instituere non potuerunt, id nos ob multiplices ac insignes ejus in ecclesia usus, in gente quoque nostra, juxta normam institutionis Christi et Apostolorum praxinque veteris Ecclesiae, si modo commoditates quae ad id necessario requiruntur affulgerent, ac misera servilisque plebis nostrae conditio ac inhabilitas pateretur, si denique summus noster Magistratus coeterique ordines ac status orthodoxi adstipularentur instauratum, sano sensu ac fausto eventu animitus exoptaremus.

7. Lectionis capitum Biblicorum quotidianae post preces publicas matutinas ac pomeridianas, jam ab aliquot retro annis in ecclesiis Transilvanicis felicissime coeptae ac continuatae, receptio a fratribus Hungaricis ad proxime futurae ipsorum Synodi generalis deliberationem est relata.

8. Episcopatum seu Superintendentiam, inde a reformatione prima in Transilvania ac praecipuis Hungariae partibus salutariter inter ministros ecclesiarum vigentem, tantum abest ut sancta Synodus abrogatam imposterum quoque velit, ut potius melioris ordinis ac disciplinae, nec non etiam puritatis doctrinae commodius conservandae, schismatumque ac intempestivarum innovationum praecavendarum causa ad instantiam Dominorum politicorum transtibiscanorum, accedente quoque gravi

ac sapiente celsissimi Principis, Domini Nostri clementissimi, judicio, ex fratribus etiam transtibiscanis, Episcopum aliquem seu Superintendentem vel quovis alio nomine nuncupandum, communibus eorum votis ac suffragiis eligendum censeat. Quod quidem ipsorum deputati ad consilium communis suae fraternitatis distulerunt.

9. Festa anniversaria, utpote Nativitatis, Circumcisionis, Passionis, Resurectionis et Ascensionis Christi salvatoris, nec non Missionis Spiritus sancti, hucusque summo consensu, pia devotione magnoque cum fructu a plerisque Christianis, in gratam eamque solemnem salutarium Dei beneficiorum in fideles suos electos collatorum commemorationem celebrata: dehinc quoque eadem christiana libertate, absque omni hypocrisi ac superstitione, opinioneque cultus absolute necessarii ac meriti, in ecclesiis nostris celebranda esse, sancta Synodus judicat ac pronunciat: ac iis, qui abrogationem illorum clam vel palam, publice vel privatim, proprio suo vel paucorum quorundam arbitrio, moliri certo deprehensi fuerint, ad generalem usque illius sub quo degunt Episcopatus Synodum, suspensionis ab officio poenam decernit. Etsi namque illorum observatio in libera ecclesiae universalis dispositione consistit, nunquam tamen, durante mundo, justas ac sufficientes abolitionis ipsorum causas affuturas credimus.

10. Quo vero populus ad majorem animi hilaritatem ac fervidiorem devotionem in feriis illis Deo dicandis excitari possit, injungitur omnibus ecclesiae ministris, ut conciones suas quantum possunt ad solemnitatem eorum dierum accommodent, easque non ex materia quavis communi, verum ex historiis illorum Dei beneficiorum, quorum tunc recolitur memoria, instituant, aut alios quosdam textus, de iisdem redemptionis partibus ac operibus, quae in iis celebrantur, sonantes, resolvant ac explicent, publicasque pro iisdem Deo cum toto coetu gratias agant.

11. Cantores similiter cantiones festis illis diebus convenientes ac analogiae fidei congruentes, tam ex minori seu Impresso ut vocant Cantionali, quam vero ex majori, quod Graduale dicitur itemque Psalterio, ad melodias Gallicas metrice vel saltem rhytmice composito ac per D. Albertum Molnarem p. m. in vernaculam nostram translato, concinant. Ea tamen brevitate ac moderatione usi, ut nec tempus sacris concionibus destinatum eripiatur, nec auditorum aures ac animi, affectata modulationis suavitate nimium oblectati, auditum verbi Dei fastidiant.

12. Quoniam theoria ac praxis, ut in alia quavis scientia, sic et in Theologia, sororio inter se vinculo connexae sunt, ita ut altera sine altera frustranea sit — illa enim fundamenti, haec vero structurae rationem habet — consultum omnino visum est, ut practicis concionibus dogmaticae quoque nonnunquam interserantur; quin imo pastores ecclesiarum prima cura suos auditores in capitibus fidei christianae probe instituant, ac

sic demum praxin eorum iis ostendant. Quocirca si non frequentius, saltem diebus Dominicis a meridie conciones catecheticas juxta seriem Dominicarum, in quas Hejdelbergensis Catechesis est distributa, ex quodam canonicae Scripturae loco adsumpto, habeant.

13. Funera, prout jam longo et quidem non impio, si superstitio absit, usu obtinuit, pulsu campanarum ac cantibus piis in coemeteria deducantur, ac conciones super eis convenientes pro ratione defunctorum instituantur, ita ut eae non tam encomiasticae vel panegyricae, quam institutoriae ac consolatoriae sint, ne concionatores assentationis suspicionem incurrant. Naeniae porro illae seu rhytmi lugubres anilibus ut plurimum nugis, ad lacrymas eliciendas confictis, scatentes; ut et ineptae quaedam cantilenae, nunc recenter a quibusdam parum Theologis stilo fere profano hinc inde conflatae, e sacris ritibus explodantur, sed veteres illae ac usitatae, quibus jam populus asuevit, canantur.

14. Seniores Ecclesiarum seu Dioecesium invitis auditoribus pastores non imponant, sed legitime ab iis vocatos, si ab eruditione ac pietate sint satis commendati, illis gratificentur, alioqui rudes aut dissolutos, eoque loco judicio totius Dioeceseos indignos ac etiam insufficientes, salva conscientia in derogamen sacri ministerii ac jacturam salutis simplicium, concedere illis minime poterunt.

15. Si qui auditorum ob vitiosum aliquod factum vulgo sint infames, necdum tamen scelus eorum sit liquido patefactum, sed sit quasi subobscurum ac dubium, priusquam in foro civili causa eorum dijudicata fuerit, arceri a sacris non debent, modo dent operam, ne diu in illa infamia cum infirmorum scandalo ac totius coetus opprobrio haereant. At notorii malefici, etiam antequam a Magistratu politico damnentur, illaesa conscientia cum ignominia nominis divini, profanatione sacramentorum ac infirmorum scandalo, ferri in ecclesia haudquaquam possunt.

16. Si qui vel Ministri ecclesiarum vel Rectores scholarum ex Hungaria in Transilvaniam, vel ex Transilvania in Hungariam, illic manendi studio transmigraverint, nisi literas testimoniales sub sigillo Dioeceseos usuali ac propria Senioris subscriptione attulerint, nusquam eis functio aliqua seu ecclesiastica seu scholastica assignetur. Studiosi similiter, nisi per Praeceptores suos a meliori nota commendentur, nullibi in scholas recipiantur.

Conclusiones 17, 18 et 19 superius Cap. X § V sunt exhibitae.

20. Qui autem sine istis Reversalibus vel jam discesserunt, vel post discessuri sunt, ubi redierint, nusquam iis vel in ecclesia vel in schola aliqua locus adsignetur, priusquam se Reversalibus scriptis et datis ad ea praestanda sancte obligaverint.

21. Si qui vero ex iis, quibus jam aliqua vel ecclesia vel schola commissa est, suspecti vel de doctrina vel de ritibus habeantur, diligens

in illos a suis Senioribus inquisitio facienda, ac si certo compertum fuerit, eos vel heterodoxiam aliquam fovere ac docere, vel vero novos ritus clam vel palam introducere studere, post unam atque alteram admonitionem, usque ad generalem Synodum ab officio arceantur.

22. Quodsi autem Senior aliquis in eam suspicionem incurrat, Episcopus seu Superinterdens ipsius, si quidem is sit ex consensu reliquorum Seniorum, vel sicubi Episcopus desit, vicini Seniores ex consensu confratrum in eum inquirant: ac si reus compertus fuerit nec recedere a proposito etiam monitus voluerit, utroque officio ad provincialem ipsorum synodum privetur.

23. Quod si denique Superintendentium seu Episcoporum quispiam male eo nomine audiat, proximus Episcopus cum certis quibusdam ad id deputatis Senioribus accurate in eum inquirat, ac rei veritate ex testibus locupletibus ac sufficientibus sit* comperta, serio admodum ac severe admoneat et increpet, ut desistat et vel suspicionem ullam imposterum ejus rei studiose evitet. Quod quidem si prompto ac obsequenti animo se praestiturum promiserit, parcendum illi ea vice erit. Sin vero nihil minus quam id ipsum spoponderit, vel Synodus nationalis indicatur, vel consistorium generale ex delectis unitorum fratrum qua Hungariensium, qua Transilvaniensium convocetur, ac in eo causa ejus maturo judicio recognoscatur, et si omnino reus et quidem incorrigibilis deprehendatur, solenniter degradetur, et ne quid periculi in privato quoque ejus statu ab eo metuendum sit prudenti consilio dispiciatur.

24. Nomen Puritani tanquam scandalosum, probrosum ac calumniis obnoxium, nobis prorsus est exosum, ac proinde a nemine nostrum temere est usurpandum.

25. Ne quis ullum opus sive parvum sive magnum, quacunque in lingua, sine censura ac adprobatione ecclesiae, vel certorum eorumque doctorum ad id ab ea delectorum, prelo committere, vel ipse typographus excudere praesumat, sub poena confiscationis librorum, vel graviori aliqua, pro qualitate facti irroganda, serio inhibetur.

26. Scholarum diligens ab antistitibus ecclesiarum ratio est habenda, ac pervigili cura allaborandum, ut in iis sincera Theologia ac vera pietas ex sacris paginis ac doctorum orthodoxorum eorumque celebrium scriptis, sobria item Philosophia ac pura tersaque Latinitas ex classicis authoribus methodice doceatur.

27. Rectoribus scholarum quarumcunque inter alia serio injungendum, ne quid adversus disciplinam ac regiminis formam, jam ab ecclesiis Hungaricis communiter receptam, juventuti publice vel privatim instillent, ac eam intempestivis suis invectionibus sugillent, sed in terminis

* sat (ed.)

officii sibi demandati se contineant; alioqui si bis terve moniti, supersedere renuerint, e scholis communi Dioeceseos vel a Synodi generalis judicio ignominiose eliminabuntur.

28. Idem Rectores seu ludimagistri quilibet dependentiam a Pastoribus et Senioribus suis totaque Dioecesi, in qua manent, habeant, monitis illorum piis ac honestis modeste pareant, vestitu consueto, candidatos sacri ministerii condecente ac non peregrino aliquo secularique utantur. Discipuli similiter illorum scholasticum illum longo jam usu receptum habitum, non religionis quidem, sed et discretionis ac honestatis causa, retineant. Turpis namque foret confusio, nec non res ridicula, si studiosi artium liberalium in milites, agrestes, aut artium illiberalium sordidarumque cultores, habitu transformarentur. Refractarii obtemperare nolentes beneficio ac promotione ecclesiae carebunt.

29. Studiosis cathedram publice conscendendi ac concionandi facultas non aliter concedatur, quam si se ad sacrosanctum ministerium in animo devovisse sancte testentur; alias id salva conscientia, sine profanatione sacri ordinis ac ministerii nec ipsi facere possent.

30. Quoniam in celebrioribus scholis Theologiae studiosi exercitii causa, diebus Dominicis, horis antelucanis concionari solent, inconsultum sanctae Synodo ob quaedam inconvenientia videtur, ut plebeji, imprimis autem mulierculae ac virgines, auditum intromittantur.

Synodum istam nationalem indixerat Princeps Transylvaniae Georgius Rákótzi, praefuit illi qua Praeses Stephanus Katona Geleji, adfuerunt ex omnibus Dioecesibus ex Hungaria et Transylvania viri doctissimi [1]). Conditi sunt in eadem Synodo novi Canones Ecclesiastici ex veteribus Hungariensibus ac Transylvanicis singulari cura Stephani K. Gelejini paribus delegatorum votis ad id authorizati, qui cum confirmatione Principis editi sunt anno 1649, atque in hunc diem usque simul cum conclusionibus Synodi hujus ab Ecclesiis Transylvanicis observantur.

§ VIII. Anno 1667 in Hungaria superiore editi sunt alii Canones cum hoc titulo: Articuli, juxta quos regitur Ecclesia in superioribus Regni Hungariae partibus.

Praefatio. Cum nulla hominum societas, nulla respublica, nulla civitas, imo ne domus quidem ulla, sine certis legibus constare possit; ubi nec virtutibus praemia, nec vitiis poenae extant ullae, necesse est, nostram quoque societatem sanctissimis legibus regi atque gubernari, ut ex sententia Apostoli, in ecclesia, quae Dei domus est, decenter omnia et ordine gerantur, tam in doctrina quam moribus et vita pie ac sancte instituenda, ad Dei gloriam ac ministerii ornamentum.

---

[1]) Confer Histor. Reform. pag. 419.

Articulus 1. Primum itaque statuimus, Deum verum a Prophetis ac Apostolis agnitum eum esse, in cujus nomine baptizati sumus, nempe Patrem, Filium et Spiritum sanctum, unum quidem natura Deitatis aeternae, majestate, gloria, operationibus et cultu, sed tribus hypostasibus earumque proprietatibus vere distinctum. Qui igitur Deum ab hoc alium in ecclesia annunciat, ab officio post unam atque alteram admonitionem removendum et excommunicandum sancta Ecclesia statuit.

2. Nemo debet temere involare ad suscipiendum sacro-sanctum Ministerii ecclesiastici munus, sed debet expectare vocationem, ne non missus currere videatur.

3. Vocati ad Ministerium ecclesiasticum non debent ullo pacto ministrare, vel in docendo, vel in administrandis sacramentis, priusquam examinati et ordinati fuerint; ut major sit Ministerii authoritas.

4. Ordinatio non in privato sed in publico peragenda est, tempore generalis Synodi, et consensus universae multitudinis accedere debet, ne quid cuipiam violenter imponatur.

5. Ad Ministerium ecclesiasticum non debet recipi quispiam, nisi qui mediocrem cognitionem Articulorum nostrae fidei teneat sitque aptus ad docendum: nam quoque parum novit, nemo docere potest. Praeterea honestum testimonium de sana conversatione et moribus castissimis habeat, ne majori potius dedecori quam ornamento ecclesiae fiat.

6. Quoniam Spiritus sanctus maledictionem intonat iis, qui opus Domini fraudulenter faciunt, meminerint Pastores, se non ad ignavum otium, nec externam rusticationem, sed in messem Domini evocatos, in qua legendo, discendo et docendo perpetuo occupatos teneri decet. Non discentes autem et negligentes, nec in sacris Literis in melius proficientes, tanquam inutiles mercenarii repudiabuntur.

7. Ordinati debent habere literas testificatorias, de sui ordinatione conscriptas a Seniore, quo commendatiores ecclesiae esse possint, et majori etiam cum authoritate docere.

8. Quia ordinatio Ministrorum non potest fieri sine expensis auditorum, ideo ordinati testandae gratitudinis ergo locum mutare intra biennium non debent, nisi si id ex consensu auditorum et voluntate fiat.

9. Collocati jam in Ministerio praeter Evangelia Dominicalia (quae interdum magna cum utilitate explicari possunt) integras conciones ex Prophetarum et Apostolorum scriptis desumere debebunt, et quidem ideo, ut Pastor et auditores in melius quotidie proficiant et crescant in doctrinae coelestis cognitione.

10. Catechismus non debet omitti, sed juventus in fundamentis fidei Christianae diligenter est instituenda, ut postquam lacte satiati fuerint, solidioris quoque cibi capaces esse possint. Catechismus autem unus et idem omnibus in locis docendus, ne Pastorum mutatione, forma quoque

doctrinae et institutionis mutetur, cum evidenti auditorum dispendio.

11. Ministri ecclesiarum magna diligentia debent facere suum officium, hoc est, docere verbum Dei, nempe Legem et Evangelium, et administrare Sacramenta, puta Baptismum et Coenam Domini, addita promissionibus divinis. Baptismus* quidem infantibus et, si petatur, etiam adultioribus, sed prius catechisatis et in doctrina ac religione Christiana recte fundatis. Deinde coenam Domini, ea, qua scimus usum fuisse Dominum et Apostolos, ceremonia.

12. Sacramenta non debent administrari, nisi in publico loco praesente coetu, et quidem antemeridiano tempore, quod non solum de coena Domini, sed de Baptismo quoque dicimus. Et id quidem ideo, quia Baptismus sacramentum sit nostrae in coetum Ecclesiae insertionis, deinde ne dignitas sacramentorum vilescat, excepto tamen casu necessitatis.

13. Administratio Baptismi mulierculis nullo modo permittenda est, etiamsi mortis necessitas urgeat. Mulieribus enim munus ministrandi in ecclesia non est permissum; sed quorum est docere, eorumdem et sacramenta administrare.

14. Qui verbum Dei rejiciunt ac religionis Christianae fundamenta, imo vel orationem Dominicam ipsumque Symbolum Apostolicum ignorant, Deum contemnunt, ut sunt Cigani multi, et similes profani, his velut alienis a fide Christiana sacramentum quoque Baptismi et Coenae negandum statuimus. Imo etiamsi moriantur, honorifica sepultura non afficiendos. Sanctum enim non est dandum canibus, neque margaritae abjiciendae sunt porcis.

15. Quia plerumque homines correctionis impatientes eo prorumpunt contumaciae, ut verbo et sacramentis prorsus renuntient et cum ministris perpetuam foveant inimicitiam, tales semel atque iterum sunt admonendi ex Christi mandato, postea ni resipuerint publice arguendi. Postremo ubi his nihil proficitur, etiam excommunicandi, et quidem ita ut non solum vivis, sed etiam mortuis, tum illis ipsis, tum familiae vestigiis ipsorum insistenti, Ministerium ecclesiasticum in omnibus prorsus interdicatur, ac a communi etiam loco sepulturae arceantur, ut ex Christi regula mortui sepeliant suos mortuos.

16. Dies festi Sanctorum, quorum observatio ex eodem fonte cum invocatione Sanctorum promanavit, nullo modo sunt observandi praeter diem Dominicum, Nativitatis, Circumcisionis, Passionis, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes cum suis feriis.

17. Cum dies Dominicus cultui divino sit destinatus, operas manuarias prorsus omnibus in locis interdicimus. Ministrorum erit ergo vigilare, ut violatores Sabbathi numella primum puniantur, deinde vero, si Ma-

---

* Baptismum (ed.)

gistratus officium non faciat, verbo et sacramentis interdicendum erit.

18. Ceremoniae, quae boni ordinis causa sunt institutae, et nonnihil faciunt ad exercitia fidei et pietatis Christianae, sunt observandae; ita tamen ne alligetur iis opinio cultus, meriti aut necessitatis. Deinde vero plus temporis tribuatur docendo et audiendo Dei verbo quam cerimoniis.

19. Satis est, si quis spartam quam nactus est, ornare, hoc est loco illi, in quo positus est divinitus, ministrare poterit. Proinde nemo duobus vel tribus locis simul inserviat, nisi ab antiquo ita fuerit ordinatum, ut sunt plerumque uni loco duo vicina loca adjuncta, alias annuo loci illius proventu privabitur per Seniorem.

20. Pastores loca ejusmodi inhabitantes, quae diaconos vel collegas habere solita fuerint, omnem debent operam et diligentiam adhibere, ut is ordo in locum restituatur, neque Pastor sui collegae munus eripere et proventum utriusque percipere debet, alias Diaconatus proventu privabitur.

21. Quia autem scholae seminaria sunt ecclesiae, Pastorum est officium scholarum singularem habere rationem et in omnibus locis tales praeficere ludimoderatores, qui pueritiam et juventutem in studiis pietatis et humanioribus literis sedulo erudiant et informent.

22. Rectores scholarum, quemadmodum a Pastoribus et vocari et collocari solent, imo plerumque ex Pastorum mensa vivunt, ita iisdem in omnibus pietatis et humanitatis officiis debitam obedientiam praestare debent, tum ipsi Rectores, tum ipsorum auditores. Inobedientes autem et rebelles tam Rectores quam studiosos ejiciendi authoritatem Pastores habent, re tamen prius cum Seniore communicata.

23. Ut Pastores suum Rectoribus demensum ex officio subministrare debent, ita vicissim Rectores scholarum iis, quae pro facultate rei familiaris ipsis apponuntur, contenti sint, modo ne inique et fraudulenter cum ipsis agatur; ultra posse enim nemo cogitur.

24. Ut autem Rectores id quod suum est, tam a Pastoribus, quam a plebe jure exigunt, ita vicissim ex communi justitiae regula, suum officium fideliter faciant. Ac in informanda juventute scholastica, non tam privatis studiis incumbere, nec tam privatum commodum, quam auditorum suorum profectum sperare debent. Ideoque ad illorum captum et ingenium ita sese Rectores accommodent, ut nisi inchoatas semel lectiones ad terminum anni sui (praeter unam Dialecticen, cujus explicationi biennium conceditur) fideliter absolverint, omni suo stipendio et annuo salario tanquam fuci et inutiles mercenarii privandi sunt. Non discentes autem nec docentes, ut sunt multi pagani et uxorii Rectores, amovendi sunt.

25. Ad gubernationem scholarum aliasque Ministerii ecclesiastici functiones, ut sunt cantorum pulsatorumque officia, non temere quilibet

fuci et a pietate Christiana genereque vitae ecclesiastico prorsus alieni sunt admittendi; sed de quibus bona spes sit, imo qui sese obstrinxerint, suam operam olim Ecclesiae locaturos, ne panem filiorum ex altari suffuratum indigne absumant.

26. Quia autem scholae sunt illa ecclesiae seminaria, ex quibus Deus in suam messem operarios evocare solet, studiosos quoque ipsos, qui in scholis bonis literis operam navant, oportet non solum in moribus, sed in externo etiam habitu pietatem et singularem modestiam prae se ferre et vestitum huic ordini convenientem gestare. Non decentem autem ipsos vestem militarem, dissectos pileos, cothurnos, Turcicam rasuram et id genus alia sibi usurpantes, armaque importune gestantes et grassantes ex schola explodendi sunt.

27. Minister nec ingredi quopiam nec locum mutare debet absque Senioris, cui subest et cui subjiciendus erit, nutu et voluntate, secus facturus annuo spatio privabitur officio.

28. Nemo debet locum, quem ambit, per cuniculos invadere, ita ut pastorem ejus loci traducendo, inde eum ejicere studeat, non exspectans vocationem, nec suo loco contentus, aliquin * talis ad spatium unius anni privabitur. Idem statuendum de iis quoque, qui potentiorum authoritate freti, reluctante plebe, quasi per vim sese ingerunt, cum maxima ministerii ignominia et Verbi divini contemptu.

29. Nemo alicui loco se ipsum obligare debet, nisi prius a suis venia accepta, et eo cui successurus est honeste dimisso atque pro mercede laboris contentato, alioquin vocatio irrita fiet, et loco etiam in quo antea vixit exturbabitur.

30. Ministri locum mutaturi et in alterius Senioris ditionem transituri, a Seniore, cui prius paruerant, testimonium accipere debent de sua honesta conversatione, quod praesentare debebunt Seniori, cui deinceps parituri sunt, secus facturi non recipientur, jam vero recepti mulctabuntur fl. 12. Plerique enim perpetrato scelere aliquo sese subducunt et alio commigrant, ut sic poenam commeritam effugiant.

31. Ministri si possunt esse contenti mercede, quae pro laboribus ipsorum eis penditur, et eorum opera auditoribus grata est, non debent frequenter mutare sua loca, ne proprium commodum magis quam Ecclesiae aedificationem quaerere videantur.

32. Quia ex sententia divinae legis, Christi et Apostolorum, dignus est operarius mercede sua, ideo civitates et pagos, justo et legitimo proventu Pastores suos defraudantes, Pastore privandos censemus.

33. Ministerio interdicendum est iis auditoribus, qui ob leves injurias, vel saltem, quia correctionis sunt impatientes, Ministros probatae

* alioquin (ed.)

doctrinae et vitae ablegant, donec illi rationem sui facti in Synodo sufficientem reddiderint.

34. Quicunque in gratiam plebis aut patronorum reditum ecclesiasticum, jam ab antiquo Ministris ordinatum, imminui aut ulla ratione defalcari patiuntur, dummodo ipsi ibi tolerentur, loco tanquam boni publici fures exturbabuntur.

35. Si quis Pastorum vineas ad ministerium pertinentes neglexerit incultasque reliquerit, justa aestimatione facta, damnum a Pastore datum resarciatur, nec interea dimittatur, donec satisfaciat, tanquam altaris et successorum suorum depraedator. Ita enim a Domino statutum est, ut qui in altari serviunt, ex altari etiam vivant.

36. Ministri ecclesiarum alienis et secularibus, ut Apostolus loquitur, negotiis se ipsos implicare (utpote causis forensibus, decimis exigendis et his similibus) nullo modo debent, alias punientur a Seniore mulcta fl. 12.

37. Nemo ex iis, qui Domino ministrant, debent accipere usuras, quaestum vel lucrum exercere, et vel pecuniae vel vini vel frumenti ampliationem cum evidenti proximi detrimento accipere. Deprehensi autem in usuris, quaestumque exercendo, primum bonis erogatis et acceptis privabuntur, denique ni resipiscant abjicientur.

38. Ministris danda est opera, ut inculpatae sint vitae: deprehensi autem in scelere utpote homicidio et furto, adulterio &c. privandi sunt officio, et in manus politici Magistratus tradendi.

39. Si qui ebrietatis accusati fuerint, semel et iterum monendi sunt, quod si emendare vitam noluerint, officio privandi sunt. Idem statuendum et de plagosis, procacibus et convitiis ac jurgiis publice cum ingenti scandalo et ministerii ignominia certantibus.

40. Ministri, turpi aliqua infamia notati et ideo depositi vel excommunicati, nullo modo ministrare debent, nisi reconciliati Ecclesiae fuerint. Secus facturi in perpetuum abjicientur.

41. Ministri depositi et privati ab officio per aliquem Seniorum, ab alio nullo modo recipi debent, nisi suo Seniori et Ecclesiae prius reconciliati fuerint.

42. Quicunque alicujus criminis convicti et ab Ecclesia poena commerita multati, ad potentiores externumque praesidium confugiunt, sese Ecclesiae et ejus judicio contumaciter opponentes, ii in perpetuum et sine ulla spe veniae tanquam putida membra abjiciantur et proscribantur.

43. Familiam quoque talem habeant Ministri, quales ipsos oportet esse, sicut Apostolus praecipit, et arcere quantum possunt luxum, sumptuosas vestes et peregrinum habitum, et a se et ab uxoribus, ne videantur majorem habere rationem cultus exterioris quam interioris, officio autem suo et dignitati personarum convenientem habitum circumferant.

44. Saltationes vel (ut vocant) choreas vel in publico vel privato loco Ministris omnino interdicimus, transgressores autem serio punientur.

45. Desertae personae sine legitima ecclesiae cognitione et libello repudii vel divortii prius non accepto a Seniore, sic etiam conjuges impares et virgines infra annos 14, copulari non debent. Transgressores autem mulctabuntur primum fl. 14, deinde idem facientes saepius, officio privabuntur.

46. Quoniam ex dispari conjugio graves saepissime controversiae et lites publicaque scandala oriuntur, cum vetulae et mulieres temulentae, veneris sui causa, modo ipsae lautius tractentur, personas inconvenientes in matrimonium cogunt, operam dare Ministri debent cum suis civibus, ut in omnibus oppidis et pagis certae et honestae personae constituantur, quasi nuptiarum magistri, quorum auspiciis idoneae et convenientes personae copulentur.

47. Si qui vel baptismum vel copulationem conjugum petant a Ministro, qui quidem non sint ex suis auditoribus, nullo modo iis ministrandum est, nisi idonei testes adhibeantur, de sui Pastoris vel absentia vel aegritudine. Saepe enim hac ratione impurae, ineptae vel non liberae personae copulari solent, alioqui secus facturi multabuntur flor. 12.

48. Dominicis diebus non est permittenda nuptiarum celebratio, cum is dies non conviviis aut helluationibus, sed audiendo verbo Dei et sacris coetibus frequentandus* dicatus sit. Transgressores multabuntur flor. 12.

49. Ut scandala evitari possint, et ne quomodo per errorem personae inconvenientes aut illiberae conjugantur**, ante nuptiarum solemnitatem et juramentum ipsum, in frequenti ecclesiae coetu praecedere debet denunciatio earum personarum, quae in matrimonium copulari debent, cum seria auditorum admonitione, ut si quid inconveniens inter eas sciverint, mature Pastorem edoceant.

50. Introductio ut vocant novarum nuptarum et puerperarum omittenda est, quod illud Papisticum, hoc vero Judaicum sit.

51. Conventicula juvenum cum virginibus, tempore vespertino usitata sub praetextu qualicunque, prohibeantur. Muliercularum item nocturnae comessationes et petulantiae in conviviis puerperalibus et bacchanalicis grassationibus penitus tollantur. Reluctantes autem ex Dei verbo arguendi et tandem, si prorsus resipiscere nolint, ministerio interdicendum ipsis erit.

52. Quo autem magis in officio tam Pastores, quam ipsa plebs contineri possint, singulis annis ecclesiarum omnium visitatio fiat, ex recepta Ecclesiae consuetudine.

---

* frequentandis (ed.)

** conjungantur (ed.)

53. Propter ordinationem fratrum et ut Pastorum vel inter se vel aliorum contra ministros accusationes et controversiae cognosci et decidi possint, item variae et multiplices causae forum ecclesiasticum concernentes dijudicari; Synodus singulis annis convocanda est, cui etiam scholarum Rectores interesse debebunt.

54. Si qui Synodis non interfuerint, nisi gravis aliqua et inevitabilis necessitas interveniat (de qua, per literas aut vicinum Pastorem, Seniorem edocere debebunt), juxta determinationem Synodi puniendi sunt fl. 3.

55. Ad negotia vero ecclesiae ad praesens urgentia a Seniore vocati et venire praetermittentes, privataque sua negotia publicis majoris aestimantes, punientur primum fl. 1, deinde fl. 3, tertio tanquam contumaces et inobedientes abjicientur[1]).

§ IX. *Synod. Albensis an.* 1671. — Generalis Synodus celebrata est Albae Juliae in Transylvania anno 1671 die 2 Octobris, ubi praeter alia, quae pro temporis exigentia expedita sunt, communi Politicorum et Ecclesiasticorum suffragia * sequentes sunt factae conclusiones.

1. Probrosa et scissionem facientia nomina, Episcopalis, Presbyterialis, inter fratres non audiantur, sub severissima animadversione sancitur.

2. Auditores non tantum juniores, sed etiam grandaevi catechisentur a Pastoribus.

3. Canones ecclesiastici rigide ab omnibus observentur: Minister ecclesiae aut scholae quicunque sese iis conformare noluerit, quaerat sibi stationem extra ditionem serenissimi Principis.

4. Ministri tenuioris sortis et doctrinae precibus a doctioribus compositis utantur, ne quid scandali in coetu committant[2]).

5. Cultus publicus mane tempestive, vesperi sub occasum solis celebretur[3]), diebus profestis.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Hungaricis Bibliorum versionibus et editionibus.

§ I. Biblia sunt paradisus animarum unicaque aeternae salutis via, quae data sunt in normam Credendorum et Faciendorum salutem

[1]) Historia Reform. pag. 430.

* suffragio (ed.)

[2]) Reformati in Transylvania profestis diebus bis mane et vesperi ad publicas preces convenire solent, bis item ordinarie dominico ad publicas conciones.

[3]) Ex Protocolo Fratr. Tract. Albensis Msst.

aeternam anhelantibus. Adeoque Christianus si suum nomen tueri velit, iis carere non potest. Hungari seculo decimo Christianam religionem exuto gentilismo secuti, an sacras Literas in propria sibi lingua habuerint vel non? clarum non est. Stephanum primum, Regem Hungarorum, pietate celebrem, in sacris Scripturis bene instructum ac versatum fuisse, docent ejus ad filium Instructiones. Versionem quoque Hungaricam ante tempora Reformationis exstitisse colligo inde. Primo. Quoniam Hungari Christianam religionem acceperunt praecipue a Graecis, quod superius fuse ostensum [1]). Graecorum autem ea fuit consuetudo, ut quibus veram doctrinam impertirent, illis etiam sacras Literas transponerent. Quod satis patet exemplo Methodii et Cyrilli, Venedicas gentes convertentium et in eorum linguam Biblia sacra transfundentium [2]). Imo communis ea fuit olim consuetudo, rationi maxime consentanea Christianorum, utpote unicum et efficax receptam veritatem conservandi medium; hinc Johannes de Monte Corvino Hungarus, cum legatione apud Tartaros fungeretur circa annum MCCLXXXVIII, quo uberiores inter barbaros religio Jesu Christi caperet fructus, Novi Foederis libros cum sanctis Davidis hymnis in linguam Tartaricam convertit et pulcherrimis literis conscriptos publicavit [3]). Idem factum fuisse apud populosam Hungarorum gentem non est, cur dubitemus.

§ II. Quia secundo Hedwigis, Ludovici Hungarorum Regis filia, uxor Jagellonis Ducis Litvaniae, qui Christianismum amplexus est, praecipitante seculo decimo quarto in linguam Polonicam sacrum Codicem curaverit transferri. Ubi fuerat educata apud Hungaros, debuit primum lingua materna sacri Codicis intelligentiam habere, atque ita demum peregrinae nationi gustandum praebere [4]). Accedit tertio testimonium viri docti, qui ante centum quinquaginta annos vixit, adserentis, se vidisse, ante ducentos (jam tum cum viveret) annos majorem sacrae Scripturae partem in lingua Hungarica exaratam [5]). Fuit ergo versio Hungarica quoque Bibliorum ante seculum decimum sextum, quam tamen, sicut apud alias nationes, ita quoque apud Hungaros temporum vicissitudines cladi involverunt. Post renatas in Europa literas et doctrinae morumque Reformationem, lux quoque sacrae Scripturae clarius exsplenduit, cujus radii Hungaros quoque uberius collustrarunt.

§ III. Primus, qui de sacri Codicis versione Hungarica cogitasse videtur, fuit Gabriel Pesti Pannonius, Archidiaconus Ugotsensis et

---

[1]) Lib. I. Cap. X et XI.

[2]) Le Long in Bibliotheca sacra Cap. XI pag. 344.

[3]) Moshemius in Historia Tartarorum ecclesiastica pag. 95.

[4]) Le Long in Biblioth. sacra cap. XI pag. 353. Kortholtus De variis Scripturae edition. cap. XXX § 1. pag. 367.

[5]) Georgius Kaldi in Instructione Bibliorum versioni adjuncta pag. 4.

Canonicus Albensis, utile tandem in Transylvania Reformationis instrumentum. Qui e versione Latina, non vulgari sed Erasmi, in Hungaricam transfudit linguam quatuor Evangelia, ediditque Viennae in Austria anno MDXXXVI in forma octava. Titulum fecit partim latinum partim Hungaricum sequentem: Novum Testamentum seu quatuor Evangeliorum volumina lingua Hungarica donata Gabriele Pannonio Pesthino interprete. Uj Testamentom Magyar nyelven, cum gratia et privilegio Romanae Regiae Majestatis ad quinquennium, 1536. Praefationem quoque praemisit latinam, quam, ut scopus interpretis et indoles appareat, huc transferam.

Gabriel Pannonius Pesthinus lectori Christiano S. D.

Multifarie multisque modis Deus olim locutus patribus per Prophetas, extremis autem diebus locutus est nobis per Filium. Qui cursu suo juxta divini Patris sui voluntatem felicissime peracto omnibusque consumatis, coelos potenter ascendit, illicque dexter assidet Deo Patri, unde misso Spiritu sancto in discipulos, nempe Apostolos et Evangelistas, quos in hoc delegerat, locutus est variis linguis, ut omnes omnium nationes audierint illos loquentes linguis suis, in quibus nati fuerant. Non est idcirco quod mireris, o lector Pannonie Christiane, tuum tibi Christum Jesum Servatorem loqui jam illis novissimis diebus lingua et sermone tuo nativo, quo forsitan multis ante hac seculis haud sane ita locutus est, ut omnibus vel parum literatis sese offerret noscendum. Venit igitur ad hostium * et pulsat, vocatque omnes variis vitiorum sarcinis oneratos ad refrigerium et quietem, quippe qui mitis est et humilis corde, atque cujus jugum suave onusque leve. Neque hoc novum aut insuetum putes esse velim. Nam ut omittam enumerare complures nostrae aetatis populos, qui, ut Christi gloria mundo magis ac magis innotesceret, Evangelium suo sermone evulgatum susceperunt et Erasmus quoque, ille homo magni ingenii, majoris eruditionis maximique judicii, ac vir nostrae tempestatis sapientissimi cujusque judicio doctissimus, vehementer dissidere videtur ab his (sicuti testatur abunde in sua Paraclesi in Novum Testamentum), qui nolint ab idiotis legi divinas Literas, in vulgi linguam (ut verbis ipsius utar) transfusas. Quandoquidem sol non perinde communis esset omnibus expositus, atque Christi doctrina, quae nullam aetatem, nullum sexum, nullam fortunam, nullam linguam conditionemve rejiceret. Atque utinam haec in omnes omnium inquit linguas essent transfusa, ut non solum a Scotis et Hybernis, sed a Turcis quoque et Saracenis legi cognoscique possint. Et ut hinc aliquid ad stivam decantaret agricola, hinc nonnihil ad radios suos modularetur textor, hujusmodi fabulis itineris taedium

* ostium (ed.)

levaret viator: ex his sint omnia Christianorum colloquia, tales enim ferme sumus, quales sunt quotidianae nostrae confabulationes. Et ut reliqua, quae ibidem enumerantur taceam, idem refert in indice operum divi Hieronymi. quae perierunt, Hieronymum ipsum haereticorum malleum, natione Dalmatam, Scripturam divinam suae linguae hominibus tradidisse, hoc est, Dalmatice vertisse. Et prae his omnibus vel unicus ille vates Elias nostro quidem judicio nulli non satisfaceret, qui Spiritu plenus conclamat, dicens: In loquela labii et in aliis linguis, hoc est, in diversitate linguarum loquar ad populum istum, cavendum tamen totoque pectore evitandum, ne tales reperiamur, qui nec sic quidem audiremus loquentem nobis Dominum. Hoc ipsum indicasse videtur sacrae Apocalypseos angelus volans per medium coeli habensque Evangelium aeternum, ut evangelizaret habitantibus super terram et omni genti et tribui et linguae et populo vociferans.

Horum igitur ductus autoritate et exemplo, rogatus itidem a fratribus Christianis saepissime, nonnunquam etiam animo volutans, si quid esset, quod mea tenuitas in rem Christianae reipublicae posset afferre in medium. Et quamquam perspicuum mihi fuerat in rebus divinis humanum ingenium, etiam alioqui perspicax, quantum caliget ac coecutiat, neque me latebat, quam esset mihi facilis cimba ad tam vastum maris equor arandum, nimirum, qui sacras Literas non modo non ediditeram, sed vix degustaram. Verum quod nostro marte efficere non poteramus, consilio simul et auxilio hominum in ea re probatissimorum praestitimus curavimusque, ut quod nostris viribus erat diminutum, id ex aliorum suppetiis sarciremus. Resumpta itaque audaciore minerva, invocatoque Dei nomine propitiore (qui nulli sese lubentius impartit, quam simplicibus animis) negotium aggredi haudquaquam veriti sumus, non parcentes laboribus nec vigiliis, quo sincerum hoc ac sacrosanctum et inviolabile aeternae lucis sacramentum paulo uberius diffunderetur, sperantes interim ac certam habentes fiduciam, Christum veluti columnam lucidantem sensus nostros nobis in transferendo praeiturum.

Porro interim (citra omnem invidiam) locum aliis melius transferendi semper relinquentes. Quod si quis nobis felicior ingenio fecerit, nos hominis illius industriam et exosculabimur et publice gratulabimur utilitati. Nam ut res sunt humanae nunquam sine defectu, ita erratis nostris (si quae forsitan reperirentur) prece humili veniam efflagitare non dedignamur, quam nobis facile, quicunque tandem fuerit, daturus est, si persuasum habuerit, quanto labore, quanta fide et diligentia, quantis denique autorum variorum lectionibus pro nostro virili effecimus, ut hoc nostrae imbecillitatis qualecunque monimentum omnibus quantum fieri posset numeris absolutum exactumque in lucem progrederetur, praesertim cum ipsa errata (si quae fuerint) occasionem aliis optime vertendi

praebebunt. Unum hoc certe intrepide affirmaverimus bonam nos praestitisse voluntatem. Proinde ut nobis propositum inserviendi reipublicae Christianae fuit, ita par est, ut candidus et Christianus lector veluti propagationi illius Religionis cupidus et anhelans nobis faveat et praesenti sese translationi accommodet, quod procul dubio futurum crediderim, si eo animo quo ego simili quisque accipiet. Vale. Viennae Austriae die XIII Julii anno MDXXXVI.

Comparent in ista editione carmina etiam gratulatoria virorum ea aetate celeberrimorum. Joannis Alexandri Brassicani Jurisconsulti ad interpretem Novi Testamenti Gabrielem Pannonium Pesthinum discipulum suum aliquot disticha:

1. Dum tibi dexter adest nitidis Cyllenius alis,
   Diceris interpres esse bonae fidei.
2. Pannonius dum sacra legit te interprete verba,
   Facta ait est partu Maja beata novo.
3. Qui patriae vitam pulcherrima munera mittit,
   Hunc nomen patriae dixeris esse bonum.
4. Indigetem patriae potuit qui reddere Christum,
   De se promittit plurima; multa dedit.
5. Conversa haec nitide dum cerneret, inquit Apollo:
   Debemus linguis cuncta semel variis.
6. Plaude tibi Gabriel prodi et felicibus auris
   Debebas patriae, debet et ipsa tibi.
7. Efferre Aeneas Gabriel dum inferre parentem
   Cogitat, instar habet sic pietas geminum.

Udalrici Fabri Rheti Physici Psaleuticum libellum alloquitur.

Non testudineo precor libelle
Gressu, sed pede tam citatiore
Cultas Pannoniae revise terras
Et quos Ister aquis rigat virentes
Agros aut Titiae fluenta late
Perlabuntur. Adi laboriosam
Gentem, Christigenisque nunciato
Sincerae fidei nitore plena
Extemplo documenta, quaeque jussit
Per gnatum Pater ipse carne nostra
Indutum, pietatis haec referta.
Virtutum via nam subire Christi
Suave et dulce jugum, nihil molesti
Nobis quandoquidem poli creator
Ac mundi dominus colentibus se

Praecepit, modo nemo dogma verum,
Quod per se liquidum est, gravet prematque.
I nunc omni igitur, precor, metallo
Et cunctis pretiosior libelle
Gemmis, quas parit undiquaque littus
Immensum pelagi, vel orbis totus.
Exi quid dubitas recens libelle
Auro nobiliorque gratiorque.
Non est quod timeas feros leones,
Non sylvas, populos, lacus, paludes,
Non montes latebrasque abominandas
Seu quicquid tibi cernitur molestum,
Nec fraudes hominum dolosque mille
Quorundam. Deus est ubique tutor
Doctorum fidei, gregisque Christiani
Ad coeli patriam gradu sequentis.
O ter Pannoniae quaterque tellus
Felix atque beata, cui licebit
Jam nunc in propria videre lingua
Atque audire sacras legendo Christi
Doctrinas, dubio procul labore
Permagno Gabrielis, inde grata
Posthac sis homini, probesque versa
Recte, si qua vides, fideliterque.

Volfgangi Lazii Artium et Philosophiae Magistri ad lectorem Decasticon.

1. Qui sanctum Christi titulum tibi sumis in orbe
   Hunc vigili librum volvere disce manu.
2. Forte putas lateant hoc vilia scripta libello.
   Si nescis, sumi* hic sunt pia gesta Dei,
3. Qui superas linquens nostras pervenit ad oras
   Et sua qui fecit pervia regna piis.

caetera desunt.

Typis descriptum librum Hungaricum isthoc Evangeliorum libro antiquiorem nondum mihi contigit vidisse; desunt quoque hic aliquot literae genio Hungarismi exprimendo necessariae. Orthographia quoque multum abludit a moderna. Scripseram ista, quum nihil tale opinans incidi in antiquiorem adhuc versionem et editionem Epistolarum Paulinarum. Est ea Benedicti Komjati, Instructoris Johannis Pereni filii Illustr. Petri Pereni, qui jussu patronae Catharinae de

* summi (ed).

Frangepanibus, viduae P. Perenii, eam adornavit an. 1532; edidit vero sequenti Krakoviae Hieronymus Victor, qui sequentem praemisit praefationem.

Omnibus Christianae pietatis studiosis Hungaris calchographus S.

Cum abesse non possit, Pannones, quin in tanto rerum vestrarum discrimine ita affecti sitis, ut solent esse homines de sua salute soliciti, optimo consilio ingentique vestro bono evenisse putabitis, quod piorum hominum studio perfectum est, ut vobis illud electum Dei organon, Paulus Apostolus, vestra lingua loqueretur. Afferet enim vobis plurimum spiritualis consolationis, virtutis ac roboris, si quidem eum, ut par est, religiose exceperitis. Nam si illud a M. Tullio, non minus cordato philosopho quam oratore, recte dictum est: Humaniores disciplinas secundas res ornare, adversis profugium et solatium praebere, quanto magis id sentiendum est de his literis, quae ab eo profectae sunt, quem et Deum profitemur, et peculiari nomine Paracleton, hoc est, consolatorem appellamus. Accipite itaque manibus obviis Paulum non jam Hebraeum aut Graecum, sed Hungarum, et in hoc pro se quisque incumbite, ut quemadmodum sermone vestrate captus est, ita consuetudine ac moribus vestris quotidie magis ac magis capiatur. Bene valete, et primitiis laborum nostrorum hoc in genere ita favete, ut nobis ad plura hujusmodi publicanda voluntas et cura augeatur. Cracoviae MDXXXIII.

Tam interpres Hungaricam, quam typographus latinam adornavit hic dedicationem ad illustrissimam patronam Catharinam de Frangepanibus, hic tamen praetereundam. Apparet fuisse ad manus patronae versionem antiquissimam Mssctam Bibliorum, quae tamen an universi Codicis sacri an vero tantum Epistolarum Paulinarum fuerit non satis clarum est. Versio ea scatebat soloecismis, erat quoque ut antiquioris ita et difficilioris scripturae, in quibus correctionem pia Heroina adhibere voluit, atque sic occasio data novae versioni Epistolarum Paulinarum.

§ IV. Johannes Sylvester Kolosvári, postmodum Episcopus Tsanadiensis et nomine cleri Hungarici ad concilium Tridentinum legatus, fuit alter, qui in linguam Hungaricam omnes Novi Foederis libros transtulit; qui sumptibus Illustriss. Thomae Nadasdi regni Hungariae Palatini Uj Szigetini in Hungaria anno 1541 editi sunt.

§ V. Tertius ab his fuit diligentissimus Casparus Heltai V. D. Minister ecclesiae Reformatae Kolosvariensis, qui adornata nova versione, uno volumine Mosis libros, altero Historicos, tertio Hagiographos, quarto Prophetas majores minoresve, quinto denique Novi Testamenti libros sua industria edidit, qui in hunc finem etiam typographeum erexerat, adjutus et quorundam Procerum munificentia, in transferendo vero Vet. Testa-

mento diligentia Stephani Gyulai, Stephani Ozorai et Gregorii Vizaknai, ministrorum Claudiopolitanorum. In Novo Testamento adjutores habuit Stephanum, Lucam et Ludovicum, sed qui illi fuerint non satis declarat. Forma libri fuit quarta. Versatus in hoc opere ab anno circiter 1550 ad annum 1570. Hungarismus sic satis est bonus, sunt equidem voces quaedam nostro nunc aevo obsoletae, attamen rei exprimendae efficaces. Textus sacer nondum in versus, sed solum capita est distinctus. Annotationes adjecit doctas et orthodoxas, unde satis liquere arbitror, nondum eo tempore Antitrinitariis meritum Christi et vicariam satisfactionem abnegantibus nomen dedisse.

§ VI. Eodem fere tempore Petrus Melius, Pastor ecclesiae Debretzinensis, linguarum Orientalium peritissimus, ingens suae aetatis Antitrinitariorum flagellum, edidit Novum Testamentum. Veteris quoque Testamenti partes quasdem in forma folii integri. Libros Samuelis et Regum Debretzini anno 1565 in lucem editos ipse versavi. Uti ipse in praefatione affirmat, Hebraeum textum cum antiquissima Graeca interpretatione contulit, atque ex iis in sermonem Hungaricum transfudit, et quidem non grammatice de litera ad literam, sed ea methodo ut nec textum omitteret, nec sensum imminueret. Subjecit ad calcem interpretationem eximiam, e regione autem omnium versuum, quos secundum textum Hebraeum etiam numeris distinxit, observationes doctrinales et morales. Versio haec omnibus praecipue autem V. D. Ministris esset sume necessaria. Dedicavit Illustribus Matronis Sophiae Patotzi Georgii Bebek, Eulaliae Massai Gasparis Magotsi, viduis relictis. Affirmat quosdam V. T. libros prelo paratos habere, alios promittit interpretandos, si modo sumptus subministrentur; at prodiisse alios mihi non constat. Vocem Hebraicam Elohim ubique vertit Szentháromság Isten Deum Trinunum*.

§ VII. Thomás Felegyházi, concionator itidem Debretzinensis, vir doctissimis libris in publicum editis clarus, versionem Novi Testamenti iterum adornavit, quae an nova sit vel praedecessoris limatior facta ex circumstantiis non apparet; eam doctissimis et copiosis praecipue ad Epistolas Paulinas adnotationibus illustratam post ejus fata Georgius Fabricius Göntzi in munere successor Debretzini an. 1586 in quarto edidit. Aggratulatus est illi Stephanus Felegyházi sequenti carmine:

Ethnica si veterum laudantur scripta virorum,
Si Sophiae tantus plausus ubique datur,
Laudari merito praeclara volumina debent,
Dogmata quae purae relligionis habent.
Talia namque suis cultoribus omnia possunt

* Triunum (ed.)

Munera, quae coeli continet arca, dare.
Quin etiam puto, nos possunt jungere Olympo
Perque pium aeternae ferre salutis iter.
Perpetuam qui vult igitur sibi quaerere laudem,
Assidua volvat sedulitate sacra.
Aethereas animo semper sic tendat ad arces,
Sic requiem quaerat tempus in omne sibi.
Si cupis ergo piae cognoscere gaudia vitae
Et paradisiaca commoditate frui,
Hunc cape, qui patrio tenues liber exit in auras
Sermone, hunc omni sedulitate lege.
Hunc licet Hebraeo librum sermoneque Grajo
Scripserit aeterni fida caterva Dei.
Cum tamen iste liber coeli patefactus ab arce
Debuerit multis utilis esse viris,
Vox ea non poterat nostrae prodesse catervae.
Non omnes unus sermo juvare valet.
Ergo pii quidam librum hunc fecere latinum,
Utilis ut posset pluribus esse viris.
Sed nec adhuc cunctis poterat prodesse, sed ille
Pannonici optabat munus habere soni.
Hunc igitur celebri Reverendus nomine Thomas
E Grajo in patrium transtulit ecce sonum.
Ingenium cujus toto venerentur in orbe
Qui volvunt istum sedulitate librum.
Verborum quoniam graviorum pondera miro
Excutit ingenio difficilesque locos,
Huic si fata suam servassent invida vitam,
Munera plura tibi Panno daturus erat.
Quae tamen ille dedit memori si corde revolvis
Ista, dabunt animo commoda multa tuo.
Hoc quoque quod patrio emisit sermone volumen
Perlege, dat cordi grata alimenta tuo.
Hoc nam sparsa libro est verae doctrina salutis
Aeternis implens pectora casta bonis.
Huc igitur si vis coelestia tecta tenere
Accipe, non isto sanctius exstat opus.

Stephanus Felegyházi frater.

§ VIII. Petrus Bornemiszsza et Stephanus Székelly Bentzedi, viri docti et Reformatores in Hungaria, variis libris vernacula editis satis celebres, promiserant uterque sacra Biblia Hungarice se edituros; an fidem liberarunt mihi saltem non constat. Similiter Eliza-

betha Botskai, Christophori Bathori Wajvodae Transsylvani conjunx lectissima, pietate in Deum, misericordia in egenos nulli secunda, magnis sumptibus in hunc finem collatis sacrum hunc thesaurum publicare volebat, at Heroinae mors praecox hunc conatum intempestive abscidit.

§ IX. Casparus Karoli, Pastor ecclesiae Göntziensis et Tractus Kassoviensis Senior, ex linguis originalibus variisque versionibus novam eamque accuratissinam universi Codicis, imo etiam Apocryphorum librorum improbo labore adornavit versionem; qui adjunxerat sibi in hoc opere symmystas doctissimos, quibus sub decursu trium annorum ad colophonem auxiliante Deo perduxit. Sumptibus aliquot procerum Reformatorum, inter quos eminet Stephanus Bathori, judex curiae et comitatuum Szathmár et Szabolts comes supremus, ejusque pia consors Euphrosyne Homonnea, Sigismundus Rákotzi Dynasta in Hungaria ex manubiis Turcarum bis in campis Szikszoviensibus profligatorum dives effectus ac postmodum Gubernator ac etiam Princeps Transylvaniae, spissis satis duobus voluminibus in folio Visolini, oppido prope Göntz Stephano Bathori subjecto, per typographum Valentinum Mantskovit ex Germania mercede conductum an. 1589 et 1590 edidit. Capitibus summaria praemisit, in versus distinxit, necessariis annotationibus illustravit. Ea versione communiter ab isto tempore utimur. Georgius Turi sequenti tristicho Karolio gratulatus est.

Pontificum tenebris alte plebs mersa jacebat
Et sine coeca libris et sine luce cohors.
Indoluit Caspar Karolinus et auspice Christo
Praeside Rakotzio Biblia versa dedit
Edocuitque omnes et sidera laetus adivit,
O pia magnanimi vitaque morsque viri!

Optaverat enixis a Deo precibus eo usque in vita superesse, donec ultimam labori manum apponeret: voti compotem Dominus eum fecit, qui biennio post edita Biblia in coelestem patriam ad Christum rediit. Cui itidem Turius isthoc distico parentavit.

Patria Karolium: Hospitium Viteberga: Cathedra
Et tumulus magno Göntzia terra viro est.

§ X. Verum cum haec editio pauperioribus aereque tenuiter instructis minime esset parabilis, Albertus Molnár Szentziensis, qui adolescentulus ad latera Casparis Karoli haeserat non otiosus, in Germania versionem eandem a mendis et soloecismis purgavit, bisque in lucem exposuit: primum Hannoviae an. 1608 in quarto, dein Openheimii an. 1612 in octavo majori. Editioni autem huic adjunxerat Catechesin Palatinam, Agenda seu Ritus sacros et Psalmos Gallicis melodiis aptatos. Primam editionem dedicaverat Principi Mauritio Langravio Hassiae, cujus munificam manum saepius expertus erat. Cujus dedicationis posteri-

orem partem, unde labores Molnariani erunt manifesti, bona cum lectoris venia huc transferam. Sic ibi infit:

„Ferdinandus Imperator laudatissimae memoriae anno 1555 Novum Testamentum Syriacum elegantissimis typis Viennae Austriae edi curavit per Albertum Widmanstadium Cancellarium suum et magna copia donavit Syriscis, ut labescentem apud eos religionem Christianam instauraret.

Et ante annos ferme triginta sex serenissimus Princeps Elector Palatinus Fridericus tertius s. m. autor exstitit duobus clarissimis Theologis suis Immanueli Tremellio et Francisco Junio, ut Biblia sacra ex vetustissimis Bibliothecae Palatinae libris manuscriptis ad Hebraicam et Graecam veritatem latine verterent. Quod opus bono admodum successu fuit Francofurti editum et paulo post etiam in Anglia recusum forma elegantissima, et adhuc in Germania recuditur frequentissime cum magno Ecclesiae Dei emolumento. Cum hoc enim exemplari exterae quoque nationes conferendo suas versiones efficiunt meliores.

Hinc factum, ut ante annos prope viginti Ungaricarum ecclesiarum Antistites in vertendis Ungarice Bibliis sacris isto praecipue Tremellii et Junii uterentur exemplari, Bibliaque ederent Visolini auxiliis Illustris Comitis Sigismundi Rakotzi et aliorum Ungariae Procerum. Cujus primae editionis me quoque etiamnum puerum partem aliquam esse voluit Divina Providentia, cum circa illud tempus versarer ad pedes Reverendi viri Caspari Carolini ecclesiastae Göntziensis, qui editionem moderabatur et me frequenter in typographiam Visolinam cum scriptis schedulis mittere solebat.

Quod vero hanc editionem alteram solus ego adornare et provehere potuerim, Tua est (secundum Deum) gratia, Princeps serenissime, qui mihi in Illustrissima Academia haec otia literaria fecisti, adque incumbendum ejusmodi studiis liberaliter me aluisti, remque jam arduam suscipiendi clementer mihi animum addidisti. Mearum itaque est partium Tuae imprimis serenissimae Celsitudini, huic rei impensi laboris mei rationem reddere, sacrique operis hujus dedicatione animum gratum serenissimae Vestrae Celsitudini testari.

Ac initio quidem recte memini, qua pietate et reverentia primam editionem exorsus sit Reverendus vir Caspar Karolinus, cujus me familiarem fuisse modo dicebam. Adstiti enim ipsi aliquando consultanti cum D. Johanne Peltzino Ludi Rectore de convocandis suae Dioeceseos ministris ad concipiendum preces solemnes pro felici operis suscepti eventu. Et currente etiamnum prelo typographico, eum non semel audivi dicentem hisce verbis: Modo Deus superstitem me servet, donec Biblia haec in lucem emittere queam, paratus sum mori et ad Christum migrare. Atque voti compos factus pius senex biennio post migravit ad

Pastorem et Episcopum animarum sanctarum, cujus gloriam promovere etiam libri editione cupiverat.

Quocirca et ego alteram hanc editionem piorum votis diu multumque desideratam et amicorum precibus et literis a me petitam, non equidem sum illotis manibus aggressus, verum quibus auxiliis potissimum fretus opus susceperim quaque fide in eo versatus sim et quantam adhibuerim diligentiam, novit Deus et testis est mea conscientia.

Primum itaque libros Canonicos antea recte dispositos locis suis religio fuisset dimovere. Apocryphos vero a canone segregatos in eum ordinem redegi, quem servavit D. Franciscus Junius et hunc secutus D. Joh. Piscator, praeceptor meus observandus. Versionem primam studiose retinui, soloecismos tantum per correctorem alienigenam illapsos emaculavi. Ortographiam antea neglectam et confusam in libris Canonicis emendavi et complanavi, qua in re, quod supra vulgum aliquid possim, Tuae Celsitudini fero acceptum, cujus mandato Ungaricae grammaticae meditationi fere per annum incubui, sphalmata typographica innumera sustuli. Versus quandoque integros scribarum aut typothetarum negligentia omissos converti et restitui. Argumenta Prophetis, quibus deerant, et omnibus Novi Testamenti libris praemisi: singulis capitibus sumaria, quae in Novo Testamento, excepta Epistola ad Romanos, ubique desiderabantur brevissima conformavi et adscripsi. Partes capitum principales majuscula litera, Psalmos vero hoc paragraphi § signo notavi, concordantias locorum margini adscripsi, et ad quam vocem praecipue referri debeant, asteriscis, cruce et aliis notis signavi. Et quae praeterea praestiterim patebit luculenter cuilibet conferenti hanc nostram cum prima editione. Quae cum ob grandem molem parum tractabilis emptuque tenuioribus esset difficilis, placuit et mihi et amicis magis in hac mediocri forma nunc edere; ut etiam in suggestum secum sumere possint Ungaricarum ecclesiarum ministri, qui soli hactenus inter christianos Scripturam sacram ex libris latinis coacti sunt ad populum interpretari.

In hac autem mea editionis hujus adornatione (laus viventi Deo) nullis fui destitutus adminiculis, clarissimos Dominos Theologiae Professores quos in dubiis consulerem habebam promptissimos inque Bibliothecam Academiae semper patebat mihi aditus per clariss. D. Johannem Hartmannum Med. et Mathematum Professorem, fautorem meum imprimis colendum. Insuper plurimum me juvit pia opera Rev. D. Isaaci Genii, Theologi eruditissimi et multarum linguarum periti, fautoris mei et amici magni, qui varia mihi suppeditavit exemplaria Biblica a diversis nationibus cum ornamentis utilibus edita. E quibus desumptas tabulas chronologicas praefixi libris Historicis Bibliorum nostrorum et notas marginales ipsius admonitu disposui elegantius. Idem pro sua pietate eximia auctor fuit honorabili viduae Levini Hulsii p. m. Cosmographi et Bibliopolae de

Republica literaria quondam bene meriti, ut hanc renovatam editionem sumptu suo procurandam susciperet et e bibliopolio suo promulgaret: id quod illa etiam pie in se recepit.

Quare cum mihi non sit animus peculiarem praefationem ad lectorem instituere, hic obiter moneo et nomine viduae honorandae rogo librarios industrios, ne librum hunc nostro labore sic adornatum citra ejus voluntatem alicubi recudant, vel quoquo modo fructus, quos ejus pupillis hinc percipere aequum est, intervertant. Ipsi enim parati sumus, ubi hanc editionem piis gratam cognoverimus, denuo eam recognoscere et quae forte hac vice animadversionem nostram effugerint admoniti emendare, et pro voto Christi fidelium in minori vel majori forma edere.

Exposui hactenus editionis rationes et adminicula indicavi in Illustri hac Academia Mauritiana optato studiorum portu mihi divinitus oblata. Jam vero ad Tuam Celsitudinem mentis oculos convertam, Princeps serenissime! et ad pedes Tuos reverenter accedens summa cum animi submissione et observantia has quales quales laborum meorum circa sacra Biblia primitias T. Celsit. offero dedicoque, et inscriptione gloriosi Nominis T. in lucem emitto. Quod ut faciam ipsa jubet pietas et cogit animus se T. Cels. gratum declarandi cupidus. Tua enim serenitas e sublimi hac celsitudine, quo Deus Majorum et Tua Te virtus evexit, me (quantulum homuncionem!) clementer respexit haecque studiis meis Halcyonia in Athenis Hassiacis concessit: ubi luculentius mihi deprehendere licet veritatem effati illius Prophetici: Reges erunt nutritii tui et Regine* eorum nutrices tuae.

Ac proinde cum dedicantis munere fungi fida mente laboro, en offendor et obruor virtutum laudumque Tuarum magnitudine ac splendoribus. Cum enim originem specto, video Celsit. Tuam genus suum deducere a Carolo Magno, Imperii occidentis instauratore, quo Christianus orbis non vidit Caesarem augustiorem, non admirabiliorem. Qui inter augustissimas res alias a se gestas, ad promotionem sacrorum voluminum cultumque Artium Liberalium, tot condere voluit collegia, quot literae sunt in alphabeto Germanico: primum Aquisgranense, ultimum quoad literam Zürichense, quod est Tiguri Helvetiorum. Duo vero pro literis intermediis F et H in Tuae Cels. Hassia sunt, Fuldense nimirum et Hersfeldiense. Cujus splendidissimae Abbatiae administratorem nunc agit Illust. et Reverendiss. Princeps Otto Hassiae Landgravius, Tuae Cels. primogenitus filius.

In materno autem Tuo genere emicat et aeternum splendebit memoria Divae Elizabethae Reginae, fortissimi Regis Hungariae Andreae secundi filiae, Ludovico Hassiae et Thurringiae Landgravio nuptae.

* Reginae (ed.)

Cujus sepulchrum regificum, auro puro et pretiosis gemmis fulgentissimum, nos hic Marpurgi conspicimus et suspicimus in magnifico Templo suburbano ab ipsa condito.

o Te felicem tantorum atavorum haeredem, o gloriosum avitarum paternarumque virtutum ac laudum conservatorem atque propagatorem. Vive, vive diu, Princeps Maxime, et prosperare in Domino Tuae felicitatis autore. Qui Majorum Tuorum splendoribus et gloriae tantum eruditionis et laudum cumulum addidisti, ut seculi nostri decus, exemplar Principis literatissimi, speculum vigilantiae et sobrietatis ab omnibus doctis et annalium scriptoribus appelleris atque nuncuperis. Quis igitur est, qui Majorum Tuorum laudes queat enumerare? Celsit. Tuae in literas literatosque munificentiam quis posset dignis celebrare preconiis? Pietatem erga Deum, in subditos clementiam, moderationem et aequitatem in omnes, quis pro dignitate laudabit? Equidem ego sic existimo, quod si quis doctissimorum virorum praefationes et sermones panegyricos Cels. Tuae avo Philippo fortissimo, Patri Wilhelmo prudentissimo Tibique Principum eruditissimo inscriptos dictosque in unum colligeret volumen et conjunctim in lucem ederet, exhiberet sane Principis absolutissimi ideam absolutissimam virtutumque vere heroicarum speculum daret orbi luculentissimum, et praeclare de studiosis literarum mereretur.

In quibus dum argumentorum vim et copiam considero, eloquentiam pondero et artificium, protinus agnoscens nullitatem meam consternor ac prope exanimor. Sed rursus erigor animorque Tuae Serenitatis clementia ac facilitate, qua me quoquo modo balbutientem aliquando clementer exaudivisti.

Quare, ut semel absolvam, reverenter oro Tuam Celsit., ut hoc, quod in animi grati testimonium offero munus Biblicum, serena fronte respicere et manu benigna suscipere velis. Et qui ipse magnorum Regum (quos supra laudavi) exemplo superioribus annis Biblia Germanica per Rever. Doct. Gregorium Schönfeldium praeclare edita populo Tuo donasti, patere etiam haec Biblia sub umbraculo Tuae Cels. a me instaurata glorioso nomine Tuo fieri acceptiora Ungaricae nationi. Et quandoquidem post tot excultissimarum linguarum cognitionem, hanc quoque nostram materni generis memor addiscere voluisti: me ejusdem linguae non postremum (absit dicto arrogantia) excultorem solita benignitate prosequi digneris popularesque meos dilectos, Gregorium Varadinum, Michaelem Szepsinum, Michaelem Foktoinum, Stephanum Debretzinum, Johannem Keserüinum, Stephanum Szikszovinum, Petrum Böszörmenyium, qui mecum in hac Illustri Tuae Celsit. Academia studiis invigilare gaudent, serenissima Tua clementia complecti non dedigneris. Grati erimus omnes in omni vita. Ego vero quicquid ingenioli mei viribus et industria unquam potero, id

omne post divinum Numen Tuae Serenitati promitto ac voveo, serenissime Princeps. Deum oro et Patrem Domini Jesu Christi, a quo omnis bona donatio profluit, ut Tuam Celsit. diutissime servet incolumem, Tibi adsit, Te suo Spiritu regat et confirmet ad omne opus bonum ac omni benedictionum genere exornet cumulatissime, Amen. Marpurgi in Illustri Tua Academia Mauritiana anno ultimi temporis 1608. A. M."

§ XI. Quum Karolius Molnár aliique Reformatorum ministri in edendis Bibliis Hungaricis pro Hungarorum usu desudant, Georgius Káldi Tyrnavia oriundus Societatis Jesu sodalis in animum induxit, novam adornare versionem sacri Codicis, quam etiam anno 1625 edidit Viennae in folio. Coactum se fatetur (in Parenesi suae Bibliorum editioni adjuncta) ad hoc opus suscipiendum importuna Reformatorum ministrorum diligentia. Ubi ita animum suum aperit: Utinam boni Hungari in antiqua religiosa sua simplicitate perdurassent et spiritus discordiae ac mendacii lolium (egregium Theologum, qui verbum Dei sic insignit) inter ipsos non disseminasset. Certe neque Regni desolationem neque corruptionem morum in gente nostra vidissemus ac deplorassemus. Porro quoque potuisset natio nostra carere Bibliis Hungaricis contenta orthodoxorum Doctorum interpretatione. Etsi enim negari non possit verbum Dei multas praestare utilitates, hoc quoque tamen verum est, ad eas utilitates adipiscendas non esse necessarium, ut omnes et singuli legamus sacram Scripturam, cum a quibusdam fieri hoc etiam non possit. Sufficit, ut quisque ex Doctorum interpretatione intelligat id, quod ad ejus vocationem requiritur. Pergit ita porro Kaldius. Ego cum observassem Christianos illustre sacrae Scripturae nomen seu Biblia adamantes, sine discrimine legere novatorum errantium false interpretata Biblia, et pervidissem quod inde loco antidoti virus, loco salutis perditionem haurirent, Albae Juliae in Transylvania tempore insurrectionis Botskaianae an. 1606 XIV Octobris universorum Bibliorum versionem aggressus Dei gratia perfeci. Tandem ad votum plurimorum procerum edidi in hunc finem, ut Hungari rejecta versione false interpretata Bibliorum Karolinorum, si vellent legere sacram Scripturam, legerent ejus veram interpretationem. Ita Kaldius.

Qualis Poeta tale carmen. Loquitur nempe ex genio suo, cum haec versio ex puro fonte, id est, textu Hebraeo et Graeco hausta non sit, sed ex lutulentis derivata rivulis, latina nempe interpretatione antiqua, quae a perfectione procul abest, fatentibus plurimis religionis Romanae doctoribus. Dubium quoque est, an Vetus Testamentum non sit versio Stephani Szánto ejusdem societatis Missionarii, qui illud Hungarice interpretatus erat testante Alegambio in Bibliotheca.

§ XII. In vasto Hungariae et Transylvaniae regno brevi deficientibus Bibliorum exemplaribus coeperunt desiderari; adhortatu igitur Hungarorum in Academiis Belgicis melioribus literis operam dantium, Johannes

Jansonius Bibliopola Amstelodamensis ditissimus induci se passus est ad editionem Bibliorum Hungaricorum, qua sibi aeternum nomen pararet, gloriae Dei luculenter inserviret, sumptus quoque ubi justo pretio distraheret cum foenore facile ad ipsum redundaturus. Edidit igitur Amstelodami an. 1645 in minori forma versionem Karolii nitidissime, cui Psalmi, Catechesis Palatina et Agenda fuerunt adjuncta; sequenti anno seorsim in forma minima Novum Testamentum et Psalmos, correctionem accuratam perficientibus iisdem studiosis Hungaris. Sacro itaque hoc thesauro Hungaros benigne beavit; quo facto apud eos perennaturam boni nominis famam, quam nulla potest abolere vetustas, reliquit.

§ XIII. Georgius Rákotzi, Princeps Transylvaniae sacrarum Literarum cultor fere sine pari, anno adhuc 1638 literis monuerat ecclesiarum Antistites, ut versionem Bibliorum adcurate ad fontes recenserent, necessariis adnotationibus illustrarent, suis et aliorum procerum sumptibus edendam. In hunc finem post fata mariti Principis conjunx lectissima Susanna Lorandfi ex Anglia magno sumptu Biblia Polyglotta adferri curavit. Principes viri Stephanus Bethlen, Franciscus Rhedei, Achatius Bartsai, Franciscus Gyulai aliique cum ecclesiis frequentioribus sumptus subministrarunt. Omnibus praeparatis Varadini imprimi cum notis anno 1657 coepit. At eodem anno suscepta Rakotzii infelix expeditio Polonica turbavit impressionem. Tartari enim et Turcae regnum in cineres redigentes Varadinum quoque expugnarunt an. 1660. Ubi inter conditiones deditionis aderant etiam Biblia et typographia, quod relinquerentur intacta: quatuor tamen ibidem exemplarium millia perierunt, decem imprimi coeperant. Ante obsidionem urbis Varad. pars typographiae cum pluribus exemplaribus Claudiopolim transposita erat; ubi quoque tandem finita est. Sunt haec Biblia in folio cum doctis adnotationibus.

§ XIV. Consultabant Transylvani iterum de edendo Codice sacro in patria. In hunc finem juvenem a natura dotibus satis instructum ablegant in Belgium, ut ibi artis typographicae rudimenta poneret, Nicolaum Kis Misztotfalusi, qui ne toties typi ex oris peregrinis petendi essent, magistrum in arte sculptoria excellentissimum Guilielmum Blaeu Amstelodami conduxit; ubi brevi tales fecit progressus, ut suo etiam terrori esset magistro, evasitque in sculptorem fama celebratissimum. Qui characteres invenit et typographiam adornavit pro Gorgianis et Iberis in Asia, typos pro Innocentio XI P. Romano, matrices literarum pro Cosino Hetruriae Duce paravit. Unde sumptu propriis sudoribus acquisito satis instructus, cum videret totam Hungariam bello Turcico ardere et eo Transylvaniam involvi, nec ad Bibliorum editionem e publico sumptus administrari posse, coepit animo volvere ut propriis sumptibus ederet: id quod tota tunc regio efficere non posset ipse tentaret. Igitur

paravit typos nitidissimos ad totum hoc molimen sufficientes. Adjunxit sibi e studiosis in Belgio tunc commorantibus doctiores, inter alios Johannem Tsétsi Patakensis, Samuelem Kaposi Albensis, tandem Collegiorum Professores, quibus sibi adjunctis universa Biblia magna cum cura pervolvit, Hebraeis, Graecis exemplaribus, Belgica versione et aliis in subsidium vocatis, ut ita sicubi aut erratum esset, aut voces quaedam praetermissae vel vero non necessario additae deprehenderentur. Qua solerti cura effectum est 1) ut plurimae voces oscitantia typothetarum praetermissae reponerentur, 2) aliae interpretationis gratia additae diversis characteribus notarentur, 3) combinatae separarentur, separatae combinarentur, atque ita editio correctissima procuraretur. In orthographia quoque doctorum observationes non neglexit. Edidit igitur Biblia Amsterdami an. 1585 in parva et portatili forma, quali ante edita nunquam fuerunt.

De hac editione sequentia adhuc notanda sunt, ut adoranda Dei Providentia magis elucescat in hominum infirmitatibus et secundo bonorum conatuum eventu. 1) Quod Totfalusi propriis a se praeparatis typis et suis sumptibus in solidum edidit, ita ut ne obolum quidem alterius immiscuisset. Cum editionem adgressus est, non amplius in parata pecunia habuit, quam ducentos Talleros, verum aliis matrices typosque parando pro se et operariis sumptus sufficientes acquisivit. 2) Quod cum ingenti fervore et sumptu impressionem Bibliorum continuaret, vir quidam nomine Ecclesiae Reformatae in Transylvania velut ejus ablegatus Consistorium Amsterdamense coegit, ut hortarentur ab incoepto desistere. Cui respondit: Si totus mundus mihi se opponat, ego me toti mundo opponam, nec desistam dum spiritus hos reget artus. Deus mihi hunc Biblia edendi instinctum inspiravit, idem auxilium praestabit. Aemuli in patria varia cavillabantur et accusabant erroribus, quorum immunis erat eo usque ut aliquando summus alias literatorum Maecenas quoque Michael Teleki in ista erumperet verba: Vir ille mari esset praecipitandus. At vero cum primum opera ejus vidit Novum Testamentum et Psalmos in eleganti forma editos, obstupuit, virum laudavit, muneribus affecit, et quoad vixit optimus ejus patronus exstitit. 3) Quod cum rediret per Poloniam magnas quidam ibidem cistas librarias detinuit, nec ullo modo eliberare voluit. In hunc finem Poloniae Regem Varsoviae tunc commorantem adiit M. Totfalusi. Princeps quoque Transylvaniae Regem ac Archiepiscopum per ablegatum requisivit de eliberandis Bibliis: qui per literas Magnatem Polonum monuerunt de cistis Bibliisque possessori reddendis. At ille Regis et Archiepiscopi literas posthabens minabatur cistas cum Bibliis aut Romam ad Pontificem missurum aut igni daturum. Levis haec occasio fuit detentionis: in istis cistis, quibus Biblia vehebantur, fuit quo-

que catalogus rerum in cistis contentarum Hungaricus, verbi gratia: Ebben a Ládában vagyon nyoltz Száz ARANJAS BIBLIA. In hac cista sunt Biblia 800 deaurata. Aranjas Biblia legit Arianus Biblia, id est, Biblia Ariana aut ab Arianis impressa. Quod tamen hoc nec erat nec significabat. Quid jam ageret, aut quo se verteret Totfalusi, ut Biblia suis sudoribus parta reciperet, vix apparebat? Sed ecce quid evenit! Praedones circa illud tempus in sylvis latrocinari, vias publicas obsidere sueti, colluvies nefariorum hominum ex Ruthenis, Sclavis, Moravis, Hungaris &c multiplicati ex partibus Hungariae Alpestribus Poloniae vicinis Poloniam ingressi, magnatum curias, coenobia evertebant, ferro flammaque omnia miscebant panicoque terrore complebant. Percrebuit ea inter Polonos opinio, acsi Hungari ad latrocinandum eos Poloniae immisissent in vindictam detentarum sine causa ibidem cistarum librariarum. Restituturum igitur eas spopondit Dominus ille detentor, dummodo Totfalusius nomine Hungarorum se obligaret, homines istos perditos praedandi causa amplius non immissurum Polonis. Fecit libenter, cum nihil commercii cum istis haberet, verum pari terrore eosdem expavesceret. Sic isto casu Biblia in libertatem sunt restituta. 4) Quod exiguo sumptu bene locato magnum fecit lucrum. Dum e Transylvania discederet, habuit tantum 350 Talleros, cum rediret, adtulit secum Biblia 3500, Novum Testamentum seorsim in minima forma impressum 4200, Psalmos totidem. Omnia autem exemplaria fuerunt in Gallica, ut vocant, compactione compacta, atque ita triginta florenorum millia pretio superassent. Praeterea adtulit eximios libros, veluti Biblia Polyglotta Anglicana, quae Bibliothecae Illustris Collegii Enyedensis, ubi suorum studiorum fundamenta posuerat, dicavit[1]).

§ XV. Edidit Biblia Hungarica aliquis circa annum 1725. Titulus refert annum 1700, nomen Totfalusii, locum Amsterdamum, sed reclamant charta et characteres. Praefatio editionis Totfalusianae est praemissa, voces interpretationis gratia additas non distinxit: mendis typographicis scatet. Ubi prodiit, ignoratur: aliqui suspicantur, eos Patres, qui omnia in quaestum vertunt, clam quaestus gratia edidisse; alii affirmant Bratislaviae lucem vidisse; mihi neutrum constat. Sunt et aliae editiones veluti Kasselana et Norimbergensis anni 1704 in forma quarta; cujus tamen pauca exemplaria in Hungariam illata sunt. Breveriana Leuschoviensis, quae tamen Leuschoviae non prodiit, sed Lipsiae anno 1714 sumptibus Joannis Brever typographi et bibliopolae Leuschoviensis laudatissimi, cujus correctioni praefuit Joannes Tsectsi Profes. Patakiensis, alterius Joannis itidem Professoris filius, vir, tunc juvenis sed

[1]) Haec et alia huc facientia uberius videri possunt in Apologia Nicolai Kis M. Totfalusi Hungarica an. 1692 edita.

ob praelaram * eruditionem celebris, qui Apocryphos etiam libros Leuschoviae an. 1716 seorsim editos ex fontibus transtulerat ac diligentissime correxerat. Multa duobus his Tsectsiis Patri et Filio debet Hungaria pro Orthographia Hungarica, quam in naturalem et multo elegantiorem ac fuit olim formam redegerunt. Cui ab initio etsi non pauci restiterunt, jam tamen ubique fere recipitur ac laudatur.

§ XVI. Quum nulla sit versio, quae majorem in dies perfectionem capere non possit, Hungaricam quoque Bibliorum versionem Hungaricarum ecclesiarum Antistites in majorem deducere conabantur perfectionem. In hunc finem a Synodo generali ecclesiarum cis-Tibiscanarum Georgio Tsiphés Komaromi, Stephano Betskeházi, Thoma Kisfalvi, tribus viris linguarum orientalium callentissimis, injunctum est, ut onus translationis in se susciperent versionemque exacte ad fontes castigatissimam ederent. Versio ista anno 1685 fuit finita, an per solum Komaromium, an vero cooperantibus etiam aliis, non est satis exploratum. Komaromium tamen praecipuum fuisse est certissimum, qui Doctor Theologiae et Professor Debretzinensis fuit, juvenis adhuc in Academia Ultrajectina doctam eamque prolixam et solemnem habuit orationem lingua Hebraica in publico Auditorio cum doctissimorum virorum applausu, in patria etiam doctissimorum fuit auctor operum et lingua vernacula ac etiam latina.

Turcica ob bella aeque ac civilia in Hungaria exemplar Mstum prelo paratum per XXX et amplius annos jacuit in squalore; anno tandem 1706 aliqua Mscti pars missa est in Belgium ad manus Campegii Vitringae, Professoris Franekerani, qui typographum conduxit ad publicam lucem proferendum; verum cum sumptus ad tantum molimen necessarii subministrari non possent, etsi specimen artis in duobus prioribus Geneseos capitibus produxisset, tamen mansit hoc molimen infectum et conatus in herba suppressus. Parta tandem pace in Hungaria, ubi Bibliorum exemplaria adeo defecissent, ut grandi etiam pretio deposito haberi non possent, Magistratus Debretzinensis communi mederi volens malo contractum iniit cum Alexandro Ross, mercatore Dantiscano, in hanc praecipue conditionem, quod ille quatuor millia exemplarium Bibliorum Hungaricorum in Hollandia impressorum Duklyam usque in Polonia deportaret, accepturus pro exemplari quolibet ternos florenos Rhenenses. Quod ille in tantum effectui mancipavit, ut 2884 exemplaria ad locum condictum deportari fecit.** Quod ejus factum ubi inclytae camerae Scepusiensi innotuisset, mandato Regio Cassoviam Biblia sunt deportata, atque censurae Illust. Episcopi Angriensis Comitis Antonii Erdödi de Monyorokerck

---

* praeclaram (ed.)
** fecerit (ed.)

subjecta, qui eam spartam Jesuitis Cassoviensibus commisit. Functi diligenter officio non alios deprehendere potuerunt errores, quam 1) absentiam librorum, qui vocantur, Apocryphorum et quorundam capitum, qui in Vet. Testamento in Hebraeo fonte non comparent, sed in versione Vulgata latina; 2) in formula Baptismi εἰς τὸ ὄνομα versum non in nomine, sed in nomen vel ad nomen Patris, Filii et Spiritus sancti. Ex hoc solo fundamento Biblia ista utpote dogmati etiam Helveticae confessionis in Hungaria hactenus tolerato et ipsi Christiano nomini contraria rejici debeant? At remonstratum est in una litera a typographo linguae Hungaricae ignaro erratum esse, quod facile corrigi possit. Libros vero Apocryphos ex aliis etiam suis Bibliorum editionibus, utpote non Canonicos, esse praetermissos, sed erant culpabilia, quia fuerunt Biblia. Tandem post varias solicitationes, vexas et sumptus in hunc finem factos, supplici libello, ad Paullum Mennyatzki administratorem Camerae Cassoviensis a Carolo Sexto Imperatore clementissimum de Bibliorum exemplaribus restituendis obtinuerunt mandatum, quod ita sequitur:

Carolus Sextus Dei Gratia Romanorum Imperator &c.

Magnifice, fidelis, Nobis dilecte! Quandoquidem Nos ea, quae circa discrepantiam Bibliorum Hungaricorum in Hollandia sumptibus Magistratus et Comitatus Regiaeque Nostrae Civitatis Debrecinensis impressorum et revisioni fidelis Nostri Reverendi spectabilisque ac Magnifici Comitis Gabrielis Antonii Erdödi de Monyorokerck Episcopi Agriensis in anno adhuc 1719 per Majestatem Nostram benigne commissorum per eundem Episcopum demisse submissae fuissent, primum quidem per Cancellarium Regni Hungariae aulicum, demum vero in iteratis conferentiis Nostris Ministerialibus clementer discuti fecissemus; in iisdem unanimi voto conclusum ac deinde Majestati etiam nostrae benigne delatum exstitisset, suprafata Biblia prae antiquis illis Karolianis et Molnarianis sic dictis, (quibus videlicet Helveticae confessioni addicti hactenus in praefato Regno Nostro Hungariae usi fuissent) vulgatae Bibliorum editioni conformia magis fuisse. In substantialibus porro interventum errorem typographo potius, utpote in unius solummodo literae mutatione et sensum aliquomodo variantem adscribi debere. Idcirco benigne resolvimus, ut antelata Biblia in bis mille octingentis nonaginta quatuor exemplaribus dicto Episcopo per praefatum Magistratum Debrecinensium, ex benigna commissione nostra submissa, in totidem exemplaribus eidem Magistratui aut homini ejusdem ad id destinando, erga tamen Reversales ejusdem, quod videlicet ante distractionem toties dictorum Bibliorum, errorem praemissum in forma Baptismi quomodocunque interventum corrigere et perpetuis semper temporibus non aliter quam in Nomine Patris, Filii et Spiritus sancti baptizare velint, et sine mora restituantur, id ipsum suprafato Episcopo serio et districtim demandavimus.

Quia vero idem Episcopus adtunc circa negotia Diaetalia Posonii occuparetur, ne per tardiorem ejusdem ad Dioecesin suam reditum, benigna quoque resolutio Nostra quoad effectuationem ejusdem remoram quandam patiatur, tibi harum serie benigne et firmiter committimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus et intellecta circa praemissa benigna eaque seria voluntate et resolutione Nostra, eandem mox et illico, erga tamen praevio modo acceptas Reversales in effectum deducere, praemissaque Biblia dicto Magistratui Debretzinensi sine ulla mora restitui facere noveris ac tenearis. Executurus in eo seriam et benignam voluntatem. Nostra Gratia in reliquo &c. Datum in castro nostro Laxemburg die XII Junii an. 1723. Carolus.

En clementissimum Imperatoris mandatum! quod tamen ut effectu careret, effecit idem ille Episcopus Agriensis Gabriel Antonius Comes Erdödi; qui cum solicitaretur supplici a Debretzinensibus libello in hunc finem, ut eorum secundaret intentionem in rehabendis Bibliis, respondit, se omnium totum quantum pretium exsolvere potius paratum fore, cum ex istis Bibliis, quaecunque deserviissent in fulcimentum Romanae Ecclesiae, ea vel immutata vel plane omissa fuissent. Neque exhibita illa sunt ad hunc usque (1754) diem, exhiberique jam non possunt, cum in detentione apud Jesuitas computruerunt; imo ex relatione quorundam non pauca exemplaria ad alvi sordes detergendas conversa.

Editio haec fuit nitidissima et correctissima, prodiitque Lugduni in Batavis apud Jordanum Luchtmans ante annum 1719: eo enim anno jam Kassoviae in Hungaria captivitatem subierunt.

§ XVII. Adeo Hungaricorum rursus Bibliorum in Hungaria et Transylvania defecerant exemplaria, ut tribus quatuorve ducatis vix unum posset acquiri exemplar. Bibliis etiam Komaromianis in detentione putrescentibus desiderio verbum Dei anhelantium satisfieri non potuit. Tantam autem sermonis Dei penuriam apud fidei suae consortes illustris Academiae Ultrajectinae Theologiae Professores Hieronymus van Alfen et Fridericus Adolphus Lampe animadvertentes, quaesiverunt inveneruntque in Belgio patronos, quorum largitione et patrocinio Hungarica ederentur Biblia. Editaque sunt anno 1730 magno numero. Sapientique consilio ita ordinatum est, ut unumquodque exemplar vili satis, id est, duorum florenorum Belgicorum pretio distraheretur, quae summa simul cum characteribus, quibus edita Biblia sunt, deposita ad manus facultatis Theologicae in hunc scopum, ut iisdem typis et aere e divenditis exemplaribus redundante, quoties necessitatis ratio postularet, toties Bibliorum editio iteraretur, adeoque nunquam exemplaria deficerent. Prouti anno 1737 et iterum 1747 denuo edita Ultrajecti sunt.

§ XVIII. Novum Testamentum secundum editionem Totfalusianam

sine die et consule editum est in octavo nitide satis: ab initio circa titulum in pictura symbolica apparent duae literae S. K. signantes nomen Samuelis Köleseri Med. Doctoris et Gubernialis Secretarii. Sumptus enim ad hanc editionem subministravit Illust. Domina Comitissa Catharina Bánfi de Losontz, conjunx Illustr. Lib. Baronis Stephani Veselenyi, quae cum clam marito natura tenaciore per Samuelem Köleseri procuraret, hinc est factum, ut suum nomen duabus in tabella symbolica literis exprimeret. Prodiit Lipsiae anno 1717. Typographum Köleseri conduxit interventu Matthiae Belii, qui uterque tunc Viennae morabantur, hincque evenit, ut haec editio etiam Belio attribueretur. Editum quoque est Novum Testamentum Debretzini anno 1749 in octavo. Andreas Torkos V. D. Minister Aug. confes. in ecclesia Jaurinensi, novam ex fontibus adornavit versionem, quam filius Josephus in munere successor tandem anno 1736 Vittebergae in lucem protulit. De Bibliorum editione Basileensi alibi tractabitur.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De typographiis et typographis in Hungaria et Transylvania.

§ I. De vera typographiae origine disputent Harlemenses cum Moguntinis; an Joannes Laurentius Costerus primos literarum typos faginis efformaverit corticibus, vel eos invenerit Johannes Gutenbergius Moguntinus? an Johan. Fust vel P. Schefferus, vel simul hi tres? quod affirmatur his versiculis:

> Imparibus numeris coelestia Numina gaudent.
> Hoc opus exegit sic quoque sancta Trias.
> Illo primus erat tunc Gutenbergus in albo,
> Alter erat Faustus, tertius Opilio.

Nobis inquirendum incumbit, quis utilissimam artem Hungarorum usibus accommodavit, et quae ejus fata in Hungaria ac Transylvania fuerunt.

§ II. Nobilissima ars typographica inventa est, cum apud Pannonios regnaret gloriosissimus Hungariae Regum Matthias Hunniades, qui non paucos Romae, Florentiae et in aliis locis ad transumenda rariora Mssta intertenebat librarios. Hac suas provincias tempestive beare Rex providus

omnino non neglexit. Docet hoc luculenter Chronicon Budae anno 1473 impressum, cujus integer titulus ille est: Antiqua Chronica Hungarorum cum Praefatione ad Venerandum Dominum Ladizlaum Praepositum Ecclesiae Budensis, Proto-Notarium Apostolicum nec non Vice Cancellarium Serenissimi Regis Matthiae. Budae per Andream Hess anno Domini 1473 in vigilia Pentecostes impressa[1]). Fuisse officinas in aliis quoque urbibus impressorias sub Regibus Matthia et Vladislao literarum amantissimis non est cur dubitemus: verum omnes eas per incursiones Turcarum fuisse eversas, certissimum est, cum anno 1526 in campis Mohatsensibus profligatis Hungaris urbes occuparet, civitates evastaret et summa imis misceret, Hungariamque in illum redigeret statum, ut in Hungaria quaerenda esset.

§ III. Inter omnes libros lingua Hungarica editos mihi antiquissimus occurrit versio Epistolarum Paulinarum Benedicti Komjati, edita an. 1533 Kracoviae in Polonia. Hanc excipit Gabrielis Pesti versio quatuor Evangelistarum, edita Viennae an. 1536. Versio Hymnorum Ecclesiae Kracoviae an. 1538 in lucem emissa. Eodem anno ibidem edita Catechesis Stephani Székely Szikszoviensis Magistri: rursum Psalmi et Chronica ibidem an. 1548 edita. Unde Hungaria ea aetate typographia caruisse videtur: alias quod domi erat, ex oris peregrinis quaerere nil necesse fuisset. Post reformationem ubi primum officina typographica erecta est non satis clarum est; ex editis tamen libris ubi vestigia deprehendemus loca designabimus, certiora qui possidet monumenta ut nos erudiat obnixe exoptantes.

§ IV. Primus Johannes Honterus fuit Coronensis, qui Basilea, quo eum fama Reuchlini et aliorum doctissimorum virorum invitaverat, redux, typos typographosque secum ferens in patria typographiam erexit, variisque editis in publicum libellis Reformationem egregie promovit, Transylvanosque optimorum auctorum copia maxime adjuvit. Prodiit Coronae etiam Novum Testamentum ex eadem officina, Graecum cum versione Latina, curante Valentino Wagnero. Cibinienses etiam habuisse typographiam constat ex editis ibidem anno 1595 libellis.

Claudiopoli etiam tempestive fuit adornata officina typographica; cujus autem industria et sumptibus an urbis vel cujusdam privati non constat. Georgius Hoffgrevius ibidem ex editis ab anno 1550 libellis typographiae praefuisse observatur. Tandem operosissimus Gasparus Heltai propriis sumptibus optime instruxit sibi privatam, ex qua innumeri prodierunt in publicum usum libri, diuque haec duravit. Nam mortuo Gaspare Heltai circa annum 1576 filius in procuranda officina patri

---

[1]) In Praefat. Tomi I Scriptorum Hungaricar. Rerum Collectionis Schwandtneri pag. XVI.

homonymus senator Claudiopolitanus successit, cui operam locabat Paulus Lipsiensis mox Debrecinensis futurus typographus. Post fata Casparis Heltai Junioris, typographia per ejus filiam Annam devoluta est ad Matthiam Ravium, senatorem per quadraginta annos Claudiopolitanum, qui anno 1637 mortuus. Cui successit filius cognominis Matthias Ravius, Pastor ibidem ecclesiae Saxonicae, huicque Johannes Ravius; anno enim 1660 in libello quodam funerales continente cantiones injicitur adhuc mentio taliter: Claudiopoli in officina Casparis Heltai apud Joannem Ravium impressit Georgius Abrugyi. Memorantur in hac officina typographi Joannes Nyiro Mahai an. 1616, Andreas Válaszúti an. 1624, Andreas Szilvási an. 1625, Georgius Abrugyi ab anno 1631 ad annum 1660, a quo tempore nulla officinae Heltanae apparent vestigia.

§ V. Fuit quoque instituta typographia Albae Juliae Johannis Sigismundi electi Hungariae Regis sumptibus, ex qua ab anno 1566 varii libelli sunt publicati: tunc praefuit Raphael Hoffhalter, antea Debrecinensis ac etiam Viennensis typographus, hic an. 1567 fatis cessit. Cui in procuranda officina impressoria successit Stephanus Tsaszmai, Concionator Albensis, illique Gregorius Wagnerus, scholae Albanae Rector. Quo tandem typographia haec evaserit, vestigia non apparent. Princeps autem Gabr. Bethlenius, qui scholas et typographiam restituit, officinas duas Albae erexit, alteram communem, Principis alteram dictam. In hac fuerunt typographi an. 1524 Andreas Valaszuti, Martinus Mezleni, Jacobus Efmurt Lignicensis, Martinus Major Coronensis. Typos pro Valachicis etiam libris imprimendis acquirere nitebatur; quam destinationem successor Princeps Georgius Rákotzi perfecit, qui novis characteribus officinas auxit. Valachis etiam Novum Testamentum ipsorum lingua et characteribus cum aliis libris maxime necessariis edi curavit. Anno tandem 1660 cum Purpuratus Ali Turcarum exercitus Generalis Transylvaniam evastaret omniaque obvia in cineres redigeret, Civitas Albensis, Templum, Bibliotheca a Bethlenio instructa in favillas sunt redacta, officinae etiam librariae eandem sortem sunt expertae, nec ex istis cineribus aliae subsequentibus temporibus natae.

§ VI. In Hungaria Protestantes Posonienses videntur primum typographos sibi acquisivisse. Pro Papensibus et Debretzinensibus Magnificus Valentinus Török de Ening tanquam Dominus earum civitatum haereditarius procuravit suis sumptibus. Adfirmat hoc Franciscus P. Papai rerum patriarum callentissimus in istis versiculis Hungaricis.

Magyar ország ebben szenved megis tsorbàt;
Poson orvoslámeg elsöben ez hibát:
Török Balint rà szerzé Pápa varossát,
Meg mutatá ö Nagyságos Uri voltát.

Azon Ur Debretzentis erre rea szerzé,
Etsedi Batori István Ur hogy erté;
Visolyba a Nyomtató Mühelyt viteté
A Magyar Bibliát innen ki bövité[1]).

Equidem si verum est Valentinum Török typographias in Papa et Debreczen erexisse, post renatas in Hungaria literas tempestive accidere debuit, cum ipse anno 1541 per Solymannum captivitati mancipatus nunquam in Hungariam redierit. Papae typographiam habuisse Gallum Anaxium Huszár oppidi concionatorem ex editis ibidem libris palam est. Uj- Szigetini etiam fuisse typographiam loquitur Novum Testamentum, ex versione Joh. Sylvestri Kolosvari Hungarice ibidem sumptibus Thomae Nadasdi anno 1541 per Benedictum Abádi editum. Debretzini anno 1563 typographus fuit Michael Török, an. 1565 Raphael Hofhalter, an. 1569 Andreas Komlos, an. 1584 Rodolphus Hoffhalter Tigurinus, 1591 Joannes Tsáktornyi. Petrus Bornemiszsza ex nobili familia oriundus Verbi Divini Minister in aula Balassarum et Superintendens propriam habuit officinam, ex qua Semptaviae et in Arce Detrekö suos publicavit libros. Varadini quoque jam anno 1568 fuisse typographiam testis est Petri Melii in Apocalypsin commentarius ibidem editus, duravitque ad an. 1660, cum urbs a Turcis occuparetur. Fuit ibi celebris typographus Abrahamus Kertész Szentziensis.

§ VII. Seculo superiore celeberrimae fuerunt officinae artis impressoriae Leuschoviae, ubi per integrum seculum claruerunt Breverii, Laurentius, Samuel, Johannes, quorum industria plurimi egregii auctores luce donati sunt. Barthphae, Kassoviae, Patakini, ubi suis sumptibus typographeum erexerat Susanna Lorandfi Principis Georgii Rakotzi primi conjunx in rationem Collegii ibidem florentis, quam tandem nurus Sophia Bathori Principis Georgii Rakotzi Secundi vidua ad Pontificiam religionem rediens collegio eripuit. Debretzinenses pariter typographeo semper claruerunt, quod inter tot oppressiones, innumeras Turcarum Tartarorumque expilationes gravissimis expensis solicite in emolumentum ecclesiarum in Hungaria florentium conservarunt. Unde in usum juventutis scholasticae Auctores classici, libelli elementa fidei continentes, majoris quoque molis quandoque opera in bonum Ecclesiae et Politiae prodierunt. Seculo praesenti posteaquam motus civiles in desideratam terminati sunt pacem, publicaque Hungariae quies reddita est, typographia quoque in perfectiorem reducta est statum, characteres nitidi e Germania acquisiti, juvenes ab industria celebres in oris cultioribus pro officina curanda educati, qui in sculpendis et fundendis cha-

[1]) In Epitaphio Nicolai Kis M. Totfalusi typographi.

racterum formis operam locarent, artemque impressoriam redderent illustriorem. Quum itaque apud Debretzinenses res typographica videretur esse florentior, supervenit ad Magistratum Debretzinensem Commissio Consilii Locumtenentialis an. 1747 sequenti tenore:

Per typographiam in gremio liberae ac Regiae hujus civitatis Debretzinensis existentem, liber quidam (cui titulus Christianus Catechismus) in duplici editione authoribus Francisco Miskoltzi et altero Francisco Szárási imprimi consuevit [1]). Circa quem praevio modo Debretzini impressum Catechismum in principiis licet Helveticae confessionis subsistentem, professionem tamen suam cum gravi injuria Religionis Catholicae, hanc quippe idololatriae, cum in adoratione sanctissimae Eucharistiae sacramenti, tum in veneratione imaginum condemnantem ac proponentem [2]), sacratissima sua Caesareo Regia Majestas clementer resolvit, ut omnia antelati Catechismi exemplaria, sive in typographia sive apud librarios reperibilia medio liberae ac Regiae hujus civitatis Magistratus, illico confiscentur. Quapropter benigne jubente sacratissima sua Caesareo Regia Majestate liberae ac Regiae istius civitatis Magistratui praesentibus serio injungitur, ut omnia dicti Catechismi exemplaria indilate confiscare, et tam eadem, quam et vigore intimatae sibi sub undecima Februarii anno 1746 benignae Resolutionis Regiae cunctorum librorum illic impressorum Elenchum, cum tribus singulorum exemplaribus de semestri in semestre; demum Privilegium quoque Typographiae Debretziniensis Consilio isti Regio Locumtenentiali submittere noverit. Datum ex Consilio Regio Locumtenentiali Posonii die 22 Decembris anno 1747 celebrato. Eorundem Benevoli

Comes Franciscus Eszterházi mp.
Georgius Fabiankovits mp.
Michael Sido mp.

Debretzinenses apud Augustam Aulam commissionis hujus vim deprecari volentes in effectum sumere distulerunt, ne talibus mandatis constricti usu typographiae privarentur. Unde evenit, ut anno 1752 ob

---

[1]) Auctores Catecheseon Fr. Miskoltzi et Franciscus Szárasi non sunt, sed in linguam Hungaricam translatores. Francisc. Szárasi enim seculo XVI transtulit Catechesin Palatinam, qua ad hoc usque tempus ubique utuntur Reformati velut libro symbolico, ita et Hungari. Haec dicitur Catechesis Major, respectu Minoris e Belgico in Hungaricum translati incipientibusque accommodati, cujus forte interpres fuit Fr. Miskoltzi.

[2]) Respicit Responsionem Quaestion LXXX: verum exinde nunc non magis sunt injurii Catholicis Hungari Reformati quam fuerunt ab an. 1563, cum ista prodiit Catechesis, et sunt in aliis nationibus.

neglectum effectuationis Mandati typographia interdicto subjecta est*, atque prohibitum vel minimum ibidem imprimere intra triennium in poenam praetensae contumaciae; elapso autem triennio instare licebit, ut cum censura Consilii Locumtenentialis librorum editio continuetur.

§ VIII. In Transylvania seculo superiore circa exitum ejusdem fuerunt officinae impressoriae Coronae; praesenti seculo Joannes Sculer M. Dr. nitidissimos acquisivit characteres atque officinam privatis sumptibus erexit. Cibinii quoque officina typographica conservata est, ab anno autem 1746 per Samuelem Sárdi typographum egregie renovata ac politioribus characteribus aucta, ad quosvis auctores in publicum emittendos habilis est reddita. Keresdini in Castello Alexii Bethlen quosdam prodiisse libellos et celebrem Wolfgangi Bethlen Historiam Transylvaniae circa annum 1690 certissimum est; verum proprios Bethlenius typos quantum scio non habuit, sed Claudiopoli eosdem adsciverat ex typographeo, an publicos an Michaelis Nemethi vel alterius, mihi pro certo non constat. Kolosvár fuit praecipuus a renatis literis impressionis locus, ubi seculo praeterito post Abrahamum Kertész Szentziensem, Michaelem Szentyel Veresegyházi et Michaelem Nemethi excelluit Nicolaus Kis Misztotfalusi, quem nemo similis praecessit, nec par, multo minus major excepit. Qui amicorum ac fautorum consilio in Hollandiam profectus, artem primum apud Blaeu Sculptoriam, mox et Fusoriam ac tandem etiam Impressoriam summa cum industria addidicit, tantusque evasit artifex, cui vel in cultissima Hollandia pauci pares, nemo superior haberetur. Unde non tantum characteres Europaeos reddidit elegantiores, verum etiam pro orientalibus Gorgianis invenit novos atque officinam erexit. Improbo autem labore sibi ingentes acquisivit divitias, quas tandem publico Ecclesiae Dei bono consecravit. Primum variis, ut sunt gravia magnarum exordia rerum, colluctabatur difficultatibus, quibusdam occupationes ejus irridentibus, aliis obstacula ponentibus. Franciscus autem Pariz Papai Professor sequenti eum animavit epistolio:

„Binas literas abs te Amsterdamo accepi, ex quibus te et valere et insuper opus coeptum feliciter urgere laetus intellexi et certo crede omnes bonos de tanto bono, quod te obstetricante huic afflictae Patriae nascitur, impense gratulari. Ita saepe aliud cogitantes Deus, nobis sapientior, alio nec minus utiliter vertit. Tam non dedecet ars ista eruditum quemlibet, quam unum e rudiore plebe. Et novimus arti typographicae ab initio usque in hunc diem magnos et pios in Ecclesia zelotas manum admovisse, ita in hac Patria superiori seculo Caspar Heltus aliquid in hoc genere adornaverat, quantus eo tempore Socino-Mastyx et nostra

* sit (ed.)

memoria Abrahamus Kertesz, vir itidem doctus. Quid de exteris Plantino, quem magnus Lipsius lucem stili sui vocat, Stephanis, Elseviriis, Blaeuwiis, Jansoniis, viris industriis, insignibus, mathematicis et politis artistis? Perge, ornatissime juvenis, pede quo coepisti, nec ab ullo delicatulo Academico te in transversum rapi sinito. Non te haec Mechanica reddet hebetiorem in literis, haec inquam ex omnibus, quae sane ingenium spirat. Nihil Philosophiae tuae officiet, nihil Theologiae. Venerandus Dominus Episcopus huic de te rumori Synodice adplausit. Utinam vero pacatis rebus reddereris nobis! Celsissimus Princeps magno Sultano ita ordinante suis Transylvanis Purpurato Budensi et Valachiarum Principibus stipatus I Augusti movebit exercitum, reducturus, si ita Deo visum est, a decennio exulem a focis et sacris Hungariae Israelem. Cyrum nacti sumus, non deerit Zorobabel. Juvate precibus manum ejus per se remissam, inermem, nisi preces et precibus victus Deus erigant. Tu dum haec audis, ornatissime, etiam in rebus angustis, quae te manere possunt, passibus occlusis ab hoste ne cede malis, sed contra audentior ito, felix quem praedicas artis tuae Magistro, felix magno Blaewo, qui tibi adeo favet. Deus ipsum longis iisque felicibus annis beet et ulterius animum ac vires addat, ut qui cum longa gentis suae serie orbi Christiano tam diu et tam feliciter nitidam juxta et utilem operam suam locavit, nostro huic vix inter amplissimas regiones eminulo Transylvaniae angulo non desit. Spes, quam nobis fecisti, crede nostratium iis, qui aliquid in literis tentant, calcar et animum majorem in dies addet, ubi chartas, quibus impalluerunt, post funera sua spiraturas sibi persuaserint. Vixere fortes ante Agamennona, sed caruere vate sacro. Duxerunt ab initio Ungari nostri lineas, sed defuit fida tabula. Tu eam nobis para *Θεῷ σὺν παλάμῃ*, eaque nos redux bea, quod ut fiat Deum calidissimis votis oro, cujus porro tutelae te coeptaque tua commendo. Enyedino Kal. Julii an. 1681. Tuus Fr. P. Papai."

§ IX. Redux in patriam tres officinas Sculptoriam, Fusoriam et Impressoriam erexit, Ecclesiamque libris lingua Latina et Hungarica editis, qua Theologicis, qua Philosophicis et in omni scientiarum genere necessariis, locupletavit. Variis ipse fatis exercitus tandem an. 1702 aetatis 52 in vivis esse desiit, e cujus cineribus nondum alter exortus est Totfalusius. Characteres Latinos, Hungaricos, Graecos Hebraeosque, matricesque literarum partim testamento disposuerat collegiis Reformatorum, partim in rationem Ecclesiarum aere coemptae sunt, quinque millia florenorum leviori aestimio tunc aestimatae. At vero tantus thesaurus inter tot revolutiones nec ut debuit aestimatus, neque a peritis conservatus, eam quam poterat Ecclesiae utilitatem non praestitit. Post Totfalusium typographi Claudiopoli fuerunt Samuel Pap. Telegdi, Alexander Pap. Szathmari, Josephus Pataki apud Reformatos.

§ X. Sumptibus Ecclesiae Unitariae Claudiopoli instructa est nova typographia, characteribus ex Germania anno 1696 die 6 Februarii allatis. Ex qua tamen pauci in lucem prodierunt libri, siquidem ob varios in Provincia tumultus typi ob metum direptionis reconditi sunt simul cum libris in Templo majori; ubi latuerunt ad annum usque 1716, quo Templum Unitariis est ademptum. Typi quoque in rationem Catholicorum detenti tandemque ex iis apud Jesuitas officina est erecta.

§ XI. De duabus typographiis Reformati in Transylvania privilegium habent, res tamen typographica cum libertate religionis sensim coepit arctius haberi. De typographiis Extractus Regii Decreti an. 1753 2da Maij ita se habet:

„Cum autem ex submisso jam Protocolo vestro aliquas in typographias factas esse expensas observaverimus; typographos e converso in illo nostro Principatu existentes nullis, quos observandos haberent, publica auctoritate hactenus circumscriptos fuisse limitibus, informemur. Hinc veluti publici praeprimis ratione, modum et regulam eatenus praescribi necessarium est ac vel ipsum in aliis quoque bene regulatis Regnis ac Provinciis observatur, ita vobis clementer praecipimus, quatenus universos et singulos in Principatu illo Nostro typographos ab excusione librorum, qui contra Divinum honorem, Personam et jura summi Principis, publicum item Provinciae statum ac internam tranquillitatem, ut et contra receptas ibidem Religiones bonosque mores, quidpiam continerent, aut novam saperent haeresin, nomine nostro inhibeatis. Quod ne fiat, omnia et singula prelo subjicienda vobis pro censura praevie exhiberi faciatis, illa revideatis, aut si vobis tantum non vacaret temporis, virorum proborum, doctorum et eum in finem aptorum censurae committatis, nec secus quam vestra Gubernii approbatione et licentia secuta, excudendique libri exordio semper inserenda imprimi et distrahi permittatis. In praevaricatores autem pro delicti qualitate severissime animadvertatis."

Tandem 23 die Julii an. 1753 Regium Gubernium Magistratui Cibiniensi, Coronensi ae Claudiopolitano Extractum Decreti communicavit, et ut typographis in gremio existentibus ejusdem exactam observationem severe injungeret ex officio mandavit. Sicque est ordinatum, ut libri typis describendi primum Regio Gubernio, tandem cum ejusdem censura ac licentia typographis exhibeantur.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Collegio Alba-Nagy-Enyediensi, ejusque ortu et progressu.

§ 1. Albae Juliae in Transylvania, quae nunc Alba Carolina a Carolo Sexto Imperatore Fortalitii ibidem fundatore dicitur, florentes a renatis in Europa literis semper fuerunt scholae. Joannes Sigismundus electus Hungariae Rex sub tutela Isabellae matris feminae lectissimae educatus, literatus ipse literatorumque summus fautor, fundandae in Transylvania Academiae coeperat * consilium. Cui ex Procerum voto sedes circa annum 1569 designabatur Sabesius ob loci amoenitatem, aëris salubritatem et rerum naturalium copiam. Petrum Ramum Veromanduum Professorem Parisiis in Gallia Regium oblato ei luculento salario pro constituenda Academia vocat, eo plane tempore, quo ille, cum ob purae religionis cultum in Gallia non se satis tutum videret, de sui Genevam receptu cogitasset. Sed recepta in Transylvania Blandratae et Francisci Davidis doctrina offensus, conditionem non accepit. Nec vero etiam Genevam venire potuit; aliter enim disponente Deo in egregia illa Martyrum Parisiensium panegyri, quos infamis laniena Bartholomeana sustulit [1]), Ramus quoque tot adoreis mactus, hanc etiam coronam coelitus impetravit. Principe autem anno 1571 e vivis sublato, Academia constituta non est; schola tamen fuit florentissima, ubi simul duo etiam Professores tradebant juventuti necessarias scientias.

§ II. Eadem aetate florebat ibidem schola Reformatorum sub manuductione Benedicti Ilosvai, postmodum Tractus Albensis senioris, quae mutato regimine sub Principibus Reformatis florentior semper evasit. Cum Princeps Gabriel Bethlen moderandae praeficeretur Daciae, praecipuam extemplo scholarum coepit habere rationem scholamque Albensem praeclaris committere viris moderandam. Unde tandem tot eximii in Politia et Ecclesia prodierunt viri, qui res Ecclesiae Politiaeque nutantes mascule sustinuerunt. Stephanus Katona Géleji anno 1618 ejus scholae Professor fuit celeberrimus, qui ita de suis occupationibus scribit:

„Redux factus (ex Academiis) oblatum illustris hujus scholae nostrae Albensis Rectoratum capesso, quem etiam pro virili, haud sine juventutis ac pubis scholasticae in bonis literis ac artibus liberalibus incremento, meique honoris et existimationis augmento, annuo et amplius spatio adorno, disputationibus non privatis modo intra parie-

---

* ceperat (ed.)

[1]) Historia videri potest apud J. A. Thuanum. Vide W. Bethlen. Lib. V pag. 287.

tes scholae habitis, sed et publicis in Templo minori, me meosque discipulos exerceo, quarum nonnullis Illustrissima quoque sua Celsitudo, humiliter a me invitata, interesse cum splendido suo comitatu, Generosis, Magnificis, Nobilibus, Baronibus cujuscunque confessionis, haud est dedignata. Accidit etiam nonnunquam, ut non cum larvis duntaxat et personis adversariorum indutis, verum cum ipsismet etiam professis orthodoxae veritatis hostibus iisque famosioribus provocatis pugnaremus, et tali quidem eventu, ut celebritati antagonistarum nonnihil decesserit; de me vero (absit arrogantia) honestam quandam opinionem conceperint" [1]). Gelejino in Germaniam ablegato quis immediate successit, non reperio. Certum est scholae habenas Alberto Molnar Szentziensi a Principe fuisse oblatas, illum vero recusasse e Germania redire, ubi opimis fruebatur conditionibus.

§ III. Rectores, prouti tunc vocabantur, anno 1622 tres in schola Albensi erant celebriores: Georgius Tsulai, qui tandem fuit concionator Principum Rakotziorum aulicus et demum Superintendens Reformatorum, vir ex illustri prosapia oriendus, Michael Balai, qui doctissimas super funere Susannae Károli Principissae recitavit orationes, Franciscus Z. Petri, qui postea factus est pastor primarius Fagarasiensis. Innotuerat Principi Bethlenio circa hoc tempus Martinus quoque Opitius, celebris Germaniae Ovidius, ex Silesia oriundus, quem in Daciam attractum magno in honore habuit, qui in schola Albensi Horatium, Senecam aliosque auctores publice interpretabatur. Nec minorem industria et labore apud Principem Rakotzium acquisiverat ea gratiam, qua apud Bethlenium fruebatur. Saepe in Aulam ad colloquia Principis et tabulam viris doctis repletam vocabatur: tandem invidorum aculeos et aeris intemperiem ferre non valens, magnis muneribus a Principe cumulatus anno circiter 1639 in Germaniam rediit. Non erat otiosus Transylvaniae speculator Opitius, sed cum advertisset feracem esse antiquitatum Romanarum, magna cum cura Monetas veteris aevi, quibus si aliqua regio, Transylvania abundat ac si quispiam olim sementem fecisset, Inscriptionesque collegit. Unde tandem Daciae illam Descriptionem formavit, quam frustra hactenus Docti quaesiverunt, Theophilus autem Bayerus in literis ad M. Belium in Prussia latere suspicatur. Ita Christophorus Colerus Professor Bratislaviensis in oratione, quam in memoriam Opitii apud Bratislavienses publice recitavit, de eo loquitur:

„Maximus vero fructus hujus peregrinationis fuit, quod Opitius praemonente ipsum Historia latum ita campum habuit cogitandi de Origine Gentis Daciae, de Decebali formidabilis illic Regis clade, et victoria Trajani et Coloniis illuc missis, cui historiae illustrandae multas Inscrip-

[1]) In praefat. Preconii sui Evangelici.

tiones Romanas ex ruderibus corrosis et semesis lapidum fragmentis descriptas congessit. Postea ex ingenio et ratione defectus in iis quosdam supplevit, falsa et dubia correxit, et ad Grotium, Gruterum, Berneggerum, horum cimmeliorum aestimantissimos, transmisit. Haec occasio et fortuna Opitio nostro animum accenderunt condendi opus illud laboriosum ac aeternitati veteris Imperii Romani destinatum, conquisitis hinc inde per omnes Bibliothecas publicas et privatas subsidiis, quod toties promissum, sed tum desultorio Auctoris vitae genere, tum mole et obscuritate, post amissos scil. tot per injuriam vetustatis libros impeditum et tandem dilatum, demum paulo ante fatalem diem, ut beatus apud amicos professus est, finitum. Desiderio et expectationi amicorum satisfecisset brevi, nisi emittendi conatum auctoris mors interrupisset." Haec Colerus de Opitio.

§ IV. Gabriel ille, Sacri Romani Imperii et Transylvaniae Princeps, Ratiboriae et Opuliae Dux, anno adhuc 1622 cum consensu Regnicolarum destinaverat erigere Academiam sive principem aliquam scholam, pro instituenda juventute; qui articulus in Diaeta conclusus anno 1653 renovatus est in sequentia verba:

Commodissimus pro Collegio locus antecedentibus etiam temporibus Kolosvarini erat designatus; deinceps quoque liberae orthodoxi Evangelici Principis dispositioni committitur, sive in platea Wolfgangi circa Templum Claudiopoli, sive Albae Juliae, sive utrisque in locis curent erigi Collegium aut principem scholam, eo modo et jure ac eo facientibus proventibus, prouti anno 1622 mense Majo statutum est[1]).

In qua destinatione optimus Princeps non solum perseveravit, sed quantum aliae graves curae perpetuique fere bellici labores permiserunt, in effectum deduxit. Evocatis enim constituto millenorum Imperialium Tallerorum annuo salario e Germania viris celeberrimis, Johanne Henrico Alstedio, Johanne Henrico Bisterfeldio, M. Philippo Ludovico Piscatore, per suum legatum Casparem Boithi, Collegium Albense fundat, qui viri a Bethlenio quidem vocationem acceperunt, at priusquam Transylvaniam ingrederentur Princeps in vivis esse desiit, in Collegio tamen constituendo Daciam ingressi eximiam navarunt operam. Vocatus erat quoque Trajecto Ravenspergerus, qui tamen conditionem accipere non potuit, fatone praeventus aut alia de causa impeditus. Henr. Pontanus in Oratione Funebri sup. P. Mastricht. Gloriosam Princeps in hoc Collegio praeter alia pacis bellique generosa facinora memoriam venturae transmisit posteritati, nunquamque intermoriturum

[1]) Approbat. Constitut. Part. 1. Tit. X. Art. 11.

sibi haeredem scripsit. Quod testamentum anno 1630 et 1631 Regnicolae in Diaeta publico consensu approbarunt et confirmarunt.

§ V. Inter caetera pietatis monumenta a Bethlenio Albensi Collegio collata memorantur: Primo. Donatio integri oppidi N. Enyed, cum omnibus censuum taxarumque proventibus ac decima totius territorii; item possessionum Fel Enyed, Musina, Detse, Miriszló et Possessionariarum Portionum Hidas, Heningfalva, Besenyö. Secundo. Collatio Taxae oppidi Debretzen quotannis ad 2000 florenos Hungaricos se extendentis et ad annum 1685 praestari solitae. Tertio. Donatio vineae cujusdam in territorio Tokaiensi Hétszölö dictae, quam post immaturum Principis legantis decessum successor Princeps Rakotzius a Catharina Brandeburgica occupatam sibi vindicavit, haeredibusque suis reliquit nulla pro Collegio ab haeredibus refusione facta. Post subsecutam familiae ejus proscriptionem fisco Regio cessit. Aestimari haec vinea potest hoc tempore XXX circiter millibus florenorum. Quarto. Donatio Clenodii cujusdam regii (Medály), quod aestimabatur novem Tallerorum millibus a Georgio Rakotzi penes literas refusionis assecuratorias a Stephano Bethlen testamentario acceptum. Quinto. Legatio XX millium florenorum aere parato, quos itidem dictus Princeps Rakotzius ab eodem Stephano Bethlen sub praetextu exhausti publici aerarii et gravissimorum ad Portam Otthomannicam sumptuum mutuo obtinuit. Mutuatam hanc summam pecuniae dicitur Princeps tandem Superintendenti Georgio Tsulai tanquam ecclesiastico Collegii Curatori ad manus transposuisse parato aere; pro residua autem parte inscripsisse Közép et Felsö Orbo possessiones ac Portionem Fel Gyogy in quatuor millibus florenorum, Portionem autem Mikloslaha in bis mille florenis, verum cum tempore Felsö Orbo, ut et Portio Fel Gyogyiensis, ex collatione autem Bethleniana pagus Besenyö abalienata sunt.

§ VI. Locum habitationis designaverat Princeps Albam Juliam, ut Musas, quibus mire delectabatur, ob oculos jugiter haberet. Erat Albae Monasterium ipsa vetustate collapsum; quod e ruderibus aedificari jussit alumnisque suis, quos quadraginta semper esse voluit, et aliis, qui Privatorum nomine veniebant, inhabitandum concessit. Proprius tamen instituti Collegii locus alius futurus erat, aedificium nempe illud magnificum, quod in area satis capaci privatorum fundis coemptis educere coeperat, ne aliquando mutatis in Principali Aula cum religione sacris, litem quisquam Collegio de fundis Monasticis movere jure posset. Quia vero aedificium quale animo conceperat splendidum se vivo ad supremum lapidem perduci non potuit, sex millium florenorum Hungaricalium summa eum in finem legata abunde in futurum providit. Sed et ista interversa est.

§ VII. Dispositio Principis Bethlenii, cum leges Transylvanicae renovarentur, non tantum loco suo relicta, sed et publicis legum Patriarum

tabulis inserta, ubi ita statutum est: Quam necessarium et inaestimabilis utilitatis sit, ut non solum publicae scholae, verum etiam celebriora Collegia si fieri posset plura, sin minus saltem unicum in Patria nostra erigantur optimo modo, agnoscimus tum exemplo aliarum Christianarum nationum, tum ipsa nostra indigentia. Quoniam tam defectus facultatum, quam occasionum miseros Regnicolas obarcent*, ne in Academiis aut Collegiis exoticis suos liberos instituendos curare valerent. Quod tanquam verus Patriae Pater b. m. Princeps Gabriel Bethlen serio in animum revocans coeperat plantare Collegium Albense, Professoribus aliisque viris doctis exornans, et beneficiis, absque quibus subsistere non posset, ditans, necessarium proventum tam in aere, quam in possessionibus conferens, quod testamentum ejusdem Principis status et ordines Regni loco suo anno 1630, 1631 in diaeta reliquerunt. Statutum igitur est, ut idem Collegium, sive in eodem loco, sive Claudiopoli in aedificiis et profectibus non tantum continuetur, sed et renovetur, in quantum Principes quoque sufficiunt et proventus Collegii extendi potest. Quoniam vero a Principe Bethlenio proventus collati et Possessiones in hunc finem sunt ordinatae, ut docti interteneantur Professores et Magistri; igitur sine mora defectus resarciantur, Professores docendi periti vocentur et Magistri in Collegio bene morati constituantur. Ut vero tutius vocationi adsentiantur, de novo Praesentium vigore assecuramus modernos et futuros Professores, Magistros Collegiique omnia membra, Superintendentes et omnes post Principes Collegii Inspectores, ut in Possessionibus hactenus manutentis et in aliis legatis in perpetuum conservabimus &c. &c.[1]).

§ VIII. Princeps ipse quoad vixit Curator Ecclesiae et Collegii fuit, post fata fratri Stephano Bethlen commisit, propiorem vero Superintendentibus suae religionis successive, qui pro ratione istius temporis Principi et Collegio adhabitantes, intus disciplinam, foris bona et proventus curabant. Neque semper aeque utiliter, uti exemplum Georgii Tsulai de aliquot mille florenis convicti et tot piorum querelae testantur. Legibus quoque Regni cautum, ut Curatores tam seculares quam ecclesiastici constituantur. Ita illa est constitutio: „Necessario requiritur, ut eidem Collegio inspectores Curatores tam e statu seculari quam et ecclesiastico, quo ad internam et externam conditionem praeficiantur, qui post Principes orthodoxos invigilent gravioribus collegii negotiis, praecipue quo ordine et fructu progrediantur in docendo, et defectus ex unanimi consensu animadvertant. Obstacula occurrentia amoliantur. Sciant bona Collegii quae et qualia sint, ubi conserventur, erogantur, ne quomodo ea aut dissipentur, aut in usum profanum convertantur"[2]).

---

* abarcent (ed).

[1]) Constit. Approb. Pars. 1 Tit X. art. III.

[2]) ll. cc.

§ IX. Quantopere pius Princeps Academicum fundare collegium desideraverit et quantum in se fuerit perfecerit, testis est Stephanus Katona Geleji Concionator Principis dum viveret Aulicus, qui ita loquitur. „Quorum omnium piis ac laudatissimis exemplis motus serenissimus atque potentissimus Ungariae et Transylvaniae Princeps Dn. Gabriel Bethlen felicis recordationis de celebri collegio in Transylvania erigendo solenne Deo votum fecerat, quod etiam praestiturus, ejus fundatores, tum moderatores, viros omnibus disciplinarum generibus excultissimos exercitatissimosque, ex Germania honesta legatione evocavit, lautumque illis stipendium ordinavit, quod ut annuatim sine defectu et interruptione administrari posset, certas possessiones certosque reditus, pecuniae item paratae summam non contemnendam, tum ad aedificandum collegium, tum vero ad foenori negotiatoribus justo et tolerabili modo elocandum, testamento legavit. Qua ejus plusquam Principali munificentia, ex benigno illustrissimi ejus successoris Dn. Georgii Rakotzi Principis et Patroni nostri clementissimi indultu, Ecclesia Transylvanica in sustentando Collegio Alba Julensi feciliter adhuc fruitur. Cujus tantae beneficentiae recordetur Dominus in resurrectione justorum et reddat ei mensura pressa et superfluente in vita beata" [1]).

§ X. Illustrem scholam Albensem anno 1628 moderabatur Petrus öse Maxai, qui praeclaras ibidem dissertationes Theologicas non solum conscripsit et ventillavit, sed etiam e typographeo Principis in publicam edidit lucem. Sequenti vero anno 1629, qui Principi emortualis fuit, vocati sunt e Germania viri, qui tunc maxime inter eruditos celebrabantur, Joh. Henr. Alstedius, M. Philippus Ludovicus Piscator et Joh. Henr. Bisterfeldius. Venerunt in Transylvaniam anno 1630 circa medium, cum jam Bethlenius eos evocans mortuus fuerit anno 1629 XXV Novembris.

Joh. Henricus Alstedius, cum literae Principis invitatoriae et legati accederent, occupabatur in edenda Encyclopaedia, quam etiam Principi Bethlenio dicavit. Dedicationem hanc singularia quaedam continentem huc transferre placet.

> Serenissimo Principi ac D. Domino Gabrieli Sacri Romani Imperii et Transylvaniae Principi, Partium Hungariae Domino, Siculorum Comiti ac Opuliae Ratiboriaeque Duci inclytissimo, Domino suo clementissimo, Joh. Henr. Altstedius pacem et felicitatem.
>
> Serenissime Princeps Domine clementissime!

Qui operam suam in scholis plene occupare inducunt animum suum nihilque habent prius et antiquius, quam ut amoenitates ingeniorum non solum in ubraculis* suarum scholarum cum auditoribus, sed etiam

[1]) Preconii Evangelici Tomo Secundo pag. 726.

* umbraculis (ed.)

in universo prope orbe literato cum lectoribus ad nominis Divini gloriam et Ecclesiae atque Reipublicae salutem communicentur, illi docendo justa* et scribendo partes muneris sui implere adgrediuntur. In his ego nomen meum Deo annuente profiteri coepi inde ab anno Christi supra millesimum sexcentesimo et octavo, ac proinde variis lucubrationibus in lucem emissis Rempublicam literariam juvare conatus. Atque ut pace inclytissimae vestrae Serenitatis velut in tabella foetus ingenii mei qualescunque suspendam, toto illo viginti et unius annorum decursu a me publicata sunt: Systema Mnemonicum, Clavis Artis Lullianae, Consiliarius Academicus, Panacea Philosophica, Theatrum scholasticum, Politica specialis Germaniae, Methodus Theologiae, Elementale Mathematicum, Arithmetica Vittekindi, Lexicon Theologicum, Artificium perorandi Brunii, Philosophia digne restituta, Metaphysicae compendium, Physica harmonica, Logicae compendium, Nucleus et Orator, Methodus admirandorum Mathematicorum, Trigae Canonicae, Praecognita Theologica, Systema Logicae harmonicae, Systema Rhetoricae, Theologia Naturalis, Catechetica et Didactica, Logica Rami florens, Theologia Polemica, Encyclopaedia, Cursus Philosophici, Theologia Casuum, Theologia Prophetica, Philomela TheologicoPhilosophica, Thesaurus Chronologiae, Compendium Theologicum, Triumphus Biblicus, Logica Theologica, Parasitla Theologica, Definitiones Theologicae, Distinctiones Theologicae, Compendium Philosophicum, Lexicon Philosophicum, Regulae Theologicae, Quaestiones Theologicae, Summa casuum conscientiae, Diatribe super Apocalypseos caput vigesimum, Similitudines Theologicae, Supplementum Tomi quarti et Tomus quintus Panstratiae Chamieri, Disputationes Philosophicae et Theologicae. Ex hisce meis lucubrationibus nonnullae bis, quaedam etiam ter et quater prelum subierunt, nominatim vero Encyclopaedia mea illo ipso fere momento sub incudem preli revocari debebat, quo Serenitatis Vestrae legati ac literae ad me venerunt ac locum in Illustri Schola Albae Juliae, in Vestra Transylvania Serenitatis Vestrae auspiciis propediem constituenda, non postremum, luculento utique salario obtulerunt. Recte itaque me facturum putavi, si pro summa hac vestrae Serenitatis gratia gratitudinem referre conarer, ac supremum ingenii mei monumentum inclyto Celsitudinis vestrae nomine praescripto typis denuo committerem, illiusque splendore commendatius redderem. Geminus autem sese hoc loco offert mihi Tuae Serenitatis splendor, unus Familiae atque Natalium, alter virtutis et heroicorum facinorum, quorum ille non abs re cum Lunae, hic vero cum Solis lumine componi solet. Quemadmodum itaque haec duo magna luminaria in coelo mira concordia lucent hisque inferioribus praelucent, ita si

* juxta (ed).

duo illa quae dixi sancto quasi foedere in aliquo copulentur, jure merito is Homo tanquam sidus aliquod ab aliis colitur atque suscipitur. Macte itaque, Princeps serenissimes duplici hoc fulgore Tuo, et illius stricturas huic meo libro impertire, imo et patere ut penicillo stili utcunque illud lumen Tuum in hoc limine adubrem* potius quam depingam. Atque ut hinc ordiar, Serenitatis Vestrae proavus Dominicus Bethlen inclytissimum et honoratissimum Transylvaniae Wajvodatum aliquot annis eo administravit modo, ut Majores dignum existimaverint, cujus nomen in Archivis suis perennaret. Haec tanta virtus felici traduce ac propagine derivata est in Tuae Serenitatis avum Gregorium Bethlen praefectura Budensi illustrem virum, qui cum Arx Budaea premeretur acri obsidione Regi suo Johanni fortem navavit operam, eaque de causa magnis ab eo auctus est honoribus. Non absimilis horum fuit Tuae Serenitatis parens Wolphangus Bethlen; is enim anno 1566 cum Arx Gyula acri obsidione a Perta Bassa purpurato Solimanni cingeretur et occulta proditione (ita n. plerique tum putabant) dederetur, ipse Tribunus Equestris ordinis, minime turpi consentiens deditioni, cum aliquot manipularibus suis Lupi ad instar Martii per medios perrupit hostes, aliquot acceptis vulneribus heroici sui facinoris monumentis ad posteros transmissis, eoque nomine charus fuit Regi suo Johanni. Eo autem vita functo operam suam inclytissimo Poloniae Regi Stephano Bathoreo addixit et Aulicae Militiae praefecturam nactus in duobus memorabilibus preliis, Bekesiano in Transylvania et Gedanensi ad lacum Lipk, fortitudinem juxta et fidelitatem usque adeo probavit Regi, ut Arce Illye ac aliis amplissimis donatus fuerit latifundiis et non uno mactus honore. Haec Majorum Tuorum exempla, Princeps serenissime, cum ob oculos Tibi poneres, inque hoc speculo sane lucidissimo meliorem Tui partem intuereris, juxta illud Principis poetarum „Te pater Aeneas et avunculus excitat Hector" magna accessione inclytam Tuam familiam locupletandam Tibi sumpsisti, quando toga pariter sagoque ut clarior esset unice es annisus. Profecto supra calamum meum virtus Tua est, et supra ventos et quicquid pluitur et ningitur et nubes omnes Atlantis vertices. Non possum tamen, quin duo ista solum levi brachio hic tangam. Virtus Tua radios suos per universum prope orbem adeo diffundit, ut serenissima et Electoralis Domus Brandenburgica sibi honorificum duxerit, arctiorem necessitudinem utpote affinitatem cum Serenitate Tua contrahere, elocata in matrimonium Catharina, serenissimi Electoris Brandenburgici, Georgii Wilhelmi, sorore. Haec eadem virtus jam longius et latius se diffundit, quando Tua Serenitas missis hinc inde literis et legatis, nominatim Nobilissimo

* adumbrem (ed.)

Caspare Boithi, viro ad hanc rem aptissimo mihique amicissimo, evocat Viros Doctos, qui Seminarium illustre in Transylvania Vestra cum bono Deo condant[1]). Haec profecto virtus est ejusmodi, Princeps serenissime, ut aeterno radietur sole, et vel sola mereatur, ob quam Te predicet Ecclesia nunc temporis immane quantum afflicta. Huic ut Deus optimus Max. Tuam Serenitatem diu velit sospitem ex animo precor, et Serenitatis Tuae manibus calami hujus non morituras offero chartas. Herbornae Nassoviorum, ubi annos integros unum et viginti in schola docens varia et valida eruditionis praesidia conquisivi et in hanc Encyclopaediam nunc demum ita congessi, ut schola illustris, quam Tua Serenitas meditatur, possit in uno hoc volumine absque labore invenire, quae in sexcentis aliis magno cum labore necesse habui quaerere et majori cum labore in ordinem redigere, adeoque Methodi lumine illustrare. Scripsi calendis Septembris anno Christi MDCXXIX.

§ XI. Alstedium cum hanc scriberet epistolam, paucos ante dies Bethlenio emortuales fuisse Herbornae. Fuit quoque in initio anni sequentis 1630 Francfurti, ubi edidit Locos communes Theologicos perpetuis similitudinibus illustratos. In Praefatione memorat se praecedenti anno divertisse in Transylvaniam, vivente adhuc Bethlenio sine dubio speculandi gratia; ast vero finaliter intravit anno 1630 circa finem. Albae enim Juliae Praefationem scripsit libro, cui titulus: Pentatheuchus Mosaica et Pleias Apostolica continens notas in Mosis libros et epistolas Catholicas. Herbornae prodiit 1631 in 8vo. Fixit sedem apud Transylvanos perpetuam incubuitque juventutis scholasticae et librorum editioni diligentissime. Albae Juliae edidit Rudimenta linguae Hebraicae et Chaldaicae, Grammaticam Latinam in usum Scholae Albensis. Rudimenta linguae Latinae, quae statim an. 1630 cum Daciae incola factus esset edidit, unde incipientes legere, declinare voces, comparare et conjugare perdiscerent, aliaque Lexica, Vocabularia &c. pro pueris conscripsit. Miserat ad eum ex Polonia Crellius libros Volkelii de Vera Religione, quos prolixe refutavit sub titulo Triumphus verae religionis; verum cum ingentis molis librum edendi facultas ob tumultus bellicos aliaque obstacula, praecipue autem defectus characterum Hebraeorum ac Graecorum deesset, edidit refutationis compendium sub titulo Prodromi Triumphi verae religionis an. 1638, qui liber est pariter in folio magnae molis aliquot centenas complectitur phyluras; ubi comparent Volkelii libri formaliter et adjunguntur Alstedii Refutationes *κατὰ πόδα*, ita ut nihil non excussum prae-

[1]) Fuit quidem Albae Juliae Seminarium, quod in meliorem formam erat redigendum, legibus instruendum et in Academiae dignitatem evehendum.

terire siverit. Edidit et alia multa Alstedius, quae unius hominis diligentiam superare videntur meritoque per anagramma ille dictus est sedulitas, labori quantum constat immortuus Albae Juliae anno 1638.

§ XII. Praetermitti hinc Joannes quoque Crispinus non debet, qui hanc scholam aliquamdiu eximie ornavit. Natus est hic Olmutzii in Moravia anno 1616; inde circa annum 1620 ob religionem cum parentibus pulsus Pleissae in Silesia consedit: iis orbatus venit in Transylvaniam, ubi Albae Juliae sua studia perfecit, inde profectus in Germaniam, Hollandiam ac Angliam adeo philosophica ac theologica doctrina excelluit, ut cum in Transylvaniam velut alteram patriam rediret in collegio Albano, docendi sparta ipsi delata septennium cum magno eruditorum adplausu eo in cursu perfecit, at veri anno 1655 d. 18 Apl. aetat. XXXIX repente extinctus est. Sepulcralis lapis hos habet versus:

Morava me genuit tellus, sed Caesaris ira
Dum fervet puerum protinus inde fugat
Exilii facta est Pleissa Silesia asylum.
Mox rapit ad Marusum Bethleniana schola
Artibus ornavit post Teuto, Hollandus et Anglus
Septennem tumulat Dacica Musa ducem.

M. Philippus Ludovicus Piscator fuit alter, qui vocatus venerat e Germania in Scholam Albensem anno 1630 ad propulsandam e Dacia barbariem et profitendas politiores literas. Videtur fuisse Theologiae et Eloquentiae simul Professor: anno 1645 edidit Rudimenta Rhetoricae in usum scholae Albensis, eodem anno Rudimenta Oratoriae, cui adjunxit Cyclognomonicam Oratoriam, dedit varias etiam Manuductiones pro puerorum institutione. Opus quoddam majoris momenti non occurrit. Rediit tandem in Germaniam, sed incertum quo id fecerit anno.

§ XIII. Tertius fuit Professor Albensis e Germania accersitus Joh. Henricus Bisterfeldius, Nassovius, qui juvenis velut ephorus nobilis cujusdam adolescentis peregrinatus est in Gallia, Lugduni autem Batavorum studiorum causa commorans hospitio usus est A. Riveti, Theologiae Professoris ob celebritatem e Gallia evocati; ubi cum esset linguae Gallicae peritissimus adjumento fuit Riveto in opere, cui titulum fecerat Catholicus Orthodoxus, in linguam Latinam transferendo. Rediens in Germaniam factus est Herbornae Philosophiae Professor magnique gener Alstedii, quo Daciam ingresso adjunxit se comitem Principis literis invitatus, ubi ab anno 1630 variis fatis exercitus ad vitae finem usque perduravit, variisque in facultatibus Professorem egit. Fuit primum Philosophiae Professor, qui, dum ingeniose e penetralibus Physicae et Matheseos abstrusiora produceret experimenta, sinistre apud vulgum audiebat thaumaturgiam ipsius naturalem sequius explicante et vera optices miris fabulis involvente. Opera, quae nobis occurrerunt

edidit: Elementa Logica in usum scholae Albensis. Philosophiae primae seminarium, Lugd. Bat. an. 1657. Ars concionandi, Lugd. Bat. 1654. Beata Beatae Virginis Ars, seu Regia genuini S. Scripturae sensus omnigenique usus inveniendi via, Albae Juliae 1651. Gladii Spiritus ignei, sive de S. Scripturae eminentia, Albae Juliae 1653. De uno Deo Patre, Filio ac Spiritu Sancto Mysterium Pietatis contra Joh. Crellii de uno Deo libros duos breviter defensum, Albae Juliae 1638, quod argumentum subtilissime tractavit. Editio repetita est Amstelodami anno 1659.

Cum Princeps Transylvaniae a Sueco Galloque solicitaretur in foedus, Bisterfeldius clam anno 1637 missus est in Sueciam, ut nomine Principis confoederationem cum Suecis iniret, qui adsumpto sibi nomine Henrici Meerboothi in senatu Holmiae bis auditus est; postquam et alios adiisset Principes, rediit ad ordinarias suas occupationes[1]).

Variis curis et laboribus fractus coepit viribus exhauri* anno 1655, videtur caruisse liberis ab Alstedia; verum secundis nuptiis Cibinio ex familia Stentzel duxerat sibi uxorem, ex qua unicam suscepit filiolam, prout ex apographo Testamenti Bisterfeldiani apparet, quod ita est:

In Nomine Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Summa mei Testamenti haec est.

Filia mea Susanna habeat in antecessum mille Imperiales; praecipuum annulum adamantinum, Numum Dordracenum, Horologium meum parvulum, Clenodium cum magno saphiro. Mater habeat in antecessum omnes suas vestes, duos Adamantes, quos ipsi donavi tempore nuptiarum, catenam auream cum Numo Maximiliani et annulum, quem donavit ipsi Principissa mater.

His praeceptis, varia illa jura Transylvanica tam civilia, quam Nobilitaria, itemque Germanica et Belgica ita inter se comparavi, utpote qui liberrimam multiplici jure disponendi facultatem habeam. Ergo in omnibus tam mobilibus, quam immobilibus bonis, quae et ego et conjunx mea possidemus, duos Trientes habebit dicta mea filia, tertium conjunx mea.

Mea autem filia statim prospiciet de honesta sustentatione Annae Bisterfeldiae sororis meae, eique tradet domum, hortum et villam Cibiniensem ad manus, quarum liberrimum usum fructum habeat. Caveat quoque ipsi firmiter quotannis de centum et duobus florenis ex interesse; ita tamen ut juxta Pactum nostrum filia mea ipsi sorori meae haeres sit ex asse, conjugique meae liberum sit sorori meae Cibinii cohabitare.

---

[1]) Puffendorf de Rebus Suecicis, Lib. IX. pag. 312.

* exhauriri (ed).

Suprema tutrix filiae meae sit celsissima Domina Princeps, Domina Susanna Lorándfi Princeps Domina ac mater mea clementissima. Illi quam primum fieri poterit Inventarium omnium mobilium et immobilium authenticum exhibeatur. Propinqua tutrix filiae meae sit conjunx mea Anna Stentzelia, cui sit adjunctus tutor Minister Petrus Viderstein cognatus meus, cui annuum et honestum stipendium meum ex filiae meae bonis solvatur. Nunc ipsi domum Tömösiensem dono cum omnibus adpertinentibus. Mea uxor alat apud se parvulam, et in timore Dei educet; pro educatione vero ipsi liberaliter solvatur. Caeteri reditus pro filia mea serventur. Si vero conjunx (a quo Deus ipse tueatur) Papistae vel Arianae religionis homini nuberet, vir ab educatione removeatur. Si conjunx mea ante filiam moreretur, Petro Viderstein adjungatur tutor Andreas Stentzel, qui pari auctoritate tutelam gerant et si forte moriantur ipsi tutores deligant.

Si vero filia mea antequam Deus ipsi haeredes det moriatur, proxima quidem jure esset soror mea Anna; verum quia nec ipsa cupit nec ego volo, ut mea bona ad alienissimos homines perveniant, cavebunt ipsi haeredes mox dicendi adhuc de centum et duobus florenis annuis, itemque de quingentis Imperialibus, quos nisi in extrema necessitate consumere non poterit. Horum alias utilitas erit haeredum filiae meae.

Divisio bonorum filiae meae sic instituatur post mortem ejus: Quingenti Imperiales ex tota summa in antecessum accipiantur pro mea sorore modo praedicto, scilicet ita, ut ea defuncta ex illis, quantum supererit, redeat dimidia pars ad conjugem meam, altera ad cognatos meos. Deinde omnia filiae meae bona dividantur in duas partes aequales; unam dimidiam partem accipiat conjunx mea, mater ejus, habeatque jus et libertatem in illam. Altera dimidia pars devolvatur ad cognatos meos Vidersteinios, nimirum filios Joannis Vidersteinii, civis quondam et Senatoris Sigenensis fratris mei, itemque ad filios et filias Martini Vidersteinii, Professoris quondam Theologiae Herbornensis fratris mei, expressissima hac lege: Quicunque ex illis vel hactenus Papista factus est vel imposterum fieret, unicum teruncium ex meis non habebit, sed caeteri inter se dividant. Id de Unitaria etiam religione intellectum volo. Pro suo tamen labore Petrus Viderstein ex communi summa, scilicet ipsorum cognatorum, accipiat quingentos Imperiales. Ipsius soror Elizabetha pro nuptiis suis centum aureos, quos e statu moniali si adhuc aspirat ad libertatem et paternam religionem possitque liberari in antecessum accipiet. Quibus enumeratis, quod residuum erit fraterne dividant. Denique si contingeret, ut conjunx mea obiret ante filiam, salvis legatis sorori meae factis duo trientes bonorum devolvantur ad cognatos meos Vidersteinios, reliquus ad Stentzelios conjugis fratres, ita tamen ut in antecessum Andreas Stentzel habeat imperiales sexcentos.

Debita, quae mihi avunculus meus Philippus Schibart et cognati Viderstenii ac alii in patria mea debent, sive filia mea vivat, sive non vivat, ex aequo et bono componantur, nec ibi uxor rigidum jus urgeat. Pecunia Dantisco et Amsterdamo et poterit et debebit brevi huc per Cambium adduci. Dantisci sunt circiter centum et quatuor sterlingii aurei apud viduam Domini Niclassii: in Belgio D. Rulicius fidei Domini Baldi Amstelodamensis mercatoris commisit meam pecuniam, ut ex recentissimis ejus literis apparet.

Bibliotheca mea maneat simul: si moriatur filia, sit Collegii, liceat tamen Petro accipere, quos velit tum pro se, tum pro editione librorum meorum.

Tandem Celsissimo Principi D. D. Georgio Rákotzi Principi Transylvaniae, Part. Regni Hungariae D., Siculorum Comiti, Domino meo clementissimo, humilimas gratias ago pro magno honore, favore, amore, quo me prosecutus est, obtestans per Deum velit religionem Reformatam constanter et fortiter secundum solum verbum Dei, non hominum opiniones tueri ac promovere. Erga meos filiam, conjugem haeredesque, nam plane nulla bona relinquo, de quibus non disposuerim, nominatim de Tömösiensibus, quae caeteris jam expresse inclusi, quaeque ad filiam ac conjugem et cognatos devolvi debeant, Principalem misericordiam et justitiam meorum fidelium servitiorum intuitu demonstrare; cui posse Deum supremum Patronum esse. Mille ac ducentos Imperiales soluturum sua Celsitudo per Dominum Sigismundum Kemeny promisit exhibere: quos si sua Celsitudo dederit, ex iis 200 Imperiales lego privatis studiosis Collegii nostri, ut ad interesse elocentur. Ita Deus stabiliat et coronet tronum suae Celsitudinis, propter merita ejus omni pace et felicitate. Amen.

Clarissimus Dominus Franciscus Bihári Rector Collegii Albensis rogatu meo hoc Testamentum descripsit, quod verbotenus confirmo, posthumi nulla habita ratione, quia per naturam imbecillem fieri nequiit. Denique si hoc Testamentum non valeat per modum Testamenti, valeat per modum codicilli. Scribebam et subscribebam corpore aegro, mente sana, Albae Juliae VI Januarii 1655.

Joannes Henricus Bisterfeldius Professor mp.

Georgius Tsulai, Minister Ecclesiae Albensis primarius ac Ecclesiarum Reformatarum per Transylvaniam Superattendens mp.

Joannes Fileki, Minister Ecclesiae Albensis mp.

Joannes Crispinus, unus Rectorum Illustris collegii Albensis mp.

Joannes M. Pápai, Requisitor Capituli Albensis mp.

Joannes Apacius, Rector Collegii Albensis mp.

Franciscus Bihári Rector Collegii Albensis scripsit et subscripsit.

L.S.

Mortuus eodem anno est Bisterfeldius Albae Juliae, cujus lapis

sepulchralis ad fundationem usque Carolinae in publico coemeterio perduravit.

§ XIV. Nondum Bisterfeldius exspiraverat anno 1655, cum Achatius Bartsai tributum Transylvaniae annuum, quindecim scilicet aureorum millia, Portae Otthomannicae repraesentavit Constantinopoli. Unde rediens Isacum Basirium secum in Transylvaniam ea spe adtulerat, ut is Principi recommendatus in Professoris officium promoveretur. Nec spes eum destituit; nam constituto mille imperialium salario collega Bisterfeldio datus est. Paucos post dies Bisterfeld in vivis esse desiit, atque ita omnis Alstedii, Piscatoris, Bisterfeldii celebritas, respectus, favor, officium, dignitas uni adhaeserunt Basirio, adjuvante ipsum et causae justitia, qui celebris Anglus exul et velut semi-martyr habitus est. Fuit enim Basirius natione Gallus Rothomagensis, educatione et meliori patria Anglus, Regis Caroli Primi Sacellanus, Nortumbriae Archidiaconus, qui dum Rex ipse securi percuteretur, ex Anglia profugus, peragraverat, relictis ibidem conjuge, liberis, fortunis omnibus et dignitate, Asiam, Aegyptum, Syriam, Arabiam; fuit variarum scientiarum et linguarum peritus, Theologus, Philosophus, Philologus, Medicus, praeter alia in Patrum scriptis praecipue versatus, Arabicae, Hebraicae, Graecae antiquioris et modernae, Italicae, Gallicae, Anglicae linguarum callens, Latinus tersus, promptus et eloquens, vir probus, pius, sobrius, temperans, affabilis et conversativus, ast contra Presbyterianos nimium fervidus.

§ XV. Publicam habuit congratulationem nomine universitatis Albensis, typis quoque descriptam, de victoria Principis a Transalpinis Valachis reportata die XXVI Julii anni 1655. Fervere jam tum coeperat inter ministros controversia de Episcoporum dignitate ac auctoritate: qui ex Anglia recenter redierant ministri Presbyterianis favebant cum Professoribus Patakiensibus. Basirius autem cum Principe et antiquioribus ministris Episcopalium partes tuebatur adeo fervide, ut vita quam sententia cedere mallet. Edideratque pro tuenda sententia scriptum eodem adhuc anno 1655 quoddam cum titulo Triumviratus. Huc faciunt ejus Epistolae, quas hic ex autographo placet exhibere.

Viro Reverendo Clarissimoque D. Paulo Kereszturio Pastori Aulico dignissimo Isaacus Basirius Ecclesiae Anglicanae Presbyter S. D.

Iturit ad vos amicus noster intimior cl. collega vester D. Sellyei, cui *Εὐοδίαν*. Apparebit autem quasi redivivus, sit laus in solidum viventi et vivificanti 1 Sam. 11:6, in cujus unius manu Tetras illa clavium mystica, de qua Rabbini[1]). Ire autem communem hunc nostri amborum

[1]) Quatuor claves sunt in manu Domini Mundi, quas nulli tradidit Angelo vel Seraphino, 1 Clavis Pluviae, 2 Clavis Sustentationis, 3 Clavis Sterilitatis, 4 Clavis Sepulchrorum. Targum. Hierosolym.

fratrem sine comitatu mearum ad Cl. V. literarum primitiarum ἃ Θέμις ἐχ ὅσιον. De statu nostro tum publico tum etiam privato ipsus faciet certiorem Cl. V. Summa huc redit: stat sententia Deo corroborante in causa bona cedere potius vita, quam loco, multominus sententia, quamdiu Veritas et Authoritas, Deus et Princeps stant a partibus nostris, persistam firmus, ubi instar tametsi sentio crabronum punctiones identidem renovatas, ut ut ego natura irritabilis, publicae tamen pacis causa obduresco, consulto. Equidem nisi Ecclesiae vestratis, cujus cum doctrina orthodoxa conspirat anima mea, veneratio, Principis eruditi ejusdemque clementissimi observantia, scholae etiam tantum non animam agentis commiseratio me retineret, ego vel actutum spontaneo secessu litarem invidiae eorum hic loci, qui, notante Tullio de Graecis, non modo invident nobis, sed et suis. Tametsi, si migrem facile praevideo Tripudium adversariorum scholae huic p. t. desertae insultantium, si non etiam insidiantium. Possum, Deo gratias! alibi fortassis non minus laute, certe multo magis tranquille vivere. Est enim Domini terra et plenitudo ejus, uti sibimet sub persecutione heterodoxorum anhelanti applaudebat S. Chrysostomus. Nauseat hic animus meus ad typhum arrogantem hujusce sciolae aetatis novaturientis, cujus schismatico jugo haud succollabo unquam, probe conscius experientia, quod moribus antiquis res stat Christiana virisque [1]). Quemadmodum enim in Doctrina contra Scripturam nemo Christianus, sic in Disciplina Ecclesiastica, (modo citra contradictionem sacrae Scripturae) bene stabilita, contra Ecclesiam universalem nemo Catholicus [2]) vel vere pacificus senserit unquam. Interea morbi hujusce epidemici contemplatione tristi perculsus crebro exclamare cogor cum B. Martyre Polycarpo, S. Johannis discipulo atque etiam Episcopo Smyrnensi ab Apostolis constituto [3]): Bone Deus, in quae nos tempora reservasti! Vale, vir Cl. et macte bona mente, atque etiam temet rebus servato secundis, siquidem magna ex parte In Te Domus inclinata recumbit. Ex Alba Julia IIIo Kal. IX br. A. U. T. CIↃIↃCLV.

Reverendissimo in Christo Patri ac D. Nicolao Szatmári, Ecclesiae Patriae Pastori vigilantissimo atque Ecclesiarum orthodoxarum Cis Tibiscanarum Episcopo dignissimo, Isaacus Basirius S. S. Theol. D. et Professor S. P. D.

Tanta est charitatis Christianae arcana efficacia, Reverendisse P., uti membra dissitissima, quantum coelum ipsum a terra, spirituali vinculo

---

[1]) *Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω*, Can. 6. Concil. Magni Nicaena.
[2]) Tertullian. Item Euseb. Histor. Eccl. Lib. III. Cap. XXXV.
[3]) Is a Doctis supponitur esse Angelus Ecclesiae Smyrnensis in Apocalypsi.

intime conjungere valeat; idque adeo indissolubiliter, uti neque gentium linguarumve discrepantia neque locorum intercapedo eandem queat intercidere. Nodo hoc mystico cum vestra nostraque Ecclesia sit mutuo constricta, nihil mirum, si homo ignotus ad ignotum, sed Christianum, orthodoxum libere accedam, solum uti sinceram contesserationem reciprocae unitatis, tam quoad disciplinam, quam quoad doctrinam, obsignaturus. Adfectum atque etiam conatum quoad preces et vires subserviendi ecclesiis vestris orthodoxis spondeam ex animo. Exultans etiam spiritu, quod inaudivi vest. Reverendiss. Cl. magnanimiter invigilare ovili Dominico sibi commisso, ne vel lupi vel vulpes, vel haeretici, vel schismatici, novaturientes, illud invadant divastentque. Macte, Pastor bone, cura et custodia vere pastorali atque magnus Ἀρχιποιμήν, qui solus super omnes curat oves oviumque Magistros, adjuvet utrosque, atque tandem immarcescibili gloriae corona cumulet perseverantes. Raptim cursore praecipitante ex Alba Julia XIIIo Maji A. U. T. CIↃIↃCLVI.

P. S. Fasciculum chartarum mitto in usum vestrum et admodum Reverendorum Dominorum Seniorum, Patrum in Christo colendorum, quorum piis suffragiis commendari cupio. Edidi hunc Triumviratum, uti Fratres quosdam nutantes sufflaminarem. Deus constabiliat.

§ XVI. Princeps Rakotzius rebus Suecicis anno 1657 se intermiscuit, Poloniamque adversante Porta Ottomanica cum exercitu intravit, unde innumerabiles subsecutae sunt calamitates Transylvaniae per Turcas Tartarosque evastatae ac in favillas redactae, cujus cladis immumis non fuit Basirius, qui, etsi ipse personam suam, refugium in arcibus quaerendo, salvarat, res in turbis amiserat. Patet hoc ex ejus literis ad Pastorem Küküllövariensem datis, quas ex autographo hic exhibeo.

Viro pl. Rdo Doctissimo D. Joanni Dadai, Seniori dignissimo, Domino ac Fratri in Christo praedilecto, Isaacus Basirius SS. Th. D. S. D.

Utinam ad alia tot dona praeclara, quibus divino Numini complacuit ornare vest. pl. Rev. claritatem, ipsemet adjunxisses donum calligraphiae: plus etenim laboris et oculorum impendo in legendis Dignitatis vestrae literis, adeo characteres sunt exiles, quam ipse in scribendis. Ago praeprimis singulares gratias de affectus erga me vestri constantia, quam Deus, peregrinorum Deus, remuneratione coronare dignetur. Condoleo ex animo ingentem magni Reverendi viri jacturam Ecclesiae Transylvanicae jam plus satis jactatae. Deus det malaciam colligando unitate, cujus nodum stringet prudens conjunctio antiquitatis cum veritate. Metuendum enim, ne innovatio ominetur atque etiam acceleret senescentis Ecclesiae imminentem periodum, quam sacrilegium intervertens Bona scholarum, quae sunt Ecclesiarum Seminaria, nisi Deus avertat misericors.

Parento Cl. viro τῷ *Μακαρίτῃ* verbis Regiis 2 Reg. XIII: 14: Pater mi, Pater mi, currus Israelis et equites ejus. Deus in ipsius locum sufficiat Ecclesiae orbatae Pastorem secundum cor suum, qui curet oves oviumque Magistros, quaerens quae sunt Christi et non quae sua sunt. Deus sit Maritus viduae et pupillis Pater.

Me quod spectat adhuc inter duas sellas male sedeo, inter dilationem, forte negationem stipendii a Cels. Principe mihi sub chirographo debiti, a celsissimo etiam promissi, et detentionem Bonorum meorum in Transylvania abreptorum. Quorum recuperationem nullus dubito, quin Vestra dignissima Pietas adjuvet, quantum in se, ad famae incrementum et conscientiae solatium. Rev. ac Cl. D. Stephanus Czengeri fassus est per literas idque particulatim, sub sua potestate fuisse aliquot supellectilis fragmenta et codices aliquos. Utinam illa et quae Cibinii adhuc restant mediante Cl. D. Pastore Bolgatziensi transmitti possent in manus egregii D. Joannis Szikszai Provisoris Küküllövári! Geminum hoc urget — periculose meum exhinc discessum.

Utcunque cedat acquiescam tranquillus in divino Edicto — adversis rerum immersabilis undis. Soleo enim istiusmodi casus alias graviores futuros praedomare meditando. A consimilibus tribulationibus D. T. O. M. praeservet vos, vestros, vestra omnia. Vale, vir pl. R.de, dignissime et macte fructu uberrimo in vinea Domini, quam ipsus conservet ab apro sylvestri et fera agresti, invasore et persecutore. Raptissime ex Huszt die 24 Martii A. U. T. CIↃIↃCLXI.

Rediit eodem anno in Angliam, ubi Carolum Secundum audiit regnare, ibique recuperatis dignitatibus in honore mortuus est. Hic Basirius cum an. 1653 moraretur Constantinopoli, familiaritatem iniit cum summo Sultanni interprete Ali Bég, qui gente fuit Polonus, inter suos Albertus Bobosky vocatus, at vero in pueritia a Tartaris captus Turcisque divenditus in religione Muhammedana fuit educatus: hunc induxit Basirius, ut Catechismum Ecclesiae Anglicanae in linguam Turcicam transferret: idem deinceps tota S. Biblia in eandem linguam in gratiam Levini Varneri Legati Belgici interpretatus est. Cujus exemplum in publica Bibliotheca Leidensi inter MSSta Legati Varneriani asservari dicitur[1]). An vero Bobosky ad religionem Christianam redire potuerit, qui optabat, omni dignitate sua relicta, panem quoquomodo in Anglia lucrari, incertum est.

§ XVII. Nescio an hic memorem Joannem Tsere Apatzai, Philosophiae ac Theologiae Doctorem celeberrimum, qui equidem Professoris titulo in Collegio Albano functus non est, re autem vera fuit. Perspexerat

---

[1]) Acta Erud. Lipsiens. de an. 1691 pag. 226. Andreas Caroli in Memorabilibus Ecclesiasticis Lib. VI. pag. 79.

hujus sagax ingenium Stephanus Katona Gelejinus, quem probe viatico instructum expediit in Academias Belgicas, ubi tanto ardore studiis incubuit, ut non solum titulo Doctoris Theologiae ornaretur, verum et cathedra Professoralis Trajectina ipsi offerretur: qui tamen ex obligatione in Patriam redire debuit anno 1653, quo jam Trajecti Encyclopaediam Hungaricam ediderat. Factus est eodem anno in collegio Albensi Rector; erant enim ex consuetudine istius temporis in illustri Lycaeo Albano tres Rectores praeter Professores et duo Collaboratores. Collaboratores instituebant classes inferiores ad syntaxin usque; Rectores Poesin, Rhetoricam, Logicam; Professores autem graviores scientias. Apatzaio doctissimo Th. Doctori demandata est Classis Poetica, qui an. 1653 mense novembri habuit orationem elaboratissimam de studio sapientiae, in qua artium et scientiarum omnium utilitas, earumque ortus et ab Adamo ad Hebraeos, ab Hebraeis ad Chaldaeos, ab his ad Aegyptios, ab Aegyptiis ad Graecos, a Graecis ad Arabas et Latinos progressus, et inter eos cultura promotioque breviter perstringitur, ob hancque causam harum linguarum necessitas probatur. Postremo modus ostenditur, quo gens Hungarica hujus sapientiae non tantum particeps fieri, sed brevi illas omnes, si non superare, aequare saltem possit. Quae ipsius oratio simul cum Epistolis Theologicis et Philologicis ad Ludovicum Glandorpium, Joannem Leusden et Abrahamum à Gelder Trajecti anno 1655 edita est.

Displicuit haec provincia Apatzaio, verum in arena caepit* consilium, occasione Georgicorum Virgilii Physicam, Geographiam et Astronomiam tradidit auditoribus, isto quidem eventu, ut studiosi relictis Professorum collegiis sequerentur Apatzai praelectiones. Adolescente tandem in istum multorum invidia, objectus est Principis indignationi et vix non oppressus. Demum bonorum quorundam praecipue vero Joannis Bethlen et Pauli Kereszturi succursu in Collegium Claudiopolitanum transpositus est, ubi uberrimo fructu Theologiam et Jus docebat. Melior studiosorum e Collegio Albensi eum subsecuta est pars, remanentibus solum iis, quos publica beneficia et alumniae retinebant.

§ XVIII. Duravit Collegium Albae Juliae usque ad temerariam aeque ac infelicem Principis Rakotzii Secundi in Poloniam expeditionem an. 1657. Offensa enim ea Porta Otthomannica, ejus jussu, Polonorum vindices Turcae, Tartari, Valachi ferro flammaque in viscera Transylvaniae desaevierunt, et ipsa etiam Alba Julia evastata, ubi studentium cohors partim caesa, partim in captivitatem abducta, partimque dissipata,

* cepit (ed.)

Collegium, Templum, Bibliotheca, Typographiae in cineres sunt redacta. Secuta hinc varia Transylvaniae discrimina, mutationes Principum, bella civilia inter aemulos Principes hanc Patriam miserandum in modum distrahentes in partes, aliis Imperatori Romanorum, aliis Turcarum adhaerentibus, et sic inter aliquot annorum arma civilia conticuere Musae Transylvanicae, jacuerunt bona studia, donec Michael Apafi, nihil tale cogitans, minus adfectans, Imperatoris Turcarum voluntate, per liberam tamen Statuum electionem rerum Transylvanicarum potitus, et aemulis qua sublatis qua repressis, in Principatu confirmatus est. Hujus Principis auctoritate et pietate, consilio vero Joannis Bethlen recollectum est Albense Collegium, cujus tenues quaedam reliquiae Claudiopoli hospitabantur. Quas propter vivendi commoditates placuit, non Albam in antiquam Musarum sedem, sed Enyedinum remittere ibique sedem figere. Dedit igitur mandatum Princeps anno 1662 die VI Octobris ad Petrum Vizaknai bonorum suorum Praefectum et Martinum Szanto Nagy Enyedensem, Provisorem Collegii Albensis, quo significat, Petrum K. Vasarhellyi Professorem Theologiae ex urbe Kolosvar cum studiosis eum sequi volentibus debere Enyedinum ire; injungitque ut quantocyus et commodius fieri possit pro ipsis locus habitationis praeparetur et omnia obstacula amoveantur, in specie Domus Joannis Váradi e regione Portae Castelli caeteris eminentior sumptibus Collegii coematur atque in hunc finem coaptetur, proventus quoque Possessionum collegii ad intertenendum Professorem et Studiosos convertatur.

§ XIX. Fuit in Oppido N. Enyed insignis coetus scholasticus prius etiam quam pro Residentia Albanarum deputaretur Musarum; quod apparet ex sigillo nunc quoque ibidem exstanti cum Inscriptione: Sigillum Coetus N. Enied anno 1622, ubi insigne est Studiosus ad mensam sedens prae se librum expansum habens. Hic cum considendi commoditas studiosis numerosioribus deesset, aliquot contiguae privatorum oppidanorum aedes in platea ad pagum Miriszlonem versa, hinc atque hinc aere Collegii emptae tumultuario opere invicem coagmentatae, et in eorum usus ubi deinceps exciperentur conversae, annoque sequenti 1663 occupatae. Primus, qui in transponendo in hanc commoditatem Claudiopoli Collegio multus fuit, idque apud Principem suffultus consilio et ope magni Herois Joannis Bethlen Cancellarii solidis evicit rationibus, fuit Petrus Vasarhelyi, vir magnorum hinc meritorum nec unquam satis laudandus, Theologus doctrina pariter et vita sincerus, literator egregius, Latinus imprimis elegans, et in Graeca lingua late exspatiatus, ad Poetas, Historicos, Patres &c in Hebraea similiter ad Rabbinorum usque scholas et pulpita provectus, Chaldaicae, Syrae, Arabicae et vulgaris Turcicae, quam in obsidione Cibiniensi, cum Principi Achatio Bartsai a sacris esset, ex Muhammedanis sacer-

dotibus hauserat et Arabicae, cujus jam ante gustum habuit, junxerat, peritus. Multos conatus ejus habuit adversarios, praecipui tamen fuerunt oppidani Enyedienses, qui cum ex testamentaria Principis Bethlenii dispositione Decimam proventuum in rationem Collegii, et insuper ducentos annuatim florenos titulo Taxae dare cogerentur, se oppressum iri si Collegium ibidem resideret putabant. Apparet ex literis Petri Vasarhelyi Professoris ad Joannem Dadai, Curatorem Ecclesiasticum datis, quae ita sequuntur:

Reverendo et Clarissimo D. Johanni Dadai, ecclesiae Küküllövariensis Ministro vicinarumque Inspectori gravissimo.

Abrupta opportunitas, quam ego non praevideram, non sinit amplis verborum periodis R. Cl. Vestrae res nostras aperire, quas tamen magnam partem cognitas R. C. T. confido. Hoc unum est, quod V. Cl. obnixe rogem, si per valetudinem aut inevitabiles prorsus occasiones liceat, Albam Juliam descendere ne gravetur. Certo enim constat hodie Principem ibi futurum, quo et Dominus Cancellarius properat, jussus. Erunt nobis negotia non parvi momenti coram sua Celsitudine et D. D. Magnatibus agitanda. Probe noverit R. Cl. V. res afflictissimas Collegii nostri, quod ni statuminetur, proclive est ut collabascat, sicque omnis conatus et labor irritus reddatur. Inter signa irae Dei nondum nobis reconciliati refero, quod tot impedimentis, tot hostibus rabidis misellum Collegium sit expositum, et exultare satanam nullus dubito, si fundamenta haec subruere possit, profutura alias tam Ecclesiae, quam Politiae apud nos misere labascentis.* Hi etiam homunciones, oppidani cives nostri, mira ut audio moliuntur; putant se in culmine libertatis et immunitatis falso speratae sessuros, si collegium ruat, similes dicentibus: Nolumus eum regnare super nos. Erunt et plures ferae, quibuscum pugnandum erit. Veritas et justitia nostras partes sequitur. Celsissimum Principem habemus favitorem, similiter Cancellarium, super omnia autem Deus erit nobiscum, cui confisi strenue inceptis feliciter progredi constanter nihil dubitamus. Sumo** cum cordolio accepi ingentes V. Cl. et hominum in castrum Küküllövár conclusorum vexationes, sed Deo habetor gratia, qui opem adflictis adtulit, dextraque salutifera vitam ex morte restituit. Raptim Enyedino XVIII Augusti A. C. 1663.

R. Cl. V. ex animi candore deditissimus Petrus Vásárhelyi.

Vicit tandem bona causa, omniaque perrupit obstacula, Collegium Enyedini stabilitum, beneficiis publicis privatisque ornatum. Discentium turba in sex classes distincta, Praeceptores iisdem e Studiosorum ordine praefecti, salaria Professoribus et Praeceptoribus ordinata. Fundatio a Principe Bethlenio olim constituta, quantum potuit, revocata, Studiosi

* labascentibus (ed.)
** summo (ed.)

optimae spei et melioris notae viginti ut e Collegii proventibus perpetuo alantur injunctum. Joannes Bethlen, Collegii Curator, Cancellarius et Comes Albensis Supremus, decem suscepit studiosos annuatim proprio sumptu alendos: pia ejusdem conjunx Clara Fehete tres, de quibus post sua etiam fata e possessionibus prudenter providerant; at vero eorum dispositio temporum injuria vario est imminuta modo. Hos certatim alii ex Magnatibus imitabantur. Sigismundus Banfi de Losontz. Consiliarius et Praesidens, pro quatuor studiosis ordinavit stipendium, qui perpetuo in Collegio alerentur. Ad haec villicationis suae in Possessionis suae Szent Király decimam partem ad augendam collegii Bibliothecam deputavit et quoad vixit praestitit, non tamen transmissa ad haeredes idem praestandi necessitas. Balthasar Matskási, Principis Consiliarius, itidem quatuor alumnos adoptavit; idem fecit Michael Teleki; secuti sunt Joannes Kemeny, Georgius Vas de Tzege, Catharina Beldi, Franciscus Belenyesi, Paulus Bánfi, Franciscus Redei, Baro Nicolaus Zolyomi &c., atque ita brevi res Collegii ex Alba Julia Enyedinum transpositi in florem redierunt.

§ XX. Voluntate Principis et Magnatum Petro Vásárhelyi Collega datus anno 1664 Samuel Enyedi, Medicinae Doctor, olim Illustris scholae Varadinae Rector, sed capto nobili per Turcas fortalitio exul, poeta insignis, cui cathedra Philosophica ornanda cum Paedagogiarchatu cessit. Ast vero brevi post anno 1666 die XV Maji Petrus Vasarhelyi, verus Collegii Pater et alter restaurator, improbo labore vitae finem sibi accelerare visus est, qui multifaria juventuti cum praeluxisset eruditione, longo sui desiderio Collegii civibus, ut et Ecclesiae, quam crebris concionibus eruditis saepe in Ministri ordinarii, qui in illa temporis angustia unus tantum erat, defectu, solabatur, libens laetusque post se relicto Igne Sacro invicibili* confectus abiit ad plures**. Opera nulla edidit, sed Manuscripta, quae publico consecraverat, reliquit: Politiam Ecclesiasticam, Exegesin in Apocalypsin Joannis Theologi et alia quaedam.

§ XXI. Curatores inde a restauratione Collegii fuerunt Joannes Bethlen Cancellarius, Sigismundus Bánfi de Losontz, Consiliarius Principis et Praesidens Statuum, Ecclesiastici vero Superattendens et Joannes Dadai, minister et Senior Küküllövariensis. Et quia superius nominati curatores saepius munerum et dignitatum ratione ad ardua Principis et Patriae negotia avocabantur, lecti sunt et alii ex Magnatum numero curatores, viri pariter illustres, Franciscus Redei,

---

* invincibili (ed.)
** patres (ed.)

consiliarius Principis et comitatus Kolosvar comes supremus, Wolfangus de Betlen, consiliarius, comitatus Albensis comes supremus et post in locum Joannis mortui cancellarius, Nicolaus de Betlen, sedis Siculicalis Udvarhely capitaneus supremus, qui fere unus pro omnibus longo post tempore onus hoc sustinuit, solus inter omnes literarum et literatorum aequus aestimator, insigniter eruditus et ipse, et multiplici rerum experientia instituta per potiores Europae partes peregrinatione illustris. Lectus in hunc ordinem etiam Balthasar Matshási, comes comitatus Szolnok interioris, aliquot sub Principe Apafio legationibus tum ad Portam Ottomanicam, tum ad sacratissimum Imperatorem Leopoldum Regem, insuper Poloniae Joannem cum laude defunctus.

§ XXII. In locum nuper defuncti Petri Vásárhelyi eodem anno 1666 die XVI Junii inauguratus est Joannes Nádányi de Keres Nadány, vir ex illustri prosapia oriundus, qui cum studiorum causa Lugduni apud Batavos moraretur, Florum edidit Hungaricum, sive Rerum Ungaricarum ab ipso exordio ad Ignatium Leopoldum deductarum compendium. Hunc Magnatibus Transylvaniae Princeps stipatus Professorem inauguravit Rectoremque dedit. Biennio post cum Professoris Theologiae partes minus feliciter facere circumferretur, lis ipsi mota a Collegii Curatoribus jussusque est contentus esse linguae Hebraicae et Logices professione. Verum nec in istis adplausum studiosorum meruit, cum vir quidem esset doctus, didacticam tamen non haberet; perpetuis pulsati curatores discentium querelis varios ipsi docendi praescripserunt modos ab ipso non observatos, nec amoveri poterat consanguinitate plures contingens Magnates; tandem anno 1678 apud Principem delatus et rerum novarum accusatus, ut qui Principis aemulis suffragatus et in malo consultor fuisset, gratia qua in Aula multum pollebat et officio excidit, atque ex Transylvania in Hungariam recessit.

Hic Antonii Mizaldi librum de Herbis et Hortorum cultura Hungarice loquentem fecit, atque anno 1669 Claudiopoli edidit.

§ XXIII. Cum Nadanyius manum a docenda Theologia abstinere jussus est, suffectus ei Stephanus Tzengeri de Várad Ecclesiae Faragasiensis Pastor primarius, vir fervidi ingenii, disertus, disputator acer, in controversiis imprimis Socinianis sine pari, quorum dum viveret hostis irreconciliabilis semper fuit. Idem ab ecclesia Enyediensi vocatione in pastorem honoratus et mox Tractus vicini fratrum Senior factus Collegiique curator Ecclesiasticus, tot oneribus non multo post succubuit. Anno enim 1671 die X Junii cum consistorium ad res ecclesiasticas dirigendas convocasset, forti apoplexia tactus terris cessit. Plura de isto superius.[1])

---

[1]) Lib. II. Cap. XIII. § XII.

§ XXIV. Accesserat ad duos Professor tertius anno 1668 die IV Januarii Paulus Tsernátoni A. L. M., qui Professor eloquentiae Claudiopoli Ephorus a Joanne Betlen filio Nicolao adjunctus, ex peregrinatione cum eodem Germanica, Hollandica, Anglica, Gallica, Helvetica redux, Matheseos, Philosophiae Cartesianae, quam primus in Transylvania professus est, et Historiarum professionis munus cum Paedagogiarchatu adeptus est: qui provinciam hanc postquam integro decennio, cum laude, innata imprimis gravitate apud juventutem venerandus administrasset, obiit ex repentina paralysi anno 1679. Per omnem vitam coelebs haeredeque destitutus, Bibliotheca ejus, quam optime instructam habuit, publicae Collegii Bibliothecae adjuncta est. Franciscus Pariz Papai, M. Dr. tandemque successor, sequenti eum carmine epitaphio laudavit.

Dasne manus tandem letho, morerisque diu quem
Dicent petentque Posteri.
Tunc etiam moreris, Paule, immortalia semper
Prensare qui contenderas.
Et frustra moreris, cogis quia Gargara laudum
Et vivis imo aeternus es.
Littera ni pereat, Musa omnis et arbiter omnis
Testisque bonorum integer.
Littera te pascet, Musae super aethera scribent
Testesque splendidas agent.
Jure etiam merito, quin jure haec praemia posces
Laboris hoc stipendium.
Post tot pentathla et post mixtos pulvere cursus
Victamque harenam gloria.
Naturae oceanum felici nave subactum
Post tot bonas scientias
Queis impallueras a primis fervidus annis
Nec deerat Messis nisi.
At privata silere decet, cum publica prostent
Majora dona millies.
Messem fecisti, messem demessuit illa
Felix juventa, Te duce.
Quae Te Claudiaca, et quae post Enyedina per arva
Vidit ducem, secutaque est.
Hinc Tu Principibusque viris non ultimus hospes
Qua polluisti gratia.
Atque aliis pariter dilectus sive doceres
Seu quid referres per jocum.
Omnia spirabant canum et venerabile pectus,
Nil non acutum prodiit.

Mastyx pigritiae ignavis exosus et ipse
Gnavis amatus et Pater.
Tunc etiam moreris vita dignissime longa
Sic est: refer longum Vale.
Excubitor fortis Musarum et nobilis Atlas
Riges, cubas, non excubas.
Perge, cuba molli sub cespite, credito pro Te
Et nostra lingua hic excubat.

§ XXV. Vacans per decessum Stephani Tsengeri cathedra Theologica oblata est Martino Dési, ecclesiae Kezdi Vasarhelyensis Pastori, qui die XXVIII Novembris anno 1671 in praesentia Illustris Baronis Stephani Botskai inauguralem orationem publice habuit. Fuit vir hic doctus, honestis licet a fortuna non ita splendidis ortus parentibus, pro eorundem zelo in schola patria Desiensi jactis bonarum literarum fundamentis, ubi earum praegustationem fecisset, ambitione bona ad ampliorem studiorum mercatum Fautorum consilio et succursu, imprimis Emerici Pariz Papai, tunc ecclesiae Desiensis Pastoris et vicinarum Senioris, properans recta Saros-Patakinum illustri Schola celebrem petiit, ubi se de novo novae palestrae credens, post aliquot ibi missus feliciter factos ita alacriter aequales praevertens ad metam constitit, ut jam nihil nisi restaret corona post pulverem. Admotus ergo Superiorum arbitrio cathedrae post subsellia literas, quas a fidis Magistris hauserat, easdem publica mercede publice praecipere juvenis adhuc coepit, tum in Classibus ordinariis, tum vero in aula Illustris Baronis Stephani Botskai, erudiendis ejus privignis tribus Klobusitskiis admotus. Utque haec Desini sata et Patakini rigata laetius incrementum sumeret planta, liberalibus Patroni impensis dignus est habitus, qui pedem ex Hungaria efferret et alium quoque in artibus profecturus experiretur solem. Venit ergo in Hollandiam ejusque nobilius in literis emporium Academiam Leidensem, atque ibi sincerae Theologiae imprimis animum applicat, felix Professoribus in ea facultate doctissimis, praecipue Joanne Coccejo, cujus toto quadriennio lateri adhaerens, inde non frustra caluit. Patriae enim postliminio cum tanto foenore redditus ambiri hinc atque hinc coepit, et primum quidem cathedrae ecclesiasticae Kezdi Vásárhelyiensi adhibitus ingentem sui nominis famam assiduis laboribus acquisivit. Inde Enyedinum vocatus Professoris Theologiae munus subiit. Viginti et amplius annis sacrum opus feliciter ursit, et pari fidelitate, misso divite in omnes Hungariae et Transylvaniae angulos auditorum examine celebris effectus, donec praemissa ad plures vitae socia vidualis vitae et perpetuorum languorum taediis fractus emaciatus et plane exsuccus factus, anno Christi 1691 die XXIV Julii hora duodecima meridiana, sole culminante, societatis sol, in illum justitiae solem, quem

solum hactenus didicerat et docuerat sese placide occuluit, longiori in terris vita dignus, ingenti sui desiderio omnibus relicto. Cum Joannem Coccejum sequeretur Praeceptorem plurimaque hactenus in Scripturis non observata discipulis proponeret, multa ab aemulis fratribus passus est, de quibus superius actum [1]).

§ XXVI. Nadanyio in Hungariam discedenti anno 1678 surrogatus est in Logices et linguae sanctae professione Stephanus Kolosvári, vir doctus, eloquens et Cartesianae Philosophiae adsertor acerrimus. Hic dum res Transylvanicae inter duas Potentias Austriacam et Turcicam fluctuarent atque velut inter Scyllam et Charibdim periclitarentur, ne scopulo adhaerescerent anno 1685 Principis Apafii et Status Evangelici decreto jussus est subire legationem ad serenissimum Electorem Brandeburgicum Fridericum Wilhelmum, Principem item Auriacum et Praepotentes Foederati Belgii ordines, ut eorum mediatione cum Transylvani Austriacae se submitterent Potentiae, quod jam meditabantur, de religione melius prospectum irent conditionesque non tantum favorabiles impetrarent, sed et firmam adsecurationem. Qua fidelitate demandatum peregerit munus quove eventu dicere vix habeo. Culpatum a quibusdam novi, quasi in gratiam Patroni sui res Dacicas tunc moderantis consilia Principum tunc tacuerit. Fructus inde aliquot in ecclesias Transylvanicas rediisse non observavi. Rursum anno 1687 conclusum erat Kolosvarium ad Electorem Brandeburgicum ordinesque Belgii, Franciscum vero P. Pápai ad Sueciae Daniaeque Reges, Electorem Saxoniae et Reformatos Helvetiae Cantones, mittendos esse. An Legationem obierint, et quo effectu, mihi non constat. Perduravit in officio Professoratus cum honore ad annum 1714, cum superintendens Reformatorum creatus non tam suffragio Ministrorum, quam auctoritate Politicorum, brevi tamen anno nimirum 1717 mortalis esse desiit, cum Alba Julia emigrare jussus sedem Enyedini fixisset.

§ XXVII. Vacans Pauli Tsernátoni cathedra cum Paedagogiarchatu communibus Principis et Curatorum sententiis anno 1680 die 4 Januarii oblata Francisco Pariz Papai Medicinae Doctori, quo die solenniter introductus per curatorem Nicolaum Betlen et Superintendentem Michaelem Tofaeum ad Physices et Historiarum professionem linguaeque Graecae studium excitandum. Qui per triginta sex et amplius annorum decursum bonas ibidem literas ornavit, barbariem irreconciliabili odio assidue persecutus, res Collegii variis discriminibus actas entheo nisu sustinuit ne pessum irent. Stephanus quoque Enyedi, Minister ecclesiae Maros Vásárhelyiensis, vir in sacris literis potens, linguarum variarum gnarus, suavis et eloquens, quem Martinus Dési

[1]) Cap. X. § X, XI, XII, XIII.

decedens successorem nominaverat, accedente inclyti status Reformati et curatorum collegii in Tordensibus comitiis suffragio, ad professionem Theologicam, solenni oratione habita, introductus est anno 1692 die XXVI Januarii.

§ XXVIII. Celebritas amborum in literato orbe horum Enyedensis Collegii Professorum fuit non ultima.

Contigerat autem anno Christi 1696, quod Illustrissimus S. R. I. Comes Paulus Teleki studiorum pariter et experientiae vitae Magistrae apud exteros comparandae causa in Germania peregrinans Berolini in Marchia Brandeburgica moraretur, splendidam Electoris aulam, Principem, ejus ministros Ecclesiamque et ecclesiasticos eorum ordines, mores penitius et curiosius cogniturus, nunc hunc nunc illum salutaret. Erat vero ibidem inter plures Eruditos videri et compellari dignus Electori a Sacris aulicis vir apprime doctus, Philologus insignis, Theologus solidus et concionator facundus Daniël Ernestus Jablonski, ex Bohemorum reliquiis oriundus, scriptis in publicum editis celeberrimus. Qui tunc forte in contexenda Historia universali occupatus cum conversionis ex Paganismo in Christianismum ac denique Reformationis auctores solicite indagat, cum novo hospite comite Telekio coepit queri, quod cum gentium reliquarum in Reformatione initia et progressus literis mandata haberet, in sola gentis Hungaricae Reformatione deficeret, eo quod nulla de erectis harum ecclesiis Evangelicis tam numerosis monumenta nancisci potuisset, atque adeo impense rogare, ut pios ipsius conatus in tantum juvet, ut pergere hic volentem et in obscuro rerum haerentem ad viros gentis suae Antiquitatum Hungaricarum, praecipue ecclesiasticarum, indagatores dirigat, literis mox ad communicandum honeste invitantibus conveniendos. Haec dicenti subjecit Comes Telekius, se quidem studia Eruditorum gentis suae ob aetatem adhuc nimis juvenilem non satis explorata habere, interim virum clarissimum non lusurum operam se credere, si Professores collegii Enyedensis Franciscum Pariz Papai, et Stephanum Enyedi literis suis adiret, hoc tam pium et debitum officii genus ab ipsis jure et per omnia sacra stipulaturus. Quod etiam fecit scriptis ad utrumque sine mora literis in hanc ut sequitur sententiam:

Daniel Ernestus Jablonski Serenissimo Electori Brandeburgico a Sacris aulicis Cl. Viro Francisco Pariz Papai in alma Enyedina Professori publico S.

Ante omnia de temeritate et audacia purgandus Tibi essem, Vir clarissime, quod ignotum compellare et negotiis gravissimis distentum interpellare audeam, nisi hinc causae quam ago momentum, illinc humanitatis tuae fiducia intercederet. Nempe Historiam Ecclesiarum Sclavonicarum moliuntur viri quidam pii et eruditi eique ut Historia Ecclesiarum Hungariae et Transylvaniae, nec non Sclavoniae

in specie ita dictae jungatur, votis omnibus expetunt. Huic tantae provinciae qui pares sint praeter te et pl. Rdum Collegam tuum D. Enyedi S. S. Theologiae Professorem (ad quem ea de re fusius scripsi, Eumque ut ad se scripta cum Excellentia tua communicare velit obnixe rogavi) mihi equidem occurrunt nulli. Vos igitur Deo duce, industria comite ad tantum opus vos accingite. Non obstabit Medicinae quam ornas professio; quin memineris potius Medicum fuisse, qui primus nascentis Christianismi Fastos pandere, Agones enarrare Apostolorum et apostolicarum ecclesiarum incunabula scripto celebrare in animum induxit, insigni quod tuam quoque pietatem inflammet exemplo. Sed et sequentibus temporibus viros Medicos Historiae qua sacrae, qua profanae insigne lumen subinde affudisse, quis est qui ignoret? Ipsorum vestigia si voles tu quoque premes, et ut velis nomine Ecclesiae peto. Vale Deo et sanctissimae ejus gratiae cum tuis et ecclesia tua commendatissimus. Dabam Berolini XVI Kal. Julii CIↃIↃCXCVI.

Plur. Reverendo Clarissimo, Doctissimoque Viro D. Stephano Enyedi S. S. Theolog. Professori Daniel Ernestus Jablonski V. D. M. Serenissimo Electori Brand. a Sacris aulicis S.

Cum quos terrarum intervalla segregant, eosdem tamen communis fidei et fraternae charitatis vinculum conjungat, non aegre feres, Vir pl. Reverende, quod ignotus ignotum, fama tamen huic quoque climati cognitum et in visceribus Jesu Christi fratrem perdilectum compellare in animum induxi. Rei rationem paucis accipe. Historiae Ecclesiasticae necessitatem juxta et utilitatem pius et prudens quisque facile agnoscit. Indeque a primis Christianismi incunabulis ea heroum in Ecclesia Dei haud postrema cura fuit, uti fata gregis Christi in tabulas relata ad posteros fideliter transmitterent. Fuere in Sarmatia quoque nostra, quibus ea res cordi esset. Circa seculi praesentis medium Reverendus Vir et vel hoc nomine de ecclesia optime meritus, Andreas Wengerscius, Historiam Ecclesiarum Sclavonicarum contexuit. At quod eadem et ad annum duntaxat quinquagesimum hujus seculi pertingit, et in superioribus etiam aliquando subinde parcior videtur, inventi sunt viri quidam pii (quos inter et mea tenuitas nomen profiteri honori sibi ducit), quibus in timore Domini statutum est, Historiam ecclesiarum Sclavonicarum inde a primis earum rudimentis denuo sub incudem revocare, παραλειπόμενα Wengerscii supplere et continuationem ejus usque ad finem hujus seculi subjicere. Huic penso per singulas utriusque Poloniae et Lithvaniae provincias viri eruditi partitis inter se operis insudant.

At haec dum volvimus animo, opportune in mentem venit ipsum librum frontispicio suo Sclavonicas Ecclesias ostentanti non satis respondere videri, quamdiu ecclesiarum hodiernae Sclavoniae, ipsi usque

Hungariae et Transylvaniae fata non simul exhibet. Non equidem ignari sumus, Sclavorum populos ut origine sic idiomate a gente Hunnorum diversos esse. Cur tamen praesens causa utrisque communis esse debeat, non pauca sunt, quae suadent. Primo vel ipse situs, quo sunt loca vestra, aliquid hic sibi momenti vendicat. Non enim Sclavorum tam vicini esse, quam potius in corde ipsorum resedisse dicendi estis. Cingente vos a meridie Sclavonia strictissime sic appellata, ad occasum Bohemia et Moravia, ad septentrionem et orientem diffusis Sarmatarum finibus. Gremio ergo inhaerentes nostro, nostri utique estis, jugi inter utramque gentem commercio ita nobis innexi, ut Reges etiam Poloniae dederitis et a Polonis acceperitis, ut adeo nefas videatur a Sclavonica historia vos Slavis undique cinctos ipsamque Sclavoniam tenentes divellere. Verum gravius est secundo, quod Sclavi et Hunni eandem Ecclesiam Christianam et Evangelicam, de qua jam agitur, componamus, cujus quia fata et vicissitudines communes fere experti sumus, iisdem fere lucis coelestis radiis utrinque illucescentibus, iisdem fere tempestatibus in utrosque desaevientibus, aequum videtur ut Fastis Ecclesiae indivisa illa inferantur. Accedit, quod quemadmodum non tritici ita neque zizaniorum in agro Christi Sclavonico historia secus plene habeatur, Antitrinitarios recentiores intelligo, quos ut Italia primum exclusit, sic Sarmatia et Pannonia fovit, atque etiamnum fovet. Secta vero isthac latius etiamnum serpente, expectant extranei Belgae et Britanni, ut pleniore enarratione historiam eorum eruamus. Neque enim hactenus id factum esse memini, neque Historiam Hunnorum ecclesiasticam, quam et Otrokotsi in Originum suarum praefatione promisit, vel in lucem prodiisse accepi vel si eadem quam maxime prodiret nostris post viri apostasiam aequam fore existimaverim.

Haec, ut alia jam taceam, sunt, Vir pl. Rnde, quae me moverunt, ut consilium moliminis nostri tibi aperirem, teque et quos praeterea ad opus utilissimum inter vestrates Deus exstimulaturus est, ad stadium nobiscum decurrendum invitarem. Tam utique memorabilem inter vos Ecclesiae suae scenam Numen instruxit, ut excusari nostra nequeat socordia, si tot tantaque divinae Bonitatis, Potentiae, Justitiae, Veritatis monumenta aeterna oblivione obliterari patiamur. Caeterum hac fere methodo uti statutum nobis est, ut primum Gesta ecclesiae et conversiones ad Christianismum factas, testesque veritatis divinae, suo quemque ordine per annorum centurias digestos, ad novissimam usque Reformationem describamus. Inde Annales ecclesiae texamus et quae quovis anno per totam Poloniam et adjacentes regiones gesta sint edisseramus. Particularium vero ecclesiarum aut virorum clarorum continuam Historiam indices subnexi dabunt facile. Si tamen commodior Tibi, Vir pl. Rnde, ratio occurrat, peto ut monere digneris paratos meliora sequi.

Quod si nobis licuerit tam esse beatis, ut brevi edoceamur esse inter vos, qui labori taedioso sed utili et ecclesiae auctoribus suis glorioso sese accingant, laudabimus eo nomine nomen Altissimi et cumulatissimam ejus benedictionem auxiliumque efficax coeptis vestris apprecabimur. Vestri vero arbitrii futurum est, sive foetum illum vestrum peculiare et separatum opus jubeatis constituere, cum nostro nihil omnino sit commune, sive ita velitis dispositum, ut operis Historiae Sclavonicae Tomum II nempe Historiam Ecclesiarum Hungaricarum Transylvanicarum et Sclavonicarum (Savum inter et Dravum interceptarum) absolvat. Non minus integrum vobis fuerit impressionem operis vel ipsis adcurare, vel nobis curandam mandare, quod posterius si placuerit, nostrum fuerit de sumptu ad eam rem necessario prospicere.

Vale jam, pl. Rnde Vir, neque causam Ecclesiae apud te agentem serena fronte admitte. Si quid a me officii in te vel vestratium quemcunque proficisci queat, id omne lubens dicatum tibi cupio. Iterum vale et quae hic fusius expressi cum clarissimo D. Francisco Pariz Papai, venerando collega tuo, ad quem nonnisi brevissimas hac vice dare potui, benevole communicare dignare. Dominus cum spiritu tuo. Dabam Berolini die XV Kal. Julii 1696.

§ XXIX. Respondit Jablonskio Fr. Pápai sequentibus literis.

Magnis nec tenuitate ista dignis encomiis mihi, Vir Vener., adsurgis, dum non tantum inexspectatis at vel eo nomine gratissimis literis tuis sola amicorum prima commendatione notum compellas, verum etiam partes in provincia quam viri magni ornandam sibi sumpserunt pusillo defers. Vetus hoc gentis nostrae probrum, vetus multorum et justa quidem querela est, inter quos et Johannes Laetus sibi temperare non potest, quin erumpat Acta ecclesiastica Hungarorum et vicinorum Transylvanorum consignare, quod nemini hactenus venerit in mentem. Nec tamen ita officii sui oblitos permittit credere eos pietas nostra minorum, qua tenemur erga laborantes ante nos, quin et in hoc genere fecerint aliquid, quod et majori securitate facere poterant, quam quae fecerunt iidem multa congressi παρρησία cum sanguinariis Evangelii hostibus. Sed eorum quae scripserunt monumentorum partim interciderunt perpetua temporum injuria, partim in obscuro apud privatos et forte literarum rudes posteros latere possunt. Ego ubi me Deus publico dignatus est, omnem movi lapidem, ut maculam hanc ita conspicuam a facie gentis nostrae saltem quadantenus abluerem. Nec cessavi in hunc diem implorare opem eorum, ex quibuscunque ut hic proficerem mihi aliquid polliceri poteram, ut ex collatis variorum symbolis cinnum saltem aliquem facerem; verum hactenus nec nihil, nec certe multum profeci. Quicquid vero horum sit, victus vestra obtestatione dabo operam, ut schedas meas in ordinem aliquem et corpus redigam et vestro arbitrio

in totum commendem, operi vestro vestra prudentia suo loco inserendum. Transponam autem ad vos ut spero hac hyeme per studiosos quosdam Theologiae nostros, hinc ad almam Viadrinam Vestram Deo duce contendentes, nisi a proposito funestus aliquis rerum vicinarum exitus hic inter incudem et malleum, quod ajunt, constitutos abarceat. Deus misereatur nostri, vosque a tali Vaejove tutos perseveranter in solatium miserorum conservet, d. 20 Aug. 1696.

§ XXX. Ad calcem literarum Pápai adjecerat quaedam de stipendio Electorali in Academia Franckofurtana studiosis Enyediensibus opera Illustrissimi Praesidis Danckelmanni impetrando. Quod felicissime cessit. Jablonskius enim per Godefr. Nicolaum de Danckelman postque ejus casum Paulum a Fuchs eo rem deduxit, ut ab eo tempore ad hunc usque diem in Academia Frankofurtana lauto satis stipendio duo continuo alerentur studiosi e Collegio Nagy-Enyediensi. Plures de hac materia epistolae res ejus aevi egregie illustrantes sunt ad manus: brevitatis tamen studium hic eas praeter unam et alteram abarcet, quae recta hanc materiam illustrant. Talis illa est Jablonskii ad Franciscum Pápai.

Post datas ad Te novissimas meas contigit mihi cum Illustrissimo Domino supremo Praeside in causa vestra iterato conferre. Ratum ergo habet Illustrissima ejus Excellentia id quod nuper promiserat et praeterea a praesenti tempore valere jubet. Jubet adesse juvenes ecclesiarum vestrarum alumnos et stipendio frui; iisque quoad Electoralis fundatio plene constituatur sua Excellentia de proprio aere promissum subsidium est numeratura. Hoc unum et in praesens requirit sua Excellentia et aeternum vigere cupit, ut in ablegandis ad nos alumnis accuratus ingeniorum delectus habeatur, neque favori aut partium studio quicquam detur, verum gloriae Dei et publico Ecclesiae commodo candide litetur. Ejus enim rei nisi ratio haberetur, futurum esse ait, ut beneficium Electorale cesset aliove derivetur. Quae Excellentiae suae perscripsi venerandis Capitibus, quorum ea scire interest, cum officiorum meorum commendatione benevole nunciabis. Alumni vestri ubi Francfurtum pervenerint ibi subsistere meque de adventu suo monere ac quid Serenissimus fieri velit praestolari poterunt. Vale vir Nobiliss. Deo et gratiae ejus commendatissimus. Berolini die XIII Oct. an. 1696. D. E. Jablonski.

§ XXXI. Tantum Principis erga collegium Enyodiense beneficium Nicolaus Bethlen sequenti epistolio gratias egit.

Serenissime ac potentissime Princeps et Elector, Domine, Domine mihi clementissime!

Cum singulari animi mei ac totius Ecclesiae Reformatae Transylvanicae gaudio audivi ac intellexi, quod vestra Serenitas ex innata sua clementia et admiranda erga Religionem Reformatam devotione in animum

induxerit tres a nobis Reformatis recommendandos studiosos Transylvanos in Illustri Francfurtensi universitate sustentare ex Collegiis Transylvaniae. Pro qua Vestrae Serenitatis clementia ego indignus quidem, sed supremus in Transylvania ecclesiarum et scholarum Reformatarum Curator, maximas totius Ecclesiae nomine ago gratias, simulque quam humilime vestrae Serenitati recommendo primarium et praecipuum hic in Transylvania ex scholis, Collegium Nostrum Reformatum Nagy-Enyediense fundatore serenissimo quondam Gabriele Betlen Transylvaniae Principe clarum, ut hoc beneficium erga hoc praeprimis quam clementissime exercere dignetur, simulque studiosos Curatorum et Professorum recommendatione munitos et suo tempore ad oscula manuum vestrae Serenitatis mittendos, quam benignissime in suam gratiam recipere velit. Rogamus et simul Deum T. O. M. oramus, ut vestrae Serenitatis vitam ac fortunam ad annos perpetuos prolonget, simulque tam personae vestrae Serenitatis, quam toti Serenissimae Electorali Domui amplissime benedicat, et quam diutissime in bonum totius Christianitatis et emolumentum ecclesiarum Reformatarum, inter quae illas nostrarum Transylvanicarum consolationem conservet et prosperet. Albae Juliae 1 Decembr. A. 1696.

Gratias egit etiam illustri viro Danckelmanno, qui apud Principem pro beneficio intercesserat. Cum beneficium hoc moderatoribus scholarum in Transylvania aliarum innotesceret, volebant omnibus scholis esse commune; at vero Collegio Enyedensi ab Electore singulariter alligatum est.

§ XXXII. Inter perpetuas etiam Transylvaniae calamitates sub provida Johannis et ejusdem filii Nicolai Bethlen cura collegii status fuit florentissimus. Subito tamen et inopinate Martis furor, cui cum Musis nunquam bene convenit, intercessit et fere ad ima depressit. In initio enim praesentis seculi tumultuantibus Hungaris adversus regimen Austriacum, arma civilia e vicina Hungaria serpens malum in Transylvania quoque circumferebant. Sex millibus duce Stephano Torotzkai ex improviso supervenientibus oppidum N. Enyed cum castello est occupatum, ubi paulo post explorator quispiam deprehensus naribus labiisque mutilatis est dimissus. Haec aliaque innocuis civibus attribuens comes Raboutinius, commendans Transylvaniae Generalis, digressis ad sua Kurutzionibus, caesareum submisit exercitum ductore Carolo Barone de Tige; oppidum castellumque occupavit, concesso militi unius horae spatio ad praedam colligendam, tandem signo dato subditis facibus oppidum uno igne totum ardere jubet, qui Musarum etiam domicilium in favillas redegit. Parsum est nemini, qui in fuga est deprehensus, nisi imbellibus foeminis et pueris minorennibus. Ecclesiastici Professores atque V. D. Ministri ad instantissimas eorum preces in aream Collegii secedere jussi, ibi raptis vel vesticulis seminudi vix in vita conservati, rebus suis omnibus spoliati relicti sunt. Plusquam ducenti e civibus caesi, inter quos fuerunt studiosi ad

decem et octo praeter graviter vulneratos. Contigit haec laniena ipsa Dominica Palmarum anni 1704.

Calamitosissimi fuerunt, ab hac clade superstitibus Collegii Professoribus eorumque discipulis anni subsequentes aliquot; quibus ne inter desolatos quidem parietes tuta fuit commoratio, sed subinde in sylvis et abditis petrarum Torotzko cavernis necesse fuit salutem quaerere. Supervenitque ex malo aliud malum; nam inhiantes praedae Rasciani oppidum civibus evacuatum intrarunt cryptamque Collegii subterraneam, ubi Bibliotheca Collegii, res pretiosiores oppidanorum et in circumvicinia habitantium fuerunt abditae, aperuerunt, res dissiparunt, et quae subito tollere poterant secum abstulerunt. Libros, literalia instrumenta gladiis discissa, dilacerata rasciana feritate huc illuc disjecta projecerunt.

§ XXXIII. Nova calamitate annus 1707 studia sufflaminavit et vix non exstinxit. Praevalente enim in Transylvania rursus milite caesareano, Rakotziani Nobilitatem Transylvanicam in Hungariam suae potestatis ire coegerunt, ut magis in fide sua retinerent. Cujus infausti consilii executores importuni fuerunt milites, qui Ecclesiasticos quoque sub minis depraedationis bonorum abegerunt. Unde Professores quoque Collegii cum familia et studiosis adhaerentibus in exilium abire coacti, remanente Enyedini solo Stephano Kolosvari Professore, ob fractum medio itinere currum, qui moram ibi trahens casu relictus est. Ex quo exilio tandem anno 1709 permissu Principis Rakotzii redierunt et stationi suae redditi Musas hinc inde oberrantes ad sua domicilia revocarunt.

§ XXXIV. Fato cedentibus collegii Curatoribus, Nicolao vero Bethlen sub arresto Vienensi detento, alii electi sunt anno 1710 Illust. S. R. I. Comes Alexander Teleki de Szék, Joannes Nemes de Hidvege in vico Földvár agens, Andreas Szilágyi de Kossárd, tandemque etiam Petrus Torotzkai, qui res Collegii moderabantur. Reliqua hujus Collegii fata, uti et aliorum, videlicet Claudiopolitani ac M. Vasárhelyensis in Transylvania, in Hungaria vero Debretzinensis ac Patakiensis, origo ac progressus in sequenti libro suo ordine enarrabuntur.

DATE DUE

GAYLORD PRINTED IN U.S.A.

GTU Library
[redacted]
G
3 2400 00176 1539

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.